THEOLOGIAE MORALIS

COMPENDIUM

P. F. JOANNIS VINCENTII

PATUZZI

ACCEDUNT

MONITA

DIVI CAROLI BORROMEI

AD CONFESSARIOS.

ETHICAE CHRISTIANAE

SIVE

THEOLOGIAE MORALIS

COMPENDIUM

AUCTORE R. P.

F. JO. VINCENTIO PATUZZI

ORD. PRAEDICATORUM
IN VENETA CONGREGATIONE B. JACOBI SALAMONII
S. THEOLOGIAE PROFESSORIS

OPUS NON SOLUM CLERICIS ET THEOLOGIS
SED PAROCHIS ET CONFESSARIIS PERUTILE

EDITIO

ACCURATISSIMA ET A MENDIS PURGATA

VOLUMEN I.

Continens

Tractatus de Legibus, de Ratione Humana, de actibus Humanis, ac de Virtutibus Theologicis.

LAUDE POMPEJA
EX TYPOGRAPHEO JO. BAPTISTAE ORCESI
MDCCCXXXIII.

Die 4 Decembris 1832.

Admittitur

pro Illustrissimo et Reverendissimo D. D. Episcopo Laudensi

Praepositus Karolus Sormani.

TYPOGRAPHUS

AD

ANIMARUM CURAM GERENTES

Vobis qui ad vineam Domini excolendam jam destinati estis, hoc Compendium profecto dirigendum erat. Etenim nihil mihi beatius, nihilque utilius accidere poterat quam eum in lucem prodire tectum favore, ac patrocinio vestro. Et quamvis nihil novi exhibeat, quod vestro nomini nuncupatum, ad vos mitto et in publicum edo, tamen ob Auctoris summam auctoritatem, ob raram operis elegantiam, ob singularem lectionis utilitatem, ac demum ob novam hujus Editionis et recognitionis comoditatem, id fore confido, meum ut studium, quae vestra est aequitas et prudentia, boni consulatis. Non oportet de ejus utilitate disserere, cum ad optimos semper animarum rectores obtinendos, eo uti soluerint Ethicae Christianae Magistri non rudioris minervae. Habetis in hoc Compendio totum id quod Clarissimus vir Vincentius Patuzzi in Theologia Morali universa complexus est, sed contractius, et compendiosius quod in illo fusiore calamo dictum invenire est. Doctrinae eaedem sunt, opiniones, sententiae, consectaria eadem, et eadem prorsus omnia. Neque tamen omnia in epitomen conlata sunt, sed ea duntaxat, quae ad rite lectorem informandum de universa Theologia Morali necessaria visa sunt, et apprime utilia. Hinc quum de iis, quae ad doctrinam generalem spectant, nihil fuerit praetermissum, immo etiam, quoad fieri potuit, ipsa Auctoris verba adhibita et excripta; ex consectariis tamen non pauca sunt omissa, quae videlicet vel satis clare ex praemissa doctrina patescunt, et nullo negotio colliguntur, vel seipsis pervia sunt, vel ad praxim dirigendam minus utilia,

minusve necessaria visa, vel quandoque etiam aut redundantia, aut repetita, quemadmodum et reflexiones omnes brevitatis caussa suppresse. Nonnullas, sed paucissimas, easque brevissimas invenientis adnotatiunculas, eas nimirum duntaxat, quae aliquibus in locis prorsus necessariae visae sunt, et nullatenus omittendae. Ceterum nihil de substantia doctrinae demptum, nihil additum, nihil immutatum, sed omnia summa fide in compendium redacta. Plurium tamen desiderio et petitionibus annuentes, praeter tractatum de Indulgentiis, addidimus Sacramento Poenitentiae, aurea Monita, et omnium Sapientum iudicio probata s. Caroli Borromei ad Confessarios, ut sic, clarissimi Auctoris, tradita methodus, ad directionem animarum confirmaretur, Sanctissimi Praesulis auctoritate, omni exceptione majori. En vobis, quae in hac novissima editione adornanda curavimus. Studium quoque omne, omnemque operam dedimus, ut a mendis, quae in Editione priori irrepserant, repurgaretur, ex quibus facile quisque vestrum intelligere poterit, quantum haec, Bassani editioni antecellat. Quare si tanta aviditate, tantoque plausu illa fuit excepta ut brevi temporis intervallo, quae impressa fuerant magno numero exemplaria, distracta fuerint; non immerito in spem ducimur, fore, ut haec sortem eo majorem nancisci, debeat, quo certe, non uno nomine perfectionem majorem adepta est. Valete, et quae ad vestram utilitatem perficere conati sumus, benigne intuemini, gratoque animo suscipite. D. O. M. incolumes vos servet ad Ecclesiae felicitatem, totiusque Populi Christiani consolationem et gaudium.

ETHICAE CHRISTIANAE

SIVE

THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS PRIMUS

DE LEGIBUS.

Quoniam ex conformitate, aut difformitate cum regulis morum bonitas et malitia pendet humanorum actuum, ab iis explicandis Ethicae Christianae exordium sumimus. Hae regulae sunt lex et ratio: *quarum illa extrinseca est ac remota; haec intrinseca et proxima. De priore primum, cui altera subjecta sit oportet, disserendum censeo, nempe* de legibus: *quarum alia suprema est,* lex *videlicet* aeterna Dei, *cujus quaedam participatio est* lex naturalis: *alia* positiva, *quae dividitur in* positivam divinam *et* humanam, *quae rursus distribuitur in* Ecclesiasticam *et* Civilem. *Harum omnium Tractatum quibusdam Dissertationibus absolvemus. Sed prius aliqua de Lege generatim inspecta praenotanda sunt: quae unico capite expediam.*

De Lege generatim sumpta.

I. *Definitio Legis, et explicatio primae definitionis particulae: Lex est regula, et mensura actuum humanorum.*

Lex ita definiri potest ex S. Thoma 1. 2. q. 90. art. 1. et 4. *Lex regula est et mensura actuum humanorum ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Itaque Lex 1. *regula est et mensura actuum humanorum,* de quibus duntaxat modo loquîmur. Actus enim humani ita per legem regulantur et mensurantur, ut recti sint et honesti, si eidem consonent; pravi vero et inhonesti, si ab ea dissentiant. Hinc lex ipsa juxta et honesta sit oportet, vel in se, vel quatenus quidpiam honestum statuat, vel saltem ratione finis a Legislatore intenti, ad quem ordinatur. Est autem regula *efficax*, quae non aliquid mere ostendat, aut suadeat, sed praecipiat; atque ita inducat hominem ad agendum, vel ab agendo retrahat: ex quo praesertim sui nominis etymologia desumpta est: lex quippe a *ligando* dicitur, sive ab *obligando.* Quare differt a persuasione, et a consilio, quae per se ad actum sive peragendum sive vitandum non obstringunt, tametsi recte agendi regula esse queant.

II. *Explicatur secunda definitionis particula: ad bonum communitatis; et quid communitatis nomine sit intelligendum.*

Altera definitionis particula est, quod *ad bonum commune, sive Communitatis ordinetur.* Communitas alia *imperfecta* est, alia *perfecta. Perfecta* dicitur, quae suapte natura perpetua est, ac politieae gubernationis capax; sive ea est, quae sibi sufficit ad assequendum finem, ad quem est instituta, scilicet ad publicam felicitatem et pacem,

ut Civitas, Provincia, Regnum, Ecclesia etc. *Imperfecta* vero vocatur, quae ad hujusmodi finem obtinendum sufficiens sibi non est, ut domus, familia, Paroecia etc. Porro tunc communitas censetur sibi ad finem suum assequendum sufficere, quum in ea potestas est instituendi Magistratus aut Pastores, continendi subditos in officio, dirimendi lites et controversias, improbos ac scelestos coercendi etc. Ad hujus perfectae communitatis bonum leges conspirant. Lex naturalis totius humani generis felicitatem spectat: Divinae positivae, homines ad beatitudinem caelestem ordinant: leges humanae sive Ecclesiasticae sive Civiles commune bonum propriae naturae consentaneum promovent. Neque tamen necesse est, ut omnes semper Communitatis partes lex obstringat, dummodo ad totius Communitatis bonum dirigatur. Contingere namque potest, si de humanis legibus sermo sit, ut ipsum commune bonum hoc exposcat, quod aliqui, vel aliqua subditorum pars a legis obligatione subtrahatur: de quo postea.

III. *Explicatur tertia definitionis pars: lex condi nequit nisi a communitate, vel ab eo, qui ejus curam gerit.*

Quod si lex ad commune bonum ordinatur, sequitur, non a quocumque Communitatis membro condi posse, sed ab ipsa Communitate, vel ab eo, qui curam communitatis gerit, quae tertia est definitionis pars, quam ita declarat et probat S. Thoma art. 3 *Ordinare aliquid in bonum commune est vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem multitudinis. Et ideo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quae totius multitudinis curam habet; quia et in omnibus aliis ordinare in finem est ejus, cujus est proprius ille finis.* Quod etiam ad 2. confirmat ex eo, quod lex gaudere debet vi *coactiva*, ut efficaciter ad obedientiam inducat, sibique subjiciat rebelles homines et contumaces.

IV. *Discrimen legis a praecepto.*

Atque ex hoc illucescit discrimen legis a praecepto. Lex necessario dirigitur ad Communitatem, et ad bonum ejusdem ordinatur, nec a quocumque alio superiore ferri valet, sed vel a Republica, vel ab eo, qui Reipublicae aut Communitati praeest. Non ita vero praeceptum, quod et privatum bonum respicere potest ac solet, et a privata persona fieri, puta a domino ad servum, a patre ad filium, a viro ad uxorem. Differt autem praeceptum a lege tanquam species a genere: omnis quippe lex praeceptum est; at non e contra omne praeceptum lex est.

V. *Explicatur postrema definitionis pars: Lex debet esse promulgata ut vim habeat obligandi: Promulgatio non est eadem in omnibus legibus, nec eodem modo perficitur.*

Postremo in definitione legis dicitur, quod sit *promulgata.* Consentiunt omnes cum S. Thoma, promulgationem esse omnino necessariam, ut lex vim obligandi obtineat, sive ut conditionem, sive ut quidpiam pertinens ad essentiam. Legatur cit. S. Thoma art. 4. Haec tamen promulgatio non eadem est in omnibus legibus, nec eodem modo completur. Legis naturalis *promulgatio* hoc ipso perfecta est, quod *Deus illam mentibus hominum inseruerit naturaliter cognoscendam*, inquit S. Thomas. Lex divina positiva alio modo promulgata est, *vetus* quidem in Monte Synai, nova autem in solemni Pente-

costes die, ut deinceps constabit. Leges humanae tum Ecclesiasticae, tum civiles semper exteriore aliquo signo promulgari solent, ac debent: sed quod varium est, atque diversum pro regionum varietate ac consuetudine. Quodcumque illud sit haud necesse est ad legis obligationem inducendam, ut in notitiam subditorum omnium perveniat: *Illi*, ait S. Th. art. 4. ad 2., *coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest, promulgatione facta.*

CONSECTARIA.

I. *Cum lex constet propositionibus universalibus practicis, ostenditur futilitas principiorum Probabilistarum.*

Lex quaecunque, quum *regula* sit, atque *mensura*, propria constat statutis quibusdam, aut propositionibus universalibus practicis, ad quas casus omnes sive actiones et omissiones peculiares referuntur. Ita S. Th. hic art. 1. ad 2. Hinc patet futilitas illius Probabilistarum principii, quod *reflexum* vocant; dum scilicet ajunt, in dubiis casibus de actionum honestate ob opinionum dissidentium diversitatem, *legem non esse satis promulgatam*, nec adeo vim obligandi obtinere. Hoc asserere minime queunt, nisi velint, totidem leges esse promulgatas, quot sunt casus sive actiones peculiares, de quarum honestate dissidium oritur inter Theologos, quae propemodum infinitae sunt. Quum ergo de legum promulgatione nulla dissensio sit inter Theologos, omnesque factam jam fuisse praesumant, ac praesumere debeant; perperam ex opinionum diversitate circa honestatem singularium actionum subinferunt, legem non esse promulgatam, atque adeo nec, presse loquendo legem esse, quum obligationem non inducat, quae cujusque legis essentialis proprietas est. Immo et alterum Probabilistarum reflexum principium convellitur, quod in dubio de honestate aut pravitate actionis constituunt, *licere cuilibet opinionem amplecti libertati faventem, eo quod haec possessione gaudeat adversus legem.* Lex enim, quum sit *regula atque mensura* proculdubio homini applicata per promulgationem, praecedat oportet, sibique subjiciat ejus voluntatem, cujus actiones regulat ac mensurat, adeoque ejus voluntatem ita arctet et afficiat, ut sibi obsequatur et pareat. Quare quum disputatur an actio sit honesta vel prava, sive legi sit conformis aut dissentanea, lex semper praevalet ac praevalere debet humanae libertati, quae legi subjecta est, nec ab ea recedere valet, quin ipsam contemnat ac violet.

II. *Lex permissiva quos obliget.*

Nulla lex est, quae obligationem non inducat, quum ratio praecepti a lege sejungi nequeat. Neque tamen hinc inferre licet, minime dari posse legem, quae sit permissiva. Nam licet permissio illum non obliget, cui permissio facta est, adeoque respectu illius vim legis non obtineat; obligat tamen alios, ne scilicet vel obsistant actus permissi exequutioni, vel propter eundem supplicio afficiant. Itaque si actum indifferentem lex permittat, obligat alios, ne ejusdem exequutioni impedimentum apponant. Si de se bonum, ut quum Princeps praemium statuit strenuis viris, etsi hos non adstringat ad petendum praemium, obligat tamen alios, ut non impediant a peten-

do praemio. Si demum quidpiam permittat suapte natura malum, in quo dispensare Legislator humanus non potest, solum obligat judicem, ne propter illud puniat legis transgressorem. Quare lex permittens, saltem virtualiter semper praeceptiva est, sive praeceptum involvit.

III. *Lex debet esse justa et honesta, aliter minime dicenda lex est.*

Lex debet esse justa et honesta; tum quia regula quaedam est: regula autem non esset, sed potius defectio a regula, si injusta foret: tum quia quaelibet lex humana vim obligandi non acquirit, nisi ex ipsa eterna Dei lege, a qua derivatur; adeoque si lex honesta non sit et justa, neque obligat, neque proprie lex dici potest. Ex triplici autem capite justas esse leges animadvertit S. Thom. hic q. 96. a. 4. » Primo dicuntur leges justae *ex fine*, quando scilicet or» dinantur ad bonum commune. 2. *Ex Auctore*, quando scilicet lax » lata non excedit potestatem ferentis. 3. Ex forma, quando scilicet » secundum aequalitatem proportionis imponuntur subditis onera in » ordine ad bonum commune etc. ». Atque hinc colligas, triplici quoque ex capite leges esse injustas, si nempe adversentur bono humano vel divino, sive *ex fine:* » sicut quum aliquis Praesidens leges » imponit onerosas subditis non pertinentes ad utilitatem communem, » ut explicare pergit S. Doctor. Vel ex *Auctore*, sicut quum aliquis » legem fert ultra sibi commissam potestatem: vel etiam ex *forma*, » puta quum inaequaliter onera multitudini dispensantur, etiamsi » ordinentur ad commune bonum; et hujusmodi magis sunt violen» tiae, quam leges: quia sicut Augustinus dicit in lib. de lib. arb. » *lex esse non videtur, quae justa non fuerit.* Unde subjicit; *tales le» ges non obligant in foro conscientiae, nisi forte propter vitandum » scandalum, vel turbationem: propter quod etiam homo juri suo ce» dere debet* ». Multoque minus *leges* appellandae sunt, quae adversantur bono divino: sicut leges inducentes ad id, quod divinae legi repugnat. Colligas etiam, Principem nonnisi tyrannice et injuste legem condere posse, qua particularia subditorum bona in propriam convertat utilitatem, adeo ut nec saltem mediate in commune civium bonum ordinentur. Foeda proinde ac perniciosa quorundam sententia est, Principes ac Reges ita esse subditorum dominos, ut possint pro lubitu bona eorundem in propriam utilitatem convertere, legesque ferre ad utilitatem et gloriam duntaxat ordinatas.

IV. *Lex indole sua firma ac perpetua est.*

Lex quaecumque indole sua firma ac perpetua est. Spectat enim Communitatem, bonumque publicum, quae de se firma sunt ac perpetua. Differt etiam in hoc a praecepto, quod suapte natura temporarium est, ac morte saltem praecipientis expirat: non ita vero lex, quae, etiam Legislatore vita functo, persistet. Non ita tamen id intelligas velim, ac si numquam cessare queat aut extingui. Nam si excipias *Legem Dei aeternam et naturalem*, quae nullam subire mutationem valent, immo et *Evangelicam*, quae ut usque ad finem mundi perseveret, a supremo Legislatore condita est, leges aliae, quae vel pro definito tempore latae sunt, ut *Lex Mosaica*, vel mutatis successu temporum circumstantiis, noxiae fieri queunt aut saltem inutiles, non ita perpetuae dicuntur, ut nunquam finem

habiturae sint; sed quia natura sua sunt stabiles ac permanentes, nec desinunt, nisi aut voluntate Legislatoris revocentur, aut legitima consuetudine praevalente aboleantur.

V. *Facta promulgatione subditos omnes adstringit.*

Facta legis promulgatione eo modo, quem innuimus, juxta legum diversitatem, haec perfectam habet virtutem obligandi subditos omnes, etiam illos, qui eam invincibiliter ignorant, adeo ut quamvis excusentur a culpa qui legem non observant, dum ignorantia eorum reapse invincibilis est; nihilominus saltem pravum *materialiter*, ut inquiunt, efficiat actum legi contrarium, aliosque inducat effectus legis proprios: ex. gr. si lex irritet aliquem contractum, post sufficientem promulgationem obligat etiam invincibiliter eam ignorantes, adeout contractus vere irritus sit, ac nullius roboris, tametsi ob ejusmodi ignorantiam tum a culpa, tum a poena, si adjecta fuerit, excusentur.

DISSERTATIO I.

De Lege Aeterna ac Naturali.

CAPUT I.

De Lege aeterna Dei.

I. *Definitio legis aeternae, ejusdemque explicatio.*

Prima ac suprema legum omnium, a qua caeterae quaeque pendent, est *lex aeterna Dei*. De hac agit S. Th. 1. 2. tum a. 1. q. 91. tum tota q. 93. ex quibus praesertim locis quae potiora visa fuerint, hauriemus. Eam presse definit art. 1. cit. q. 93. inquiens: *Lex aeterna nihil aliud est, quam ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actionum, et motionum, in bonum scilicet commune totius universi.* Dicitur in primis *ratio divine sapientiae*; quia, *sicut in quolibet artifice*, ait S. D., *praeexistit ratio eorum, quae constituuntur per artem: ita etiam in quolibet gubernante oportet, quod praeexistat ratio ordinis eorum, quae agenda sunt per eos, qui gubernationi subduntur.* Et sicut illa ratio *vocatur ars*; ita haec *rationem legis obtinet.* Hinc differt tum ab arte, tum ab idea, sive ideis divinis, *quae respiciunt naturas singularum rerum*, ut animadvertit ad 1. tum etiam a divina Providentia, quae, ut docet q. 5. de verit. a. 1. ad 2., *proprie non nominat legem aeternam, sed aliquid ad legem aeternam consequens.* Hinc subdit: *Lex aeterna non est providentia, sed providentiae quasi principium.*

II. *Lex aeterna in Deo existit, et vere ac proprie habet legis rationem.*

Legem hanc aeternam tum in Deo existere, quod in ipso sicut *in Principe totius universitatis sit ratio gubernationis rerum*, quae profecto nonnisi aeterna est, ostendit S. Th. q. 91. a. 1. tum verae propriaeque legis habere rationem, ex eodem evidenter colligitur. Si quid enim huic legi deesset, ne lex presse dicenda foret, praesertim esset promulgatio, quae ab aeterno non fuit, quum ab aeternitate creaturae non extiterint, quibus fieri potuerit. Verum hanc haudquaquam de-

esse, saltem ex parte Dei promulgantis, licet non ex parte creaturae audientis, aut inspicientis evincit S. Th. ibidem inquiens ad 2. *Promulgatio fit et verbo et scripto. Et utroque modo lex aeterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis: quia et verbum divinum est aeternum, et scriptura libri vitae est aeterna.* Ex his colligere pronum est cum S. Th. q. 93. legis aeternae praerogativas, quarum tres praecipuas hic describemus.

Praerogativae Legis aeternae.

III. ***A lege aeterna, caeterae leges derivantur.***

Caeterae quaecunque leges, quatenus justae et honestae sunt, atque adeo propriae legis rationem habent, derivantur a lege aeterna. Constat ex Prover. 8. ubi Sapientia divina ita loquitur: *Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt: per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Triplici porro modo leges aliae ab aeterna lege derivari dicuntur. 1. tanquam *ab exemplari:* quum nulla lex juxta sit, nisi imitetur aeternam, eique conformetur. 2. ut a *caussa effectrice:* ab aeterna quippe lege legislatorum omnium potestas profluit, juxta illud Rom. 13. *non est potestas nisi a Deo.* 3. demum quatenus lex aeterna, medio lumine naturalis rationis approbat, ac veluti confirmat leges humanas, easque pro temporum, locorum, populorumque conditione diversas.

IV. ***Legi aeternae, subduntur omnia.***

Eidem subduntur omnia, quae sunt in rebus creatis, sive contingentia sint, sive necessaria. Hanc exponit, ac probat S. Th. hic a. 4. hoc pacto: *Lex aeterna, ut jam dictum est, est ratio divinae gubernationis. Quaecunque ergo divinae gubernationi subduntur, subjiciuntur etiam legi aeternae.* Divinae autem subjiciuntur creaturae omnes. Igitur omnia, quae sunt in creatis, subduntur legi aeternae; et quidem non tantum contingentia, sed etiam necessaria. Licet enim haec nulla indigeant humana lege, qua regantur, indigent tamen lege aeterna; quoniam ipsa earundem necessitas ab aeterna Dei lege constituta est. Peculiari porro modo subjiciuntur ipsi creaturae rationales, earumque liberae actiones. Omnes namque aut imperat, aut vetat, aut saltem modum iisdem praescribit, quo vel fieri vel non fieri debeant. Pravas vetat, bonas imperat; indifferentes vero dum actu exercentur jubet fieri ob honestum finem, fierique vetat non solum ob pravum finem, sed etiam absque ordinatione ad finem honestum.

V. ***Lex aeterna; est prima et suprema regula, moralis honestatis.***

Est prima et suprema regula, ac mensura omnis moralis honestatis. Sicut enim Deus est prima caussa et suprema rerum omnium creatarum, a qua tum in esse, tum in actionibus suis omnino pendent; ita lex aeterna Dei est prima ac suprema regula et mensura humanarum omnium actionum, a qua ita pendent in bonitate et honestate, ut nulla prorsus esse queat recta et honesta, quin ipsi consentiat. Equidem bonitas voluntatis pendet etiam ab humana ratione, quae est regula secunda et proxima humanarum actionum. Verum nisi haec ipsa secunda regula primae conformis fuerit; rectas actiones numquam producet. Legatur S. Th. 1. 2. q. 19. a. 4.

CONSECTARIA.

I. *Quidquid approbat lex aeterna bonum est; quidquid reprobat, malum.*

Quum lex aeterna sit prima regula indefectibilis, et fons totius rectitudinis, quidquid jubet aut approbat bonum est; quidquid damnat aut prohibet, aut ab ipsa recedit, malum. Hinc peccatum definitur a S. Augustino et a Theologis, *dictum, factum, vel concupitum, contram aeternam legem*; quia totam malitiam suam desumit ex oppositione ad illam, quemadmodum et actio bona omnem bonitatem suam haurit ex illo totius bonitatis fonte.

II. *Actio humana, nisi consonet legi aeternae, nunquam honesta est.*

Humana ratio sive conscientia eatenus recte dirigit ac regulat humanam actionem, quatenus recte proponit, et applicat legem aeternam. Si ab ea deflectat, recta nunquam est, quin nec regula appellari potest · est enim eidem prorsus subjecta et essentialiter subordinata. Hinc quaecunque sit opinio, aut existimatio nostra de honestate actionis, quam elicimus, nisi consonet legi aeternae totius honestatis regulae, nunquam reipsa honesta est, adeoque nec laudabilis, nec meritoria praemii: idque verum est, etsi actio procedat ex judicio apud nos non tantum probabili, sed certo, immo certissimo. Siquidem neque judicium hujusmodi, tametsi a culpa excusare quandoque valeat, sufficiens regula honestatis est. Falluntur propterea saepenumero plures, qui bene morati habentur, dum in iis, quae agunt, dictamina conscientiae suae passim jactant, atque iisdem freti securitatem in agendis sibi spondent. Si enim necessarium studium non adhibeant, ut actiones huic legi respondeant, quid prosunt ipsis sua dictamina, quae recta esse nequeunt, nisi conformia sint primae et universali totius rectitudinis regulae, atque mensurae?

III. *Monstruosa sententia Terilli de duplici lege aeterna, cum absurditatum ex ea prodeuntium.*

Monstrosum commentum est systema, quod in probabilitatis et ignorantiae praesidium excogitavit P. Antonius Terillus, de duabus aeternis legibus, altera *per se*, altera *per accidens*: itaut prior fit Dei voluntas, qua Deus directe, per se, et ex primaria intentione exigit a nobis aliquod obsequium, v. g. qua praecipit observationem Decalogi: altera obliget non directe et ex primaria intentione, sed solum ex suppositione alicujus ignorantiae vel erroris in mente creaturae. Ex qua doctrina infert ille, tum *universaliter loquendo ultimum conscientiae dictamen esse verum et evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili: tum voluntatem conformem dictamini conscientiae etiam vincibiliter errantis conformari cum aliqua voluntate Dei* (*sive lege*) *saltem per accidens obligante, aut consulente.* Patet falsitas hujus putidissimi commenti ex iis, quae dicta sunt cum S. Thoma P. Ignatius de Camargo in suo Opere *de regulis honestatis moralis* ipsum absurditatibus plenissimum ostendit. Unam accipe ex 1. p. lib. 1. controv. X. a. 1. » Quoties Judaeus e. g. obcaecatissimus et ob» stinatissimus firmiter apud se concludit, Christum fuisse blasphemum » ac seductorem, adeoque sibi merito execrandum; hoc ipsius di» ctamen esset *absolute verum et evidens*; et ex illius suppositione jam

» Deus ipsi consulit aut jubet, ut Christum detestetur aut contemnat ». Plures alias non minus absurdas et horribiles consequentias ex eadem doctrina necessario colligi, nemo non intelligit.

CAPUT II.

De lege naturali.

I. *Notio legis naturalis, ejusque illustratio.*

Quum lex aeterna maxime nobis innotescat per legem naturalem, quae ejusdem partecipatio est, idcirco post tractationem illius, de hac statim sermo habendus est. Lex naturalis definitur *ordinatio rationis practicae in bonum commune, menti nostrae a Deo indita, eaque praecipiens aut vetans, quae lumine naturali cognosci queunt.* Lex naturalis non est aliquid diversum a lege aeterna *passive* considerata; sed quaedam tantum participatio ejusdem in ratione humana, sive lex eadem aeterna saltem inadaequate communicata rationali creaturae, per quam dirigitur, atque ipsa per rationem se dirigit in finem, et actus naturae suae consentaneos ac debitos: quod eleganter explicat S. Augustinus 14. de Trin. c. 15. similitudine anuli, qui cerae imprimitur, inquiens: » Ubi scriptae sunt regulae de bono et justo, et » honesto; nisi in libro lucis illius, quae veritas est? unde omnis » res justa describitur, et in cor hominis, qui operatur justitiam, non » migrando, sed tanquam imprimendo transfertur: sicut imago ex » anulo et in ceram transit, et anulum non derelinquit.

II. *Quomodo imprimet Deus, humanae menti, legem aeternam.*

Imprimit autem Deus legem aeternam in creatura rationali, dum ab ipsa creatione sua inserit humanae menti dictata quaedam universalia, sive judicia absoluta, necessaria et praeceptiva de bono et malo, quibus se dirigat in fines, et actus naturae suae convenientes, quorum omnium caput, et universalissimum principium illud est, *bonum est faciendum: malum est fugiendum;* ad quod caetera referuntur, ut *omne injustum est vitandum: virtutes amplectendae: vitia abominanda; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Deus est colendus: Parentes honorandi,* et id genus alia, in quibus proprie consistit lex naturalis, quae regula et mensura est humanarum actionum. Nam ut sapienter animadvertit S. Thom. hic q. 91. a. 3. ad 2. ratio quidem humana regula est ac mensura humanorum actuum, non tamen prout in se praecise consideratur, sed quatenus impressas habet notiones et ideas boni et mali, sive honestatis principia; unde in his potius lex naturae constituenda est. Necessariae enim conditiones cujusque regulae sunt, ut sit firma, constans et invariabilis. Ratio autem humana, si spectetur secundum se, firma non est, sed inconstans et variationi obnoxia, solaque incommutibili aeterna Dei lege firmari potest. Ex quibus omnibus satis enitescit legitima legis naturae notio, quin necesse sit, ut in singulis traditae definitionis particulis explicandis detineamur.

III. *Legis naturalis applicatio, et promulgatio.*

Lex naturalis, quam in dictatis quibusdam necessariis sitam esse diximus de bono et malo, quae nemo in seipso non percipit, satis homini applicata fuit, atqueo adeo satis promulgata; quin addo,

nullam aliam legem magis fuisse applicatam et promulgatam. Nam *promulgatio legis naturae*, ut docet S. Thomas hic q. 90. a. 4. *est lex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* Inseruit autem eo ipso instanti, quo animam condidit ratione praeditam, etsi illam actu homo non cognoscat, nisi quum ad usum rationis pervenerit.

CONSECTARIA.

I. *Refellitur sententia eorum, qui legem naturalem de medio tollunt.*

Rejicienda tanquam falsa, absurda et impia est sententia Spinozae, Hobbesii, aliorumque recentium, qui legem naturalem de medio tollunt, contendentes, nihil esse natura sua bonum aut malum, sed sola opinione hominum, vel humanis legibus actus omnes humanos, honestos vel turpes dicendos esse. Quisque enim clare in se percipit varia dictata practica, quorum specimen dedimus, quibus non minore necessitate assentitur, quam aliis evidentibus speculativis principiis: neque enim quantumvis quispiam vim menti suae inferre conetur suadere sibi unquam poterit e. gr. non esse malum *injuriam pro beneficio rependere.* At haec dictata practica neque effinximus ipsi, neque labore nostro aut meditatione comparavimus. Ea igitur menti nostrae nonnisi Deus impressit. Vult ergo Deus ac jubet, ut ad hujusmodi dictata actiones nostras componamus. Stultum siquidem est cogitare, frustra Deum ea inserere voluisse: aliunde vero quid aliud est hujusmodi impressio, nisi quaedam divinae voluntatis manifestatio et denunciatio? Nullus autem sapiens rector regulam promulgat aut denunciat, quam non velit observari. Quum igitur velit Deus, hujusmodi dictata observari ab hominibus, quis adeo amens ac delirus est, qui naturalem legem in iis dictatis consistentem hominibus imposuisse neget?

II. *Quo sensu dicatur, alia esse mala, quia prohibita, alia prohibita, quia mala.*

Ex iis, quae dicta sunt, infertur, quo sensu accipienda sit distinctio illa malorum, *alia* nempe *esse mala quia prohibita*, alia *autem prohibita, quia mala.* Id explicat S. Th. p. 2. q. 71. a. 6. ad 4. » Dicendum, quod quum dicitur, quod *non omne peccatum ideo est » malum, quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus » positivum.* Si autem referatur ad jus naturale . . . . . *tunc omne » peccatum est malum, quia est prohibitum:* ex hoc enim ipso, quod » est inordinatum, juri naturali repugnat ». Hinc mendacium, perjurium, odium Dei, et alia hujusmodi, quae sunt intrinsece mala, etsi nulla foret lex positiva sive divina, sive humana, essent nihilominus mala et peccata, quia legi aeternae et naturali repugnant.

III. *Falluntur qui putant, toties promulgari naturae legem, quoties aliquid agendum a nobis est.*

Absona admodum est aliquorum sententia, quam novissime amplecti videtur P. Alphonsus de Liguori (*in brevi Dissert. de usu moderato Probabilitatis*) qui censent, naturae legem haud fuisse promulgatam ab ipsa conditione cujusque rationalis creaturae, quin potius toties promulgari, quoties quidpiam a nobis agendum est, aut vitandum. Nam praeterquamquod est apertissime repugnans doctrinae S. Tho-

mae, qui expressis verbis, promulgationem legis naturae, fieri docet, in ipsa infusione animae in corpus humanum, etsi actu eam homo non cognoscat, nisi quum ad usum rationis pervenerit, quis ejus absurditatem non intelligit, dum considerat, tum nullam prorsus esse legem sive divinam sive humanam, quae ita promulgetur; tum hanc sententiam confundere penitus applicationem et promulgationem legis naturae, quae fit a Deo, cum applicatione legis jam promulgatae, quae fit ab homine ad peculiares suas actiones, ut rectae sint et honestae? Deus enim legem naturalem applicat et promulgat, dum imprimit humanae menti dictata illa universalia practica, quorum jam meminimus, quae sane praecedunt quamlibet actionem. At postea munus hominis est ea applicare ad opera, quae exercet, et ipsorum lumina ea persequi, quae illis conformia sunt, et vitare quae illis sunt dissentanea. Alia omitto absurda plurima, quae ex eadem sententia profluunt; vix enim persuadere mihi possum, in mentem alicujus, qui recte sapiat, venire potuisse.

CAPUT III.

De his, quae lege naturae continentur.

I. *Doctrina S. Thomae de primo praecepto legis naturae.*

Antequam quae lege naturae praecipiantur, quaeve prohibeantur, constituam, praemittenda doctrina est S. Th. quam habet p. 2. q. 94. a. 2. ubi de praeceptis naturalibus disserit, et an plura sint, et ad unum referantur generale praeceptum, seu principium, unde caetera fluant, disquirit. Sic igitur solidissima docet: » Praecepta legis na-» turae hoc modo se habent ad rationem practicam, sicut principia » prima demonstrationum se habent ad demonstrationem speculati-» vam: utraque enim sunt quaedam principia per se nota . . . . . » In his autem, quae in apprehensionem hominum cadunt, quidam » ordo invenitur. Nam illud, quod primo cadit in apprehensione, » est ens, cujus intellectus includitur in omnibus quaecumque quis » apprehendit. Et ideo primum principium indemonstrabile est, quod » *non est simul affirmare vel negare* (sive *impossibile est idem simul* » *esse et non esse*) quod fundatur supra rationem entis: et super hoc » principio omnia alia fundantur etc.

» Sicut autem ens est primum, quod cadit in apprehensione sim-» pliciter, ita bonum est primum, quod cadit in apprehensione pra-» cticae rationis, quae ordinatur ad opus. Omne enim agens agit » propter finem, qui habet rationem boni . . . . Hoc est ergo pri-» mum praeceptum legis, quod *bonum est faciendum et prosequendum,* » *et malum vitandum.* Et super hoc fundantur alia praecepta legis » naturae, ut scilicet omnia illa facienda vel vitanda pertineant ad » praecepta legis naturae, quae ratio practica naturaliter apprehen-» dit, esse bona humana.

II. *Revocatur ad hoc principium haec sententia:* naturalis ordo in omnibus servandus est.

Quoniam vero, ut saepissime docet idem S. Th. bonum *in ordine* consistit, malum autem *in perversione ordinis*, ideo majoris claritatis gratia primum ac generale praeceptum legis naturae, ex quo quae-

cumque alia naturalia praecepta proficiscuntur, constituo in hoc universali principio: *naturalis ordo servendus est*; adeoque quae hunc ordinem custodiunt, teneatur homo naturae lege prosequi: quae perturbant, fugere et aversari. Id consonum omnium est verbis Apostoli praecipientis 1. Cor. 14. *Omnia honeste et secundum ordinem fiant;* doctrinae S. Augustini, qui legem naturae definiens ait, esse *divinam rationem, aut voluntatem ordinem naturalem conservari jubentem, perturbari vetantem;* ac etiam S. Th., qui hic q. 71. a 6. docet, *peccatum ex hoc ipso, quod est inordinatum, juri naturali repugnare:* quod et alibi saepe repetit. Porro quum principium illud, *naturalis ordo servandus est*, primum et generale praeceptum statuimus, unde caetera fluant, hoc sensu intelligendum est, ut ita affectus nostros, et actiones nostras regere ac moderari teneamur, ut nunquam ab eo ordine, qui ab Auctore totius naturae Deo in rebus omnibus constitutus est, deflectamus; sed integre, exacteque custodiamus. Propterea idem S. Th. tum in summa, tum praecipue in lib. 3. cont. Gent. c. 114. usque ad 130. bonitatem et pravitatem actionum humanarum ex *ordine* sive conservato, sive perturbato continenter derivat.

III. *Quibus modis, ordo naturalis, spectari potest.*

Ordo autem naturalis, quem servare jubemur, et vetamur pervertere, spectari potest prout inest hominibus, sive partibus, quibus homines constant, tum actionibus, quas exercent, tum demum rebus, quibus utuntur. Et si primo quidem modo spectetur, triplex ordo conspicitur, nempe *hominis ad Deum*, *hominis ad alios homines*, *hominis ad semetipsum*, sive, ut aliis verbis utar, ordo *inferioris ad superiorem*, ordo *equalis ad aequalem*, ordo *ejusdem ad semetipsum.* Si vero considerentur partes, quibus homo constat, alius ordo emergit inter ipsas partes juxta tres naturales inclinationes, quae in ipso sunt, quasque hic recenset D. Th. a. 2. » Inest inclinatio hominis ad bo- » num secundum naturam, in qua communicat cum omnibus sub- » stantiis, prout scilicet quaelibet substantia appetit conservationem » sui esse . . . . secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis » specialia secundum naturam, in qua communicat cum ceteris ani- » malibus . . . . Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum se- » cundum naturam rationis, quae est sibi propria, sicut homo habet » naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoscat de Deo, » et ad hoc quod in societate vivat ». Quae tertia inclinatio quum hominis propria sit, ita principem locum obtinere debet, juxta ordinem a Deo praestitutum, ceterasque ita sibi subjicere, suaque mensura dimetiri, ut homo agere quidem possit secundum duas priores inclinationes, bonaque illi convenientia proponere; sed prout decet hominem ratione praeditum; ita scilicet, ut majore semper in pretio habeat animam, quam corpus, et rationem, quam sensum, aut sensibilem appetitum.

Ordo tandem, qui naturalibus actionibus inest, rebusque, quibus utimur, est *ordo medii ad finem.* Humana quippe ratio actiones hujusmodi expendens et cum earundem effectibus comparans statim intelligit, eas referri ad certos aliquos, ac determinatos fines. Ratio itidem dictat, hunc ordinem esse servandum, atque adeo malum esse et homine indignum praedictis actionibus aut rebus ad alios fines

veluti extraneos abuti. Unde satis apparet, nullum esse hominis actum, cujus rectitudo aut pravitas ex idea ordinis naturalis vel custoditi, vel perturbati derivari, ac definiri non possit.

CONSECTARIA.

I. *Deus est colendus et super omnia diligendus.*

Ex ordine *inferioris ad superiorem* sequitur 1. omnium praeceptorum naturalium primum hoc esse: *Deus est colendus.* Quum enim ceteris quibusque rebus Deus simpliciter et absolute praecellat, rerumque omnium creator sit, a quo totum habemus quod ipsi sumus, debetur ipsi summus honor, summus cultus, summa subjectio. Quare religio, quae circa cultum Dei versatur, de lege naturae est, et ab eadem praecepta: sicut e contra juri naturali repugnat, ab eodemque prohibetur quidquid cultui divino et reverentiae debitae Deo contrarium est. 2. *Deum prae ceteris omnibus, ac super omnia diligendum.* Hoc praesertim sumitur ex ordine medii ad finem. Quum enim Deus sit ultimus finis hominis, ad ipsum tendere, ipsique per amorem adhaerere naturali lege tenemur. Id explicat S. Thom. lib. 3. cont. Gent. c. 115. 3. Hinc eadem lege adstringimur, ut media ad finem hunc assequendum necessaria exquiramus, quaeque impedimento sunt, evitemus. Legatur S. Th. ibidem c. 129. 4. ex eodem principio sequitur, *iis, qui vel natura, vel pactione, sive contractu, vel alio quocunque titulo superiores nobis sunt, honorem, subjectionem, et obedientiam praestandam esse.*

II. *Honor superioribus exhibendus.*

Quamquam enim, si sola humana natura spectetur, omnes homines pares sint, nihilominus inter ipsosmet homines ordo quidam constitutus est. Nam certe parentes superioritatem quamdam ab ipsa natura sortiuntur in filios ex eo, quod ipsos genuerint, et aluerint. Principes etiam, Magistratus etc. obtinent praeminentiam, ac potestatem in subditos, quos gubernant, inductam primitus hominum conventione ad humani generis utilitatem. Domini pariter eamdem habent in servos. Quare sicut naturae ordo parentibus praescribit amorem, curam et educationem filiorum; ita hic praecipit erga illos honorem, subjectionem, obedientiam juxta illud: *honora patrem tuum et matrem tuam etc. Filii obedite parentibus etc.* Similiter ordo idem praefinit obsequium deferre Regibus ac Principibus, eorum leges ac praecepta observare, tributa pendere etc. juxta illud: *Regem honorificate: obedite praepositis vestris, et subjacete eis: qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, etc.*

III. *Quid tibi non vis, alteri ne feceris.*

Ex *ordine aequalis ad aequalem, et unius hominis ad alios homines* deducuntur haec naturalia praecepta, quae in idem redeunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quod tibi fieri vis, facias et alteri: nemini injuria facienda est.* Sunt enim omnes homines aequales in humana natura. Hinc vero tanquam ex fonte profluunt sex illa praecepta in Decalogo contenta, quibus prohibentur *homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium etc.* Hinc omnia officia justitiae, quae unicuique tribuit quod suum est; adeoque naturali jure prohibentur mendacium, fraudes, usurae, et id genus alia. Hinc eae vir-

tutes; quae superbiam, avaritiam, invidiam et iracundiam coercent. Quum autem homini in societate vivere proprium sit, *ex ordine unius hominis ad alios homines* consurgit, ipsum teneri quae societatem conservant fovere, quae laedunt, vitare. Ut enim docet S. Th. 3. cont. Gent. c. 128. homo naturaliter animal sociale est: *indiget enim multis, quae per unum solum parari non possunt.* Ex quo consequitur, praeceptum *naturale esse*, ut idem ait c. 11, *omnium hominibus*, *ut se invicem diligant.* Mutua igitur dilectio naturali lege praecipitur.

IV. *Quaerenda in omnibus pax est.*

Hinc etiam *quaerenda in omnibus et cum omnibus pax est:* adeoque naturali praecepto vitandae sunt discordiae, rixae, seditiones, susurrationes, detractiones, contumeliae etc. Hinc odia compescenda, injuriae dimittendae etc. Hinc pacta et promissa fideliter observanda. Nemo siquidem amare reapse alios, et pacem velle convincitur, qui pactis stare, et fidem servare detrectat.

Quoniam tres in unoquoque homine sunt generales inclinationes supra jam recensitae: ita naturae lege temperandae ac moderandae sunt, ut ea, quae hominis propria est ad bonum secundum rationem ceteras dirigat, eaque ipsis bona congruentia praestituat juxta modum ac mensuram, quae rationi conveniant. Hoc desumitur *ex ordine partium hominis ad invicem et mediorum ad finem.* Id praeclare exponit ac probat S. Th. eodem lib. c. 121. his verbis: » Sicut mens » hominis ordinatur, sub Deo; ita corpus sub anima ordinatur, et » inferiores vires sub ratione. Pertinet autem ad divinam Providen- » tiam, cujus quidem ratio homini proposita divina lex est; ut *sin-* » *gula* suum ordinem teneant. Est igitur sic homo ordinandus lege » divina, ut inferiores vires rationi subdantur, ut corpus animae, » et exteriores vires ad necessitatem homini deserviant »: juxta illud, *sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* Hinc secundum priorem inclinationem, qua homo appetit sui esse conservationem, *bona* sunt *naturaliter*, per quae vita hominis conservatur, usus ciborum et potuum, cupiditates ad finem conservationis, et pro mensura ejusdem expletae; sui ipsius tuitio adversus aggressores etc. Mala vero e contra, naturaeque lege probibita, quae sui ipsius ruinam inferunt, mutilationes, oppressiones, comessationes, ebrietates, eaque omnia alia, quae ejusdem inclinationis per rationem temperatae modum labefactant. Secundum alteram *bona* habentur, quae ad naturam propagandam, et prolem educandam conferunt: mala autem quotquot finem hunc pervertunt, aut impediunt ut adulteria, fornicationes, omnesque illae turpitudines, quibus ea peraguntur, quae effectum suum naturalem habere non possunt. Ex quo, inquit S. Th., *excluditur error quorundam dicentium, illa solum esse peccata, quibus proximus aut offenditur, aut scandalizatur.*

CAPUT IV.

De proprietatibus legis naturalis.

I. *Universalitas legis naturae. Quo sensu sit universalis.*

Quanquam alii plures, alii pauciores legis naturae proprietates recenseant, hae tamen frequentius ab Auctoribus constituuntur, nimirum *necessitas*, *universalitas*, *immutabilitas*, *certitudo*, et *perspicuitas*.

At in *necessitate* quidem adstruenda nihil est cur ulterius immoremur: constat enim ex dictis, ea, quae lege naturali praecipiuntur, natura sua atque adeo necessario esse bona; quae autem vetantur, necessario esse mala. Quare de aliis tantum aliqua dicenda sunt: ac primo quidem de *universalitate* legis naturae, de qua quaerimus, an haec naturali legi conveniat. Hoc autem duplici sensu intelligi potest: primo scilicet, *an lex naturalis sit una et eadem in omnibus hominibus*; secundo, *an omnes homines legis naturalis vinculo adstringantur*. Priore sensu statuo, legem naturae quoad prima et universalia principia unam esse, eamdemque apud omnes tum quoad cognitionem, tum quoad rectitudinem: quoad cognitionem quidem, quatenus omnes cognoscere ipsius principia, seu praecepta valent; quoad rectitudinem vero, quatenus ejus praecepta quoad omnes homines justa sunt ac recta. Sed quoad quaedam propria, sive quoad illa praecepta, quae ex principiis universalibus inferuntur, eamdem quidem plerumque esse apud omnes homines; deficere tamen posse apud aliquos tum quoad cognitionem, tum quoad rectitudinem. Propositio haec est ipsa S. Thomae doctrina q. 94. a. 4. De hoc defectu *quoad cognitionem* infra, *quum de perspicuitate legis naturae*. Priorem autem ita intelligere oportet ex eodem S. D., quod quum ratio practica circa contingentia seu circa humanas operationes versetur, quae nonnunquam variationem subeunt, idcirco, licet eorum, circa quae hujusmodi ratio versatur, sit aliqua necessitas quoad principia communia, quanto tamen magis ad particulares conclusiones descenditur, tanto magis inveniri potest mutabilitas ac defectus: quum conclusiones particulares propius respiciant operationes, atque ita multiplices circumstantias requirant, quas variari contingit; adeout ea operatio, quae in se spectata recta et honesta est, his tamen positis circumstantiis apud hos aut illos recta et honesta non esset, si exerceretur. Sicut, ut exemplo res clara fiat, haec lex naturae. *Homo juxta rationem agere debet*, aut ista, *Nemini injuria facienda est*, est principium commune practicum, quod apud omnes verum ac rectum est. Ex illo autem sequitur haec conclusio: *Oportet unicuique reddere quoad suum est;* ac insuper ista: *deposita sunt reddenda.* Haec autem conclusiones, quamvis ut plurimum verae sint ac rectae; in quibusdam tamen casibus verae non sunt, nec rectae, veluti si is, qui rem depositam petit, eam petat ad patriam impugnandam, vel ad sibi vel alteri nocumentum inferendum.

In altero sensu dicendum, eam generatim adstringere omnes homines, adeout nemo ab ejusdem obligatione eximatur. Id diserte traditur ab Apostolo ad Rom. 2., ubi loquens de iis, qui legem scriptam non acceperant, sed solam habebant naturalem legem, ait: *Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt:* quod scilicet naturalem legem violaverint, tametsi nihil de ea per legem scriptam audierint. Hoc etiam patet ex generali legis naturae ratione, quae quum a Deo sit, et quatenus in nobis est, sit efficax regula, et mensura humanorum actuum, conscientiam ad obediendum obligat sive sub gravi, sive sub levi culpa, prout materia gravis fuerit ac necessaria ad finem, aut levis et non necessaria ad finem eundem.

II. *Immutabilitas legis naturae explicatur.*

Altera legis naturalis proprietas est *immutabilitas.* Nemo in dubium revocat aut revocare potest, legem naturae, si generatim et absolute

spectetur, esse prorsus immutabilem. Ea siquidem nititur ipsa immutabilitate legis aeternae Dei, quae quum procul dubio quoad rem ipsam haud differat a divina natura, quum haec plane immutabilis sit, etiam legem ipsam mutari non posse necesse est. Et quum *bonum*, ut posuimus, in *ordine* consistat, et *malum in perversione ordinis*, quemadmodum Deus non potest non velle bonum, ac odisse malum, ita non potest non velle ordinem, et odisse ordinis perversionem; adeoque lex naturalis, si generatim et absolute spectetur, est penitus immutabilis, ut ne a Deo quidem mutari valeat, nedum abrogari. In se ipsa ergo pati mutationem non potest. Potest tamen solum quoad nos, sive respectu hominum, qui legi subjiciuntur. Hoc autem sensu duplex mutatio distinguitur ad mentem S. Thomae ar. 5., quarum altera *propria* dicitur, altera *impropria*. Si igitur loquamur de mutatione *proprie dicta*, quae fieret, *si aliquid desineret esse de lege naturali, quod prius fuit secundum legem naturalem*, resolvit S. Th., *legem naturalem esse omnino immutabilem quantum ad prima principia legis naturae*, sive quoad illa universalia dictata de bono et malo, quorum saepe facta mentio est: quoniam quum impressa jam sint in ipsa humana ratione ab Auctore naturae Deo, sicuti aboleri nequeunt in hominibus, sic nec aliquam in iisdem mutationem pati. Si vero sermo sit de lege naturae quoad *praecepta secundaria*, quae sunt quasi proprie quaedam *conclusiones proximae primis principiis*, docet idem S. D., legem naturae non ita immutari, quin *ut in pluribus* rectum semper sit, quod a lege naturali praecipitur: experientia namque constat, apud omnes nationes pietatem, justitiam, animum beneficio memorem, aliaque id genus recta esse; sicut et mala adulterium, furtum, mendacium etc. *In aliquo tamen particulari*, subdit, et *in paucioribus mutari potest*; et reipsa saepe mutatur, non quod rectum non sit, quod naturae lege praecipitur, aut malum esse desinat, quod ab ea prohibetur; sed *propter aliquas speciales causas impedientes observantiam talium praeceptorum*, ut dictum est ar. praec. nimirum *de depositis non reddendis*, *quando reddere sit damnosum*, *puta si aliquis petat ad impugnandam patriam*.

Quoad mutationem *improprie* dictam spectat, eam subire posse legem naturalem, dubitandum non est. Ea autem duplici pacto fieri valet, nempe ratione *additionis*, et ratione *subtractionis materiae*. Explicatur. Tunc lex naturalis mutari ratione *additionis* dicitur, quando ipsi quidpiam additur, quod absolute ab ea minime requiritur: atque hoc pacto per leges positivas sive divinas sive humanas plura sunt instituta, quae vel hominem ad aliquid obligant, ad quod naturae lege non obligatur: vel ad alicujus actus valorem amplius exigunt, quam exigatur ab eadem lege. Sic in Vet. Testamento plura moralibus praeceptis adjecta sunt tum judicialia, tum caeremonialia. Itidem in Novo variae additae sunt divinae leges de Fide, de Sacramentis etc. ac etiam plurimae aliae leges tum Ecclesiasticae, tum Civiles, quae vel quidpiam supra naturae legem imponunt ad exactiorem ejus observantiam, aut ad communem civium utilitatem, vel quidpiam requirunt ad valorem aliquorum actuum, puta Matrimonii, aliorumque contractuum, promissionum etc. quod non re-



quiritur a lege naturae. Verum haec mutatio valde *impropria* est, nec presse loquendo mutatio dici valet, quum intactam omnino relinquat ipsam naturae legem.

Tunc mutatio impropria est ratione *subtractionis*, quando materia, quae legi subjecta erat ob occurrentes circumstantias a legis subjectione subtrahitur. Hoc autem modo naturae lex quandoque mutationi obnoxia est in iis praeceptis, in quibus haec subtractio locum habere potest (sunt enim plura naturae praecepta, quae hujusmodi mutationi non subjacent, e. g. *Deus est colendus: Justitia servanda: non mentiendum:* hisque similia, quae ita intime continent honestatem, ut nullam ex quacumque circumstantia mutationem subeant, quaecumque occurrat in materia mutatio) sunt enim alia praecepta, in quibus licet secundum se et absolute mutationis expertibus, occurrere quaedam circumstantiae queunt, ob quas objectum sive materia a legis obligatione subtrahatur; adeoque eo in casu cesset lex illa naturalis, vimque obligandi non exerceat. Id autem contingere dupliciter potest: primo si Deus ipse absoluta potestate sua rem aliquam subtrahat a legis naturae obligatione. Quum enim nemo ambigere queat, jus Dei latius multum patere, quam jus creaturae, suum jus ita Deus potest alteri communicare, sive illum juris sui administrum et instrumentum assumere: ex quo facile intelligitur: quomodo homini illi quidpiam liceat divino jure, quod absolute nequaquam liceret. Secundo, si causae aliquae speciales concurrant, quae talium praeceptorum observantiam impediunt, quin immo materiam eorundem alteri praecepto subjiciant itidem naturali, quod tunc praevalere debeat, graviorem que obligationem inducat. Vulgatum illud de re hac exemplum affert S. Th. circa depositi restitutionem: siquidem » lex naturalis est, inquit hic ar. 4 quod *deposita » sint reddenda:* et hoc quidem ut in pluribus verum est; sed potest » in aliquo casu contingere, quod sit damnosum, et per consequens » irrationabile, si deposita tradantur, puta, si aliquis petat ad im» pugnandam patriam ».

III. *Certitudo legis naturalis explicatur.*

Tertia legis naturae proprietas est certitudo. Nemo est, qui neget, aut negare valeat, naturae legem, nedum prout in Deo, sed etiam prout in nobis est, omnimoda gaudere certitudine. Quum enim, ut consideratur in nobis, nihil aliud sit, quam *participatio legis aeternae in creatura rationali*, sive impressio quaedam divini luminis in humana ratione; quemadmodum lex aeterna, aut divinum lumen regula et mensura certissima est, ita quoque certissima sit oportet hujusmodi participatio, sive impressio nostrae menti facta. Plane, si principia spectemus universalia rationis practicae superius indicata, in quibus lex naturae consistit, haec non minus certa sunt, nec minus certo nobis innotescunt, quam prima principia universalia rationis speculativae; si vero consideremus conclusiones, quas inde deducimus, de his quoque quis neget, nos habere posse omnimodam certitudinem, non minus quam habemus de iis, quae ratiocinando colligimus ex primis principiis speculativis! In morali enim disciplina, aeque ac in disciplinis theoreticis ac mathematicis, suppetere principia certa, ideas claras ac necessariam inter eas connexionem,

nemo non intelligit, qui non attente perpenderit. Cui siquidem exploratum non est, si serio mentem intendat, cum hoc e. g. principio, *nemini injuria irroganda est*, necessario connecti haec praecepta, *non esse maechandum*, *non esse furandum*, *non falsum testimonium dicendum etc.* Atque ita pariter tum ex hoc, tum ex aliis primis principiis practicis, quae actiones justae sint et honestae, quae injustae, et inhonestae, sive licitae aut illicitae, certo definire possumus, atque id quidem continuata ratiocinationum serie, quousque ad actiones etiam minimas perveniamus, dummodo sistamus intra propositiones universales, quae solae sunt demonstrationis capaces, solaeque ad scientiam propriae spectant.

Quanquam autem tum principia legis naturae, tum etiam conclusiones practicae, quae ex iis inferuntur, plena gaudeant aut gaudere possint certitudine, si in universali spectentur; negari tamen minime valet, plura esse ad legem naturae pertinentia nobis incerta et obscura ob imbecillitatem humanae mentis, aliasque causas, quae impediunt rectam ac legitimam principiorum communium ad actiones particulares applicationem: quod etiam contingere in principiis ac scientiis theoreticis experientia manifestat. Id cernere est in permultis illis quaestionibus, quae disputantur apud Theologos magna opinionum inter se dissensione, in quibus hanc aut illam actionem sive omissionem naturali lege praeceptam, aut vetitam alii docent, alii negant: omnesque non demonstrativis quidem, sed probabilibus argumentis ad sententiam suam confirmandam utuntur. Hinc S. Th. 2. 2. q. 47. a 5. colligit necessitatem virtutis prudentiae, ut homo in suis actionibus certum attingat operandi medium, recteque applicet principia universalia ad actiones particulares.

IV. *Perspiquitas legis naturalis explicatur.*

Valde affinis est quarta proprietas, nempe *perspicuitas*, alteri de qua modo verba fecimus, quaeque de legis naturae *certitudine* diximus, aptanda similiter sunt claritati, sive perspicuitati ejusdem, adeo ut, si certa lex est quoad principia universalia et conclusiones, quae ex iis per ratiocinationem inferuntur, aut inferri facile possunt; ita quoad eadem principia et conclusiones practicas, saltem proximiores, clara sit et comperta; dummodo ad ea consideranda homines animum advertant, nec luci ejusdem apponant impedimenta. Profecto maxime decuit providentiae divinae, ut haec naturalia praecepta, quibus homo ad felicitatem naturae suae comparandam ordinatur, obscura non essent, neque adeo intellectu difficilia, ut generatim a cujusvis conditionis ac status hominibus cognosci minime possent. Accedit in confirmationem experientia certissima. Nam modica certe consideratione opus est ut v. g. notitia acquiratur nedum illius generalis praecepti: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* sed etiam aliorum, quae ex illo, veluti sua sponte consequuntur. Nullo enim ferme negotio statim quisque perspicit, a quibus cavendum, aut temperandum sibi sit erga alios, dum semetipsum considerat, et abs se exquirit, num vellet, aut libenter ferret, eadem sibi fieri. Dubitari itaque minime potest, quin juris naturae praecepta, saltem *generatim* inspecta, sint adeo clara, cognituque facilia, ut nemo eorundem ignorantiam praetexere jure valeat.

V. *Undenam plures et integrae quandoque nationes clariora juris naturae praecepta non videant.*

At si res se habeat, undenam ea, quam cernimus, nedum in privatis quibusdam hominibus, sed etiam quandoque integris nationibus ignorantia, ut etiam veritates illas practicas, quas primis principiis proximiores dicimus, minime perspectas habeant, eaque sibi licere persuadeant, quae cum ipso jure naturali aperte pugnare existimamus? Responsio patet ex iis, quae superius indicata sunt ex S. Th. hic q. 94. a. 4. nimirum, quod *quantum ad quaedam propria, quae sunt quasi conclusiones principiorum communium, lex naturae deficere potest quantum ad notitiam propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturae: sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, quum tamen sit expresse contra legem naturae: sive* ut ait a. 6. *propter malas persuasiones (eo modo, quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias), vel etiam propter pravas consuetudines et habitus corruptos: sicut apud quosdam latrocinia non reputabantur peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit Rom. 1.*

Consectaria.

I. *Consectaria ex prima juris naturae proprietate: sententia licitum facientium Principibus quidquid ipsis libuerit falsa et impia est: falsum quoque effatum inter arma silere leges.*

Ex tradita de *universalitate* legis naturae doctrina sequitur, legem naturae nunquam aboleri posse de corde hominis quoad prima principia. Deleri enim non potest, nisi deleatur humana natura, cui indita et congenita. Deleri tamen quoad applicationem ad opera particularia, quemadmodum saepe deletur vel propter concupiscentiam aestuantem, aut aliam similem caussam. Pariter quoad conclusiones ex primis principiis etiam proxime deductas deleri posse, sive corrumpi eo modo inquit S. Th. *quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias*, scilicet propter *malas persuasiones, pravas consuetudines, et habitus corruptos.* Hinc falsa et impia sententia est quorundam Pseudopoliticorum, quibus adstipulari videtur Pufendorfius, Reges et Principes nullis omnino legibus ne quidem naturalibus adstringi, ipsisque licitum esse quidquid utile arbitrantur. Quid enim? nonne et ipsi homines sunt, sicut et ceteri? nonne et ipsi Deo subjiciuntur? Igitur et naturali legi subjecti sunt, quae a Deo cunctis hominibus denunciata est, et in corde hominum impressa. Falsum quoque et impium dicendum est effatum illud satis vulgare, quodque etiam a viris doctis, ac sapientibus interdum obtruditur, scilicet *inter arma silere leges*, si hoc sensu accipiatur, ut bella gerentibus omnia liceant, quae ad victoriam conferunt, aut conferre valent, ipsique sive duces, sive milites immunes reddantur a legum etiam naturalium obligatione. Si autem eo significetur duntaxat, quod in bello, sive *inter arma* belligerantium nequitia usuvenire solet, experientia nimium lugenda comprobatur.

II. *Consectaria ex altera juris naturae proprietate. Quae non cadunt sub jure naturae* praeceptivo, *sed tantum* concessivo *mutationi subjecta*.

sunt: Et quae praecepta naturalia desinere possunt ratione mutationis materiae, quae non.

Alterius proprietatis haec sunt consectaria. 1. Licet quae sub jure naturali *praeceptivo* nulli subsint mutationi, ut dictum est: non ita tamen quae continentur sub jure naturali concessivo, aut mere approbativo: quod egregie explicatur a S. Th. hic ad 3. » Aliquid » dicitur esse de jure naturali dupliciter. Uno modo, quia ad hoc » natura inclinat, sicut *non esse injuriam alteri faciendam*. Alio modo » quia natura non inducit contrarium . . . . . Et hoc modo *com» munis omnium possessio et una libertas* dicitur esse de jure naturali; » quia scilicet distinctio possessionum et servitus non sunt inducta a » natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humane vitae ». Quare quum haec non cadant sub naturae jure *praeceptivo*, potest aliquis, et quidem saepe laudabiliter communem vitam amplecti, aut aliter se tradere in servitutem. Quamvis autem haec non inducant ex se obligationem; fieri tamen potest talis in materia legis naturae mutatio, ut sub ejus obligatione cadant, quae antea non cadebant. Sic bonorum divisio de jure tantum naturali concessivo est; at, ea posita, est etiam de jure naturali *praeceptivo*, quod bona illa, quae sibi alter propria fecit, eo invito, ab ipso non auferantur. 2. Non est mutatio legis nisi *improprie* dicta, quae facta est per leges, vel canonicas vel civiles, dum ad valorem vel matrimonii vel testamenti vel aliquorum contractuum plures testes requirunt, quae non requiruntur ex lege naturae. 3. Tametsi furtum lege naturae prohibitum sit, licuit nihilominus populo Israelitico res pretiosas Ægyptiorum surripere, Deo illis auferendi potestatem faciente, qui velut supremus rerum omnium Dominus in Hebraeos dominium illarum transferre potuit, vel ut supremus judex debitam eisdem laborum mercedem adjudicare. Licuit Abrahamo innocentem filium interficere, jubente Deo, qui supremum habet vitae cujusque dominium. Licet Magistratibus morti addicere publica authoritate flagitiosos homines ob tranquillitatem, bonumque commune conservandum. 4. Licita est bonorum praescriptio, vi cujus bona, quae erant unius, hoc etiam invito, positis necessariis conditionibus, evadant alterius. Sicut enim gentium consensione divisio rerum facta est ad submovendam confusionem, aliaque gravissima incommoda; ita ad finem eundem bonorum praescriptio invecta fuit, tantumque abest, ut juri naturali adversetur, etsi adversari prima fronte videatur, quin potius eidem valde consentiat. 5. Nulla fieri valet adversus jus naturale legitima praescriptio, adeo ut quantumvis praevaleat consuetudo contraria, nunquam abrogetur, aut obligare desinat. Si enim naturale jus neque ab ipso Deo abrogari potest, multo minus abrogari poterit ab hominibus, sive ab humana consuetudine. Hinc manifestum fit, nullam potestatem humanam nec Principum nec SS. Pontificum abrogare aut derogare posse alicui juris naturae praecepto, nec in eo dispensare, praecepti materia invariata permanente. Jus namque naturae quoad omnia sua praecepta invariabile est; adeoque nulla potestate fieri potest, ut usurae v. g. licitae evadant. 6. Demum praeceptorum naturalium mutatio nunquam fit ex parte materiae, quum aliquid praecipitur in aliqua determinata materia, quae honestatem neces-

sario conjunctam habet: vel aliquid vetant, quod est intrinsece malum. Sic nulli sunt obnoxia mutationi haec praecepta: *Colendus est Deus: Justitia servanda etc.* Quae vero jubent, quorum materia honestatem necessario conjunctam non habet; aut vetant, quorum materia secum affert turpitudinem, aut inordinationem ab ipsa haud penitus insuperabilem, mutationem ex hac parte subire valent, ut *non occides; non furaberis*, et alia, quae mutatis circumstantiis licita nonnunquam fiunt, quia a legis naturae obligatione extrahuntur.

III. *Consectaria ex tertia juris naturae proprietate. Falsa Hobbesii aliorumque sententia.*

Ad tertiam proprietatem spectant haec. 1. Repudianda est tamquam falsa et absurda sententia Hobbesii asserentis, neminem habere posse de praeceptis naturalibus certitudinem citra divinam revelationem, eamque sibi peculiariter factam. Hoc enim perinde est ac asserere, nullam nos habere certitudinem legum naturalium vi principiorum, quae cuilibet rationali creaturae Deus indidit: quod falsum esse jam demonstravimus, et absurditate plenum est. 2. Neque audiendi sunt Neoterici quidam, qui contendunt, primaria principia, atque adeo totam certitudinem juris naturalis solummodo ex traditione ab Adamo in posteros continenti successione profecta nobis innotescere. Ut enim concedamus, quaedam ex iis principiis perenni hominum traditione probari posse, quod sane difficillimum est, ac forte impossibile; mordicus tamen negamus, etiam absque hujusce traditionis beneficio, haud nobis certo constare naturae leges, ut ex iis, quae diximus, manifestum est. 3. Ea populorum, gentiumque dissensio, quam cernimus, circa honestatem actionum ad jus naturae pertinentium, oritur tum ex corruptione naturae, tum ex caussis aliis extraneis, ex quibus nullatenus evinci potest, incerta esse praecepta naturalia saltem communiora, et proximiora primis principiis, ut superius dictum est. 4. Illud diligenter animadvertendum adversus nuperos aliquos Probabilistas, et ex dictis colligendum, quaestiones de pluribus jus naturae spectantibus, quae inter Theologos magna opinionum varietate disceptantur, nec efficere nec ostendere, legem naturalem esse dubiam aut incertam, quam immo semper certissimam praesupponunt; sed spectare casus et actiones particulares, num scilicet sub naturali lege comprehendantur, necne, ob qualitates et circumstantias, quibus afficiuntur, alii quidem affirmantibus, alii negantibus. E. G. disputatur, num contractus, quem *triplicem* vocant, justus sit, vel injustus. Theologi omnes in hoc conveniunt, legem existere apud omnes certissimam, quae *injustitiam* prohibet, ac praecipit *justitiam*, neque de hoc ulla inter ipsos concertatio est, solumque disputant, num in eo contractu tales deprehendantur characteres, aut circumstantiae, ob quas legi justitiae adversetur. Qui *injustum* asserunt, tales circumstantias in eo inveniri affirmant ac probant; qui negant, easdem non inveniri contendunt, atque adeo dubia quidem et incerta est illius contractus honestas, quia dubia quoque est oppositio cum lege, non autem legis existentia injustitiam prohibentis, quam omnes agnoscunt, et profitentur.

IV. *Consectaria ex quarta juris naturae proprietate. Unde proveniant errores, qui sepe occurrunt in humanis actibus.*

Consectaria ad quartam proprietatem pertinentia haec sunt. 1.

Quum et prima principia legis et praecepta, quae ex iis proximius deducuntur satis clara et pervia omnibus plerumque sint; errores, qui practice occurrunt in rebus moralibus, non aliunde proveniunt, nisi ex eo, quod vel non applicantur principia, vel non recte applicantur, sicuti applicari deberent, ad particulares actiones. Ita S. Th. loquens de consc. q. 17. de Ver. a. 2. Sic v. g. hoc principium: *unicuique tribuendum, quod suum est*, vel *nemini irroganda est injuria*; clarissimum est et ad omnibus cognitum, nec errori subjectum. At saepe contingit, quod aliquis ex amore divitiarum non applicet hoc principium ad hunc, vel illum contractum, aut non recte applicet, adeut concludat, ineundum esse contractum, quod *usurae* labe infectum est. 2. Falsa est et omnino reprobanda sententia plurium Theologorum, qui quaedam etiam Decalogi praecepta, aut alia ad ipsum proxime spectantia ignorari invincibiliter, et sine culpa posse docent. Haec enim ignorantia non aliunde oritur, quam vel ex passione, vel ex habitibus corruptis, aliisque similibus caussis, quibus ratio obnubilatur, adeoque nonnisi ex aliqua culpa lex naturae non cognoscitur. 3. Legis naturae dictamini satis obvio atque perspicuo repugnari dicendi sunt, qui inter opiniones probabiles vel minus tutam vel minus probabilem aut sequuntur, aut sequi nos licite posse docent. Hoc inter alia plura, quae modo praetereo, constat argumento producto a viro doctissimo Antonio Jennensi iu suis *Elementis* Metaph. Tom. 5. p. 156. cujus verba afferre lubet: » Nemo, *inquit*, » ignorare potest, nisi sit omnino stupidus, hominem naturae ipsius » dictamine certum tenere debere ad finem suum iter, si quidem » illud occurrat inquirenti perdiligenter. Quod si post accuratam et » sedulam diligentiam adhuc lateat, idem *rectae rationis dictamen* » *exigit*, ut in *dubio pars tutior eligatur: in probabilibus vero proba-* » *bilior*, veluti fini propinquior. Eam regulam in ceteris humanae » vitae negotiis homines natura ipsa instigante sectantur etc. ».

DISSERTATIO II.

De Lege Positiva Divina, et Humana.

Lex positiva generatim sumpta est illa, quae libero decreto a Legislatore lata est, et aliquo exteriore signo promulgata in bonum communitatis, adeoque a naturali distinguitur, quae necessario consequitur rationalis naturae conditionem, et hoc ipso promulgatur, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam. *Ea duplex est, altera* positiva divina, *altera* positiva humana. *De priore agimus in hac Dissertatione, de altera acturi in sequenti.*

CAPUT I.

De necessitate ac definitione legis positivae divinae.

1. *Necessitas divinae legis positivae ex S. Thoma.*

S. Thom. q. 91. a. 4. ostendit necessitatem legis positivae divinae praeter legem naturalem et legem humanam: tum quia homo ordi-

natur *ad finem beatitudinis aeternae, quae excedit proportionem naturalis facultatis humanae: ideoque necesse fuit, ut supra legem naturalem et humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data.* Tum *propter incertitudinem humani judicii, praecipue de rebus contingentibus et particularibus.* Tum demum *quia judicium hominis esse non potest de interioribus actibus, qui latent, sed solum de exterioribus motibus, qui apparent; quum tamen ad perfectionem virtutis requiratur, quod in utrisque actibus homo rectus existat.* Necessaria ergo est lex divina ad interiores actus cohibendos et ordinandos.

II. *Definitio legis positivae, et in quo differat a naturali.*

Ex dictis facile colliges, quaenam sit notio legis divinae positivae; *Lex divina positiva est ordinatio divinae rationis signo aliquo exteriore libere a Deo promulgata, per quam homo certe dirigitur in omnibus actionibus suis ad finem beatitudinis aeternae.* Haec definitio ex praemissa S. Th. doctrina satis de se perspicua est; et ex ea constat, in quo conveniat lex divina positiva cum lege naturali, et in quo differat. Convenit cum lege naturali, quae pariter divina est, sive quaedam et ipsa ordinatio facta a supremo legislatore Deo, et utraque etiam participatio quaedam est legis aeternae in rationali creatura: ab ea vero differt, tum quia lex naturalis indita est humanae rationi, eique convenit ut quaedam ejusdem proprietas; lex autem divina positiva libero Dei decreto promulgatur, divina scilicet revelatione in sacris Scripturis nobis proposita; tum quia illa ordinat hominem in finem non excedentem proportionem naturalem facultatis humanae: haec vero in finem sublimiorem, ad quem per gratiam elevatus est, scilicet ad beatitudinem aeternam in clara Dei visione positam; tum quia ad hunc finem praecepta addit praeter ea, quae in lege naturae continentur. Quam vero differat a lege humana nemo non videt, sive spectetur hujusce legis conditor, sive finis, in quem ordinat, sive ejus defectus tum in praeceptis, quae constituit, tum in eorum rectitudine.

CONSECTARIA.

I. *In quibus sequi oporteat legem positivam divinam, quamvis naturalis ipsi nobis videatur opposita.*

In praeceptis, quae ex lege naturali colliguntur per applicationem primorum principiorum ad *particulares conclusiones*, ut inquit S. Th., sequi potius debemus, quae lege positiva divina in sacris Scripturis nobis praescripta sunt, quam quae per humanam rationem cognoscimus. In his enim humana ratio per originale peccatum praesertim obscurata aliquando fallitur, ut patet in antiquis Philosophis, qui tot scelera adversus ipsum Decalogum permiserunt; e. g. in Platone, qui monstruosam permisit uxorum communitatem.

II. *Humanae leges justae sunt, si cum lege divina consentiunt. Nemo itaque obedire tenetur nec debet humano praecepto, si divino repugnare videatur.*

Quum de quibusdam humanis legibus dubitatio est, an justae sint et honestae, eas conferre oportet cum lege divina; et si quidem cum ipsa consentiant, aut saltem non adversentur, justae censendae sunt: secus vero si quidpiam praecipiant aut prohibeant, quod eidem

contrarium sit. Hinc falsa et omnino rejicienda est Authorum quorundam sententia, qui eo extendunt virtutis obedientiae humanis superioribus debitae officium, ut doceant, subditos parere debere in iis etiam, quae sibi ipsis pugnare videntur cum lege, sive praecepto divino. Hic etiam habere locum debet illud Apostoli Petri ad Principes Synagogae: *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Nam Deus supremus Superiorum omnium est, cujus praeceptis nullus error subesse potest; quum e contra humani, quicunque sint, superiores falli queant sive ex ignorantia, sive etiam ex malitia. Unde S. Bernardus, cujus authoritate abuti solent, qui contra sentiunt, tract. de praec. et dispens. cap. 12. quum dixisset: *sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum,* subjungit statim: ubi tamen Deo contraria non praecipit *homo.*

CAPUT II.

De definitione et divisione legis humanae, ac de jure gentium.

I. *Definitio legis humanae.*

Ex ea, quam ab initio dedimus legis in communi notione, facile constat, quaenam definitio aptanda sit legi humanae generatim inspectae, quod nempe sit: *Quaedam ordinatio rationis ad bonum commune hujus vitae, ab homine authoritatem habente condita et promulgata.* Quapropter lex humana in eo et a divina naturali et a divina positiva distinguitur, quod illius conditor homo sit, et felicitatem temporalem duntaxat respiciat; harum vero author sit ipse Deus, et ad finem altiorem, divinioremque ordinentur, praeter alias differentias, quae infra constabunt.

II. *Divisio legis humanae.*

Divisio legis humanae non eadem est penes Authores, pluresque S. Th. divisiones adfert hic a. 5. prout ea sub diverso respectu, aut ratione considerari potest. Ceteris omissis eam amplector, quam ipse S. D. primo loco proponit, scilicet *in jus gentium,* sive legem *gentium,* et legem *civilem,* sub qua comprehendimus legem Ecclesiasticam, quamvis relate ad finem ab aliis differat: de quibus in sequentibus agemus, ac primo de *jure gentium:* hic pauca dicemus.

III. *Definitio juris gentium, ejusdemque explicatio.*

Jus gentium est lex positiva humana ab omnibus, vel plerisque gentibus usu et consuetudine constituta ac recepta. Dicitur in primis *lex:* non enim jus modo sumitur pro *facultate:* lex, inquam, sive ordinatio rationis efficax, adeoque regula et mensura, secundum quam ad aliquid agendum inducimur, vel ab agendo retrahimur. Subditur *positiva humana: positiva* quidem, qua parte differt a lege naturali, quae rationali creaturae indita est; *humana* vero, per quam distinguitur a lege positiva divina. Demum adduntur ceterae particulae, *ab omnibus vel plerisque gentibus usu et consuetudine receptae;* quibus jus gentium secernitur ab alio quocunque jure, sive lege nedum naturali, ac positiva divina, sed etiam civili, aut positiva humana. Ideo autem dixi *ab omnibus vel plerisque gentibus constituta:* neque enim ab hujusmodi jus necesse est, quod gentes omnes in eo probando

consentiant, aut penes omnes usus illius et consuetudo invaluerit; sed sufficit, ut vigeat apud plerasque praesertim cultiores aut politiores.

IV. *Exempla juris gentium.*

Ut nonnulla Juris gentium exempla proferamus, contractus et commercia cum aliis nationibus de jure gentium sunt quoad aliquam partem. Tria enim in iis distingui possunt. 1. peculiaris contrahendi modus, qui plerumque pertinet *ad jus civile*, ac saepe fieri valet ex solo contrahentium arbitrio, nulla ceteroquin lege repugnante. Alterum est observatio contractus initi et consummati: et hoc pertinet *ad jus naturale*. 3. Libertas contrahendi et ineundi commercia cum hominibus etiam extraneis, et non inimicis: et haec est de *jure gentium:* quoniam jus naturae illam neque vetat, neque praescribit: potuisset enim una republica absolute per se vivere, ac nolle commercium cum aliis, etiamsi nulla adesset inimicitia. At jure gentium introductum est, ut contractus et commercia libera forent, violareturque hujusmodi jus, dum citra caussam rationabilem prohiberentur: atque hoc pacto intelligendum arbitror, quod dicitur in §. *jus autem etc. Ex hoc jure gentium pene omnes contractus introductos esse, emptiones, venditiones etc.* Idem dici potest de *rerum divisione ac proprietate*, quam ob gravissimas caussas introductam esse non *jure naturali* sed *gentium* omnes consentiunt. Si quis enim nunc alium vivendi modum in aliqua natione vellet invehere, populosque ad bonorum communionem sectandam inducere, is plane delinqueret, non contra jus naturale, quod de hac nullum extat, sed contra jus gentium, quae talem modum utpote utiliorem, et convenientiorem humanae vitae universim amplexae sunt.

In hoc etiam ordine constitui possunt servitutes quoad reos et bello captos. Hoc siquidem jure utuntur inter se gentes et populi, quod necessarium non erat ex pura naturali ratione: alius namque modus poenae introduci potuisset. Nunc autem jus hoc inter gentes invectum hujusmodi est, ut et rei poenam hanc subire teneantur, et victores haud possint citra piaculum gravius punire hostes jam victos. Ad idem jus referuntur foedera pacis et induciarum, non quatenus servanda sunt, postquam facta fuerunt: hoc enim pertinet ad jus naturae; sed quatenus admittenda sunt, minimeque neganda, dum debito modo ac rationabili petuntur. Id quippe, tametsi valde consonum sit naturali rationi; usu tamen ipso, adeoque gentium jure inductum videtur, atque firmatum. Atque hoc modo alia id genus exempla adferri queunt, et explicari juris gentium praecepta.

Quaedam dicenda superessent, quae ad *juris gentium* conditiones spectant. Sed quum haec communia sint juri, seu legibus civilibus, ideo ea infra exponemus.

Consectaria.

I. *Quae universalitas requiratur, ad jus gentium constituendum.*

Ut aliquid sit, ac dici valeat esse de *jure gentium*, necesse non est, ut gentes omnes, nec pleraeque simul convenerint, communique consilio ac deliberatione quidpiam servandum vel omittendum statuerint, sed sufficit, vel unamquamque earum idem singillatim, sta-

tuisse ob similes necessitatis, utilitatis, aut convenientiae rationes: vel usus et consuetudo ab antiquis temporibus jam introducta atque recepta. Item necesse non est, ut haec consuetudo adeo universalis sit, ut apud omnes gentes invaluerit, sed sufficit, ut apud plurimas gentes obtineat praesertim recte institutas, et sub politica gubernatione viventes. Quin immo satis etiam est, ut populi ad aliquam ex quatuor mundi partibus spectantes in eam consentiant, eamque tanquam ab omnibus observandam vel expresse vel tacite judicent. Hinc quamvis universalitas aliqua requiratur ad jus gentium constituendum, haec tamen omnimoda esse non debet, sicut illa, quae juris naturae propria est.

II. *Jus gentium, vim obligandi non habet, si pugnet cum jure divino.*

Ex generali ratione nec jus gentium, sive juris gentium praecepta, aut consuetudine, quemadmodum nec leges juris civilis, vim ullam habent obligandi, nec praecepta vel leges dicendae sunt, si justitiae, aut legi sive naturali, sive divinae repugnent. Quapropter si qua consuetudo sit etiam a multis saeculis inveterata, et inter plurimas gentes recepta atque probata, quae pugnet cum lege naturali, aut divina, ut olim erat Idolatria, quae nunc etiam apud plerasque nationes Americanas et Asiaticas viget, nec legis rationem, atque adeo nec obligationem induit, sed potius tanquam abusus et corruptela communis rejicienda est.

III. *Jus gentium, in quo differat et conveniat cum jure naturali.*

Ex his, quae dicta sunt, facile apparet, in quo *jus gentium* differat a lege naturali. Primo enim ac praecipue differt, quia quatenus praecepta affirmativa continet, non infert necessitatem rei praeceptae ea ipsa rei naturae ob evidentem ex principiis naturalibus illationem, quia quidquid hujusmodi est, ad legem naturae pertinet. Quatenus vero comprehendit praecepta negativa, non prohibet aliqua, quia per se mala sint; haec enim pariter de lege naturae sunt; sed prohibendo efficit mala, quod commune habet cum lege civili. 2. *Jus gentium* ex consequenti differt a jure naturali, quod nequeat esse adeo immutabile, sicut istud. Immutabilitas enim oritur ex necessitate, adeoque quod non est aeque necessarium, neque potest esse aeque immutabile. Quare *jus gentium* absolute mutationi subjectum est, ut si nationes in eo mutando convenirent, vel in nationibus sensim introduceretur consuetudo contraria, ac tandem praevaleret. Convenit vero *jus gentium* cum *naturali*, tum quia in utroque sunt praecepta et prohibitiones, atque etiam concessiones: tum quia, sicut materia juris gentium propria hominum est, sic etiam est hominum propria magna saltem ex parte ac potiore materia juris naturae.

IV. *Jus gentium, in quo conveniat ac differat a jure civili.*

Ex dictis constat etiam, in quo *jus gentium* conveniat cum *jure* aut *lege civili*, et in quo differat. Convenit quidem, quia utriusque materia non est intrinsece et necessario bona vel mala; sed utraque *bona* vel *mala* redditur ex eo, quod vel praecipiatur, vel vetetur. Deinde utrumque positivum, humanum est sive arbitrio hominum et voluntate conditum. Tum autem utriusque proprium est versari circa actiones exteriores, ac hujusce vitae felicitatem tanquam finem. Ac demum utrumque absolute loquendo mutabile est. Differt vero a *jure*

civili tum penes amplitudinem et universalitatem: nam jus civile intra terminos alicujus vel Provinciae vel Regni continetur: jus autem gentium longe latius extenditur; tum ratione originis: juris enim civilis conditor est vel privata communitas, vel Princeps communitatis: non ita vero juris gentium ut diximus; tum ex parte promulgationis, quae in jure civili perficitur vel scripto, vel publici praeconis voce: jus autem gentium scriptum non est, nec voce traditum, sed usu et consuetudine populorum promulgatum. Ac tandem, ne alia persequar jus civile facile, et non infrequenter mutari solet, quum e contra difficillima sit mutatio in jure gentium.

CAPUT III.

De lege humana civili.

I. *Definitio legis civilis, ejusdemque qualitates sive conditiones.*

Quum in pluribus jus humanum civile conveniat cum jure gentium, idcirco quae de hoc praecedenti capite dicta sunt, civili juri sive legi aptari facile possunt, nempe quod haec sit lex positiva ab hominum arbitrio et voluntate dependens: quod ipsius materia justa sit oporteat, sive naturali ac divinae legi minime dissentanea: quod circa actiones humanas exteriores versetur, et quod bonum ac felicitatem temporalem communem respiciat. Itaque lex humana ex D. Th. qu. 91. a. 3. sic definitur: *est dispositio sive ordinatio particularis inventa per rationem humanam ex principiis generalibus legis naturalis ad bonum commune temporale, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Haec essentia legis civilis est. At praeter essentiam, seu naturam ejusdem etiam qualitates, quibus gaudere debet S. Th. describit qu. 95. a. 3. quas ad tres revocat, quarum prima est, ut sit *honesta*, idest secundum ordinem rationis, et Religioni congruat; secunda, ut sit possibilis quantum ad facultatem gentium. Non enim eadem sunt imponenda pueris, quae imponuntur viris perfectis. Tertia, ut sit loco, temporique conveniens.

II. *Quomodo lex civilis derivetur a lege naturali.*

Lex humana civilis, quae his qualitatibus seu conditionibus gaudet, proprii nominis dicenda lex est, adeoque obligandi vim habet ab ipsa lege naturae, a qua derivatur. Neque enim lex esset, et obligationem induceret, si ab ea suprema lege nequaquam derivaretur, prout supra jam diximus. At duplicis generis sunt leges sive praecepta, quae ab humana lege constituuntur ad finem suum consequendum. Alia pertinent quidem ad naturae legem, et ex illa obligandi vim habent; sed quia eorum observantia maxime confert ad commune bonum Reipublicae, ideo etiam ab humanis legibus confirmantur, poenisque temporalibus urgentur cives ad ea adimplenda. Alia vero praecepta sunt legis humanae propria et peculiaria, quae ab illa duntaxat intimantur, et obligandi vigorem obtinent. Priora derivantur a lege naturae, ut *conclusiones* contentae in principiis primis naturalibus, ex quibus per humanam rationem medio quodam syllogismo practico eruuntur, et a quibus prohinde pendent, ut effectus a caussa velut efficiente, et necessaria. Posteriora et ipsa quidem derivantur a lege naturali; at non tanquam a caussa efficiente, sed

potius a caussa, ut ita dicam *exemplari;* quia videlicet leges, aut praecepta hujusmodi debent esse naturali legi subordiuata, eidemque conformia: et haec derivari dicuntur tanquam *determinationes* legis naturae, quatenus determinant aliquid in particulari, quod erat indeterminatum in lege naturae.

III. *Quaenam sit legis civilis materia.*

Quaenam sit legis civilis materia, ex ipso fine, ad quem ordinatur colligi facile potest. *Legis humanae finis*, inquit S. Thom. hic q. 98. a. 1. *est temporalis tranquillitas civitatis*, sive provinciae aut regni; *ad quem finem pervenit lex cohibendo exteriores actus quantum ad illa mala, quae possunt perturbare pacificum statum civitatis:* et eos praecipiendo, sicut alibi docet, qui ad promovendum, conservandumque bonum publicum societatis humanae referuntur. Objectum igitur, sive materia legis civilis sunt ea omnia, quae ad pacem, bonumque temporale Reipublicae conferunt, aut necessaria sunt, quaeque hosce terminos praetergrediuntur, reliquis legibus naturali, divinae positivae, et etiam humanae Ecclesiasticae disponenda relinquit.

CONSECTARIA.

I. *Lex humana civilis neque praecipit, neque praecipere potest actus interiores.*

Lex humana civilis neque praecipit, neque praecipere potest actus mere internos: tum quia potestas legislativa humana solum ordinatur ad exteriorem politiam et honestatem communitatis humanae, ad quam nihil referunt actus, qui pura mente consummantur: tum quia nullus homo subjicitur alteri homini, nisi secundum corpus, sive opera exteriora, ut declarat S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. Nam duntaxat inveniri subjectio potest inter homines, quatenus inter se communicationem habere possunt, et actiones unius possunt aliis esse utiles, vel nocivae. Et ideo solum de his actibus valent praecepta humana ferri, quae ad dispositionem rerum humanarum pertinere queunt.

II. *Legi civili, semper praevalere debet lex, aut praeceptum naturale.*

Si duae leges, aut duo praecepta naturale, aut divinum et humanum concurrant, eujus alterum alterius observantiam impediat, aut simul observari nequeant, lex aut praeceptum naturale praevalere debet humano, quod tunc obligare desinit. Lex enim naturalis, ut jam diximus, prima regula est, ejusque praecepta materiam respiciunt ad morum honestatem omnino necessariam, ideoque cuilibet humano praecepto praeferenda. Vulgatum est exemplum de praecepto opem ferendi infirmo gravi necessitate laboranti, tuaque opera indigenti, quod praevalet alteri praecepto humano Ecclesiae de audiendo sacro in die festivo. Generatim vero in concursu duorum praeceptorum praeceptum excellentioris virtutis praeferri debet praecepto virtutis inferioris, quia gravius obligat; et praeceptum negativum affirmativo: quia *nunquam sunt facienda mala, ut veniant bona.*

III. *Quomodo intelligendum, quod lex civilis debeat esse possibilis.*

Quum inter legis qualitates superius recensitas ea quoque ponatur, *ut sit possibilis*, id non ita intelligendum est, ac si non debeat esse simpliciter et absolute impossibilis, sed quod non adeo difficilis sit, ut impossibilis *moraliter* judicetur. Quae enim *nimium difficilia sunt*,

ut ait Arist. lib. 5. Metaph., *impossibilia solent appellari.* Hinc humanae leges toti communitati praecipere non debent actus heroicos virtutum, qui tamen aliquibus nonnunquam praecipi possunt, id exigente bono communi. Etenim lex humana accommodata sit oportet hominum conditioni et vere moraliter possibilis toti communitati, vel saltem majori parti illius. Hujusmodi autem non est exercitium quorumlibet actuum virtutis; hoc enim paucorum est, et perfectorum. Hic tamen attente animadvertendum est, ne quis a lege jam promulgata recipienda vel observanda se eximat sub specie, vel praetextu impossibilitatis, vel nimiae difficultatis. Siquidem saepe contingit, ut nonnulli impossibilitatem legis a Principe latae caussentur, quae reapse non extat: semperque praesumi debet, nisi oppositum evidenter constet, et communi prudentum sensu, sapientem Legislatorem tulisse legem observatu possibilem: quum eam condiderit post accurate perpensam tum Reipublicae necessitatem, tum gravitatem oneris, quod imponebat, tum subditorum idoneitatem, et vires ad illud ferendum, aliasque circumstantias.

IV. *Quando lex civilis, Religioni congruere dicatur.*

Tunc censetur lex humana *congruere Religioni*, quando in praeceptis suis sive affirmativis, sive negativis consentanea est vero Dei cultui, ejusque legi, adeout nec praecipiat, quod lex divina prohibet, nec prohibeat, quod illa praecipit, neque demum ea permittat, quae in detrimentum tendunt divini cultus, Religionis, et honestatis, quae prae oculis habere semper debet pius, et christianus Legislator. Hinc constat, quam falsa, quam impia, et ipsi publico bono nociva sit quorundam Pseudopoliticorum doctrina, qui pacem, utilitatemque Reipublicae procurandam a Principe existimant, nulla habita ratione vel honestatis naturalis, vel verae et Christianae Religionis, immo etiam cum ejusdem detrimento. Esto siquidem leges civiles non hunc finem immediate ac per se respiciant: quia tamen hujusmodi leges divinis subordinari debent; idcirco necessum est. ut leges civiles ita tendant in temporalem Reipublicae tranquillitatem et commodum ut spirituali civium bono non obsint, aut praejudicium inferant, quin immo adjumento sint: sic enim firmior erit civium tranquillitas, et constantius bonum Reipublicae.

V. *Lex civilis justa esse debet, sed non ad unumquemque pertinet, dijudicare de justitia legis.*

Justa quidem debet esse lex omnis humana, ut a lege aeterna derivetur, adeoque legis rationem habeat. At non ad cujusque subditorum, judicium pertinet de justitia, vel injustitia legis decernere, atque ex hoc capite a legis subjectione et observantia semet eximere, nisi injustitia nimium evidens sit, et apud viros pios, et prudentes communiter explorata. Quod si dubium sit de legis humanae justitia, servanda omnino est ex illa generali regula, praesumendum scilicet esse in eo casu de recta, et justa Legislatoris voluntate, ac dispositione. Hinc tanquam laxa et perniciosa repudianda est sequens propositio P. Thomae Tamburini lib. 1. in Decal. c. 3., quam et alii plures probabilistae sequuntur, et P. Lacroixius in sua probabilitate relinquit, nempe: *Si dubium sit, an lex sit justa, non obligor illi parere, ut fuse probat Januarius etc. Nec sufficit, esse justam opinabiliter, vel dubie: neque enim mea libertas cedere debet legi dubiae.*

CAPUT IV.

De lege humana Ecclesiastica.

I. *Definitio legis Ecclesiasticae, ejusdemque explicatio.*

Lex Ecclesiastica dicitur etiam frequentissime *lex canonica* a Canone, quae graeca vox est, idemque significat ac *Regulam.* Qua ratione etiam *lex civilis* et alia quaecumque *lex canonica* appellari posset, quum legi cuilibet hoc necessario conveniat, quod *Regula* sit humanorum actuum. Usus tamen obtinuit; ut jus, sive lex Ecclesiastica specialiter hoc nomine nuncuparetur. Hujusce legis haec esse definitio potest: *Lex Ecclesiastica est ordinatio, sive dispositio positiva humana ab Ecclesia, sive Ecclesiae Rectoribus constituta ad cultum Dei promovendum, ad pacem Reipublicae Christianae conservandam, et dirigendos homines in finem beatitudinis aeternae.* Haec definitio continet id, quod lex Ecclesiastica commune habet cum ceteris legibus, etiam naturali, et divina positiva in eo, quod *dispositio* sit, sive *ordinatio rationis practicae*, ut habet S. Th., adeoque quod et ipsa sit *regula*, atque *mensura* humanorum actuum. Convenit etiam in hoc, quod ad commune bonum ordinetur, et ab habente potestatem promulgetur. Differt vero a naturali, et divina positiva lege, quod *humana* est, sive ab homine condita, non a Deo. Cum lege autem *civili* et convenit in pluribus, et in pluribus etiam eb ea differt: quae specialiter notanda sunt.

II. *Lex Ecclesiastica, in quibus conveniat cum lege civili.*

Lex Ecclesiastica, multa quidem communia habet cum lege civili, sed multa etiam, quibus ab illa differt, prout ex ipsa definitione colligitur. Convenit quidem cum lege civili, quod utraque sit *positiva humana*,* sive ab homine auctoritatem habente condatur, adeoque praedita sit oportet iis qualitatibus, quas supra ex D. Th. descripsimus: nempe, quod *honesta* sit, sive circa materiam honestam versetur: quae conditio, si ad finem legis civilis requiritur, multo magis ad finem Ecclesiasticae legis necessaria est: quod sit *justa*, *possibilis*, locis temporibusque *conveniens*: et quod *expediat saluti*: *claritas* autem requiritur ad praecaveuda nocumenta, quae ex ejus obscuritate vel ambiguitate provenire possent. Hinc sequitur, quod sicut lex civilis praecipere potest in materia cujuscunque virtutis moralis, non tamen omnium virtutum actus, idem quoque dicendum sit de lege Ecclesiastica, quae quidem aliquos omnium virtutum actus praecipere valet, sed non omnes. Siquidem quum et ipsa debeat esse *moribus hominum accommodata*, *moraliter possibilis et utilis* multitudini, inter virtutum opera plura sunt solius consilii, quae generatim ab Ecclesia imponi nequeunt sub obligatione absoluta, ut perpetua castitas, voluntaria paupertas etc. tametsi et haec, facta aliqua hypothesi, ab ipsa imponi queant. Similiter quanquam Ecclesia maxime vellet, ut vitia et peccata omnia vitarentur, idque summopere curet per doctrinam et monitiones ministrorum suorum; non ea tamen omnia peculiari sua prohibitione vetat, aut censuris coercere conatur. Hoc enim nimium onerosum foret fragilitati humanae, potiusque in destructionem cederet, quam in aedificationem fidelium

ob majora mala, quae ex hujusmodi prohibitione, quam ex eorum tolerantia sequerentur. Regula ergo a D. Thoma pro legibus civilibus constituta hic q. 95. a. 2., proportione servata, legi Ecclesiasticae aptanda est, ut ea quidem vitia, vel peccata prohibeat, ac censuris coerceat, quae vel graviora sunt, et enormia, vel scandalum, aut nocumentum peculiare aliis afferre possunt: alia vero minora tolèret aut dissimulet.

III. *Lex Ecclesiastica, in quibus differat a lege civili.*

Quamquam plura sint, in quibus lex civilis et Ecclesiastica conveniant, plura sunt etiam, quibus haec ab ea differt, ejusque excellentiam supra illam constituunt: quae differentiae omnes tanquam ex fonte maxime derivantur ac pendent a fine sublimiore, ad quem ordinatur. Nam finis legis civilis est temporalis hominum felicitas: finis autem legis Ecclesiasticae est felicitas hominum sempiterna. Unde in ejus definitione diximus, eam ordinari *ad cultum Dei promovendum; ad Reipublicae Christianae pacem conservandam, ad dirigendos homines in beatitudinem aeternam*, quae licet tria videantur, unum tamen reapse sunt, quatenus in hunc finem omnia collineant, qui est spiritualis hominum salus, et aeterna beatitudo. Hac de caussa legi novae *divinae positivae* subordinatur, quae, ut ex D. Thoma notatum est, hominem ordinat in finem supernaturalem beatitudinis aeternae. Sicut enim Christus Dominus propter hunc praestantissimum finem pretiosum sanguinem suum in ara crucis effudit; ita propter eundem Ecclesiam instituit, ac potestatem ad illam saluberrimis legibus regendam in ordine ad hunc finem hominibus contulit. Ex hac autem *finis* inter civilem et Ecclesiasticam legem diversitate, oritur etiam discrimen utriusque potestatis: nempe, quod potestas *Ecclesiastica* ferendi leges longe excellentior sit potestate *civili*. Quum enim finis potestatis Ecclesiasticae sit spiritualis, supernaturalis, et aeternus, atque adeo excellentior fine inspecto a potestate civili, qui temporalis hominum felicitas est; quis dubitet, et potestatem ipsam Ecclesiasticam longe excellentiorem esse debere civili potestate?

IV. *Duo alia discrimina, utriusque legis civilis et Ecclesiasticae.*

Aliud ex fine utriusque legis civilis, et Ecclesiasticae discrimen oritur, quod se tenet ex parte materiae, circa quam versatur. Nam juxta illud solidissimum S. Th. principium, *finis est mensura eorum, quae sunt ad finem, et requiruntur ad finem.* Quum igitur non sit idem finis legis Ecclesiasticae, et civilis, unaquaeque versari debet circa illam materiam, sive quod perinde est, praecipere actus illarum virtutum, qui fini suo accommodati sunt, aut prohibere contrarios. Hinc vero consequitur, quod legis Ecclesiasticae prae civili primaria materia sint actus supernaturalium virtutum, maximeque *fidei*, quae est fundamentum totius aedificii spirituali. Et ideo leges omnes, quae ad fidem pertinent, vel ad fidem referuntur, sunt per se ac principaliter *Ecclesiasticae:* quia tota earum materia spiritualis, et supernaturalis est. In eodem subinde ordine collocantur actiones Sacramentorum, aut quae Sacramenta respiciunt. Unde etiam factum est, ut actiones quaedam, quae aliae sunt mere naturales, veluti matrimonium, quatenus contractus humanus est, propter elevationem ad ordinem spiritualem, pertineant ad leges Ecclesiasticas, sive Ca-

nonicas. Idemque dicendum de aliis sacris actionibus, ac de iis praecipue, quae proxime et immediate ad cultum Dei referuntur, ad conservationem utilitatis Ecclesiae, Fidei Christianae incrementum, et animarum salutem. Ex quo ulterius ortum est, ut res omnes, atque actiones, quae ad illas ordinantur, sub ea ratione materia Canonicae legis sint, ut personae sacrae, loca, templa, vasa, aliaque ad Dei cultum proxime deputata.

Hinc etiam vitia, aut pravae actiones, quae his adversantur, aut divinum cultum laedunt atque corrumpunt, ad canonicas pertinent prohibitiones, ut ex se patet, sumiturque ex cap. *Ut inquisitionis* de haeret. in 6. ubi sermo est de crimine haeresis, de qua dicitur solam spectare Ecclesiasticam jurisdictionem. Quoniam vero peccata omnia avertunt hominem a fine spirituali, nullum, absolute loquendo, peccatum est, quod esse non possit legis Ecclesiae materia juxta C. *novit* de judic. idque constat, tum quia contraria quodammodo sunt ejusdem generis, tum quia omnia crimina sunt offensae et injuriae Divini Numinis, cujus honor et cultus a potestate canonica maxime promovetur; unde ejus etiam materia sunt, si tamen conditiones aliae concurrant, quas supra recensuimus de lege civili disserentes, eaque praesertim, *si expediat communi bono de illis legem ferre*, quod raro contingit.

Quamquam autem amplissima sit legum Ecclesiasticarum materies, circa quam versari possunt, a pluribus tamen condendis legibus, abstinere par est Ecclesiam, potissimum quae fidelium communitatem arctent, et obstringant, et aliqua ab omnibus observanda praecipiant. Hoc est sapiens D. Th. monitum, quod ex S. Aug. tradit hic q. 107. a. 4.

V. *Lex Ecclesiastica, et civilis quandoque circa eamdem materiam, at sub diversa ratione versantur.*

Ex dictis intelligi facile potest, qua ratione contingat, ut leges Canonicas et civiles interdum versentur circa eamdem materiam, sive circa idem materiale objectum: quia nimirum sunt aliqua objecta, quae quum temporalem felicitatem vel laedant, vel juvent, sub hac ratione lex civilis decernere potest, quod ad finem suum temporalem assequendum confert. Quia tamen objecta eadem relationem aliquam habere possunt ad finem spiritualem, quem Ecclesiae potestas respicit; idcirco sub hac ratione et ipsa Ecclesia quidpiam de iisdem statuere valet. Atque inde fit, quod plura delicta *mixti fori* dicantur, quia ad utramque pertinere possunt potestatem. Sic leges civiles multa delicta prohibent, ac puniunt, quae per canones etiam prohibentur et puniuntur; uti sunt ex. gr. matrimonia incestuosa, clandestina, ac similia crimina. Nonnunquam vero leges civiles poena plectunt delicta, quae fori sunt Ecclesiastici, ut haereses, blasphemias etc. quatenus haec valde nocent Reipublicae temporali Christianae quoad externam felicitatem ac pacem.

VI. *Dirimitur questio, an Ecclesia praecipere, aut prohibere valeat actus internos.*

Hic vero locum habet illa controversia, in qua magna videtur esse inter Theologos dissensio, an scilicet sub materia legis Ecclesiasticae cadant, aut cadere possint *actus interni* sive virtutum, sive vitiorum.

Eos namque ad materiam legis civilis pertinere abnuimus, quod haec tanquam finem suum respiciat temporalem Reipublicae felicitatem ac pacem, ad quam nihil conferunt interiores subditorum actus. Quum igitur legis Ecclesiasticae finis sit felicitas hominum spiritualis et aeterna, aliter de hac sentiendum videtur. Ut haec quaestio, quae satis obscura est et implexa, congrue, ac quoad fieri potest, perspicue dirimatur, prolixiore disputatione dimissa, duplicem oportet distinguere legem, sive legis officium, aliam nempe *mere directivam*, quae nullam imponit transgressionibus poenam, et cui, ut dicemus, legislatores ipsi subjecti sunt: aliam vero *directivam* simul et *coactivam*, quae videlicet non solum dirigit hominem ad actum aliquem vel peragendum, vel omittendum, verum etiam ad illum urget poenarum metu. Haec lex coactiva iterum duplex est, alia coactiva coactione *interna*, quae et sub culpa et sub poena ipso facto incurrenda ante judicis sententiam obstringit; alia est coactiva coactione *externa*, quae poenam post caussae cognitionem infligendam denunciat; quod praeter alios sapienter advertit P. Cardenas *in Crisi* II. Dissert. 25.

His positis, illud in primis statuo. Ecclesiasticae legis materiam non esse directe et per se actus mere internos, legis, inquam, *coactivae coactione externa;* sive, quod perinde est, Ecclesiam hos actus praecipere minime posse. Hoc docet, et probat S. Thom. non uno in loco, sed praesertim 1. 2. q. 100. a. 10. ubi ait: » Praeceptum » legis habet vim coactivam. Illud ergo directe cadit sub praecepto » legis, ad quod lex cogit: coactio autem legis est per metum poe» nae, ut dicitur in 10. Ethic. Nam illud proprie cadit sub praecepto » legis, pro quo poena legis infligitur. Ad instituendam autem poenam » aliter se habet lex divina, et aliter lex humana. Non enim poena » legis infligitur, nisi pro illis, de quibus Legislator habet judicare: » quia ex judicio lex punit. Homo autem, qui est legislator huma» nae (legis) non habet judicare, nisi de exterioribus actibus: *quia* » *homines vident ea, quae parent*, ut dicitur 1. Reg. 16.: sed solius » Dei, qui est Legislator legis divinae, est judicare de interioribus » motibus voluntatis secundum illud Psal. 7. *Scrutans corda et renes* » *Deus* ». Atque hoc sensu accipi debet illud, quod in communi proloquio est: *Ecclesia non judicat de occultis, sive de internis.* Hoc idem ratione jam indicata suadetur: quoniam Ecclesiae corpus, ut constat, visibile et humanum est, nec abdita cordium introspicere valet: adeoque materia primo et per se accommodata ad communem ipsius, et externam gubernationem, debet etiam esse sensibilis, et externa, ut de ipsa judicare valeat, hominesque ad finem sibi convenientem dirigere. Et plane experientia ipsa compertum est, leges, quae ab Ecclesia feruntur pro regimine populi Christiani, exteriora opera communiter respicere, ad quae adimplenda, aut evitanda homines urget comminatione poenarum.

Statuo secundo loco, actus internos *directe* cadere posse sub lege Ecclesiastica dirigente, et *coactione interna* obligante, nimirum ad solam culpam iis in casibus, in quibus id expedire visum fuerit ad aeternam animarum salutem. Hoc evincitur ex illo jam constituto S. Thomae principio, *finis est mensura eorum, quae sunt ad finem*, et

requiruntur ad ipsum. Porro finis legis Ecclesiasticae, ut diximus, est sempiterna hominum felicitas. Hoc enim est discrimen inter Ecclesiasticos et civiles Legislatores, quo hi solum politiam exteriorem et tranquillitatem subditorum respiciunt, illi e contra animarum salutem primum ac per se intendunt. Quum igitur ad hanc homines perveniant nedum per opera externa, sed etiam, et maxime quidem, per interna, haec quoque sub Ecclesiastica lege cadere possunt. Duplex itaque in Ecclesia potestas admittenda videtur: altera, quae disciplinam exteriorem lege exterius per censuras cogente administrat: altera, quae lege interius directiva ad culpam obligante aeternam salutem promovet: atque hoc pacto finem sibi praestitutum consequitur. Hinc, ut plura exempla praeteream. Conc. Trid. sess. 6. in Prooemio prohibet, *ne quispiam aliter credat* (qui certe actus interior est) *quam suo decreto statuitur.*

Demum statuo, materiam legis Ecclesiasticae esse saltem *indirecte* actus internos, qui cum externis necessario connexi sunt, ut boni sint et honesti. Haec sententia apud omnes ferme theologos certa est; cujus ea ratio praecipua est, quia Ecclesia citra dubium omni potestate gaudet praecipiendi actus exteriores honestos: hoc enim valde confert, immo necessarium est ad Ecclesiae rectam gubernationem, ad cultum religiosum Deo praestandum, et ad animarum salutem: ergo praecipere potest, saltem *indirecte*, etiam actus illos internos, qui necessarii sunt ad externorum bonitatem, et honestatem, praesertim quum potestas Ecclesiae spiritualis sit, et ad spiritualem hominum salutem ordinata. Id confirmat perpetua Ecclesiae praxis hujusmodi bonitatem, et honestatem actuum, *indirecte* saltem, praescribentis. Sic reipsa praecipit actum doloris internum ad Sacramentalem peccatorum confessionem necessarium; unde damnata est ab Alexandro VII. haec propositio: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* Sic etiam praecipit internam animi dispositionem ad digne suscipiendum Eucharistiae Sacramentum, ut ex hac alia ab Innocentio XI. proscripta propositione liquet: *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Sic itidem praecipit beneficiatis cap. *Dolentes* de celebr. ut horas Canonicas *studiose*, et *devote* recitent etc. Quis autem dixerit, Ecclesiam sibi potestatem usurpare, quam a Christo Domino non acceperit? In his autem haec regula assignari potest. Quando Ecclesiae praecipit actum, qui suapte natura importat aliquam intentionem, electionem, aut devotionem, hoc ipso, quo illum praecipit, censetur etiam praecipere talem intentionem, electionem, aut devotionem: praecipit enim hujusmodi actum, qualis natura sua esse debet. Est autem de natura v. g. auditionis Missae, orationis, Sacramentalis confessionis, et communionis, ut fiat *attente*, *devote*, cum tali, vel tali animi dispositione: igitur et haec ab Ecclesia praecipi dicendum est.

CONSECTARIA.

I. *Leges quaelibet a Praelatis Ecclesiae conditae, sunt observandae, nisi a superiori Potestate revocentur.*

Quamvis ex SS. Augustini et Thomae monito, non sint a Praelatis Ecclesiae multiplicandae leges, quae Communitatem fidelium obstrin-

gant supra illas a jure positivo divino constitutas, ne lex gratiae, quae suavior est lege Mosaica, *nimium onerosa reddatur.* Attamen siquis Praelatorum hujusmodi leges, aut praecepta circa ea praesertim exteriora opera, quae legem nec naturalem, nec divinam positivam continent, in sua vel Dioecesi, vel Provincia multiplicaret, ipse quidem haud prudenter se gereret, et a Romano Pontifice corrigendus esset; sed interim subditi fideles ad earum observantiam tenerentur. Quoniam non propterea quod parum prudenter se gerat Praelatus, subditi ab ejus potestate, aut obedientia subtrahuntur, aut desinunt esse sub ejusdem jurisdictione, qua leges ferunt, ipsisque vim obligandi imponunt, nisi forte a Praefato superiore authoritatem habente revocarentur.

II. *Laxa et improbabilis quorundam doctrina, circa potestatem Ecclesiae in actus internos.*

Laxa et improbabilis reputanda est plurium recentium Authorum opinio, qui universim negant, Ecclesiam potestate gaudere praecipiendi actus internos tum *directe*, tum etiam *indirecte*. Id ex tradita doctrina liquet. Item perquam laxa, ac damnatione digna videtur opinio Caramuelis negantis, Ecclesiam praecipere posse actus externos propter internos. Unde docet, Episcopum, aut alium Superiorem prohibere non posse, subdito suo, ne accedat ad aliquam domum mulieris ob vitandum consensum illius in peccatum, quod justis de caussis secuturum formidat. Erroneam hanc opinionem confutat P. Gardenas in Crisi 2. disp. 25. quanquam confutatione digna non sit, quum luculentissime pateat, Ecclesiastico regimini nimium esse perniciosam.

Meritissime damnatae sunt ab Ecclesia in Decreto Innocentii XI. sequentes Michaelis Molinos propositiones. — 65. —: *Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit: In interiore vero aliter se habet, quo solus Deus et Director intrant.* — 66. —: *Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod animae quoad internum gubernari debeant ab Episcopo. Quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico doctrinam: quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullae, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt: quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi visum.* Ejusdem furfuris sunt 67. et 68. pariter ab eodem Pont. damnatae. Praeter falsitatem, quae in his propositionibus continetur, eae sunt subdolae, captiosae, scandalosae, Ecclesiae injuriosae; quoniam extrahunt animas fidelium ab ejus regimine.

III. *Opus virtutis sine interna voluntate elicitum subesse potest excomunicationi Ecclesiae.*

Si aliquod opus virtutis, aut obligationis praecipiatur ab Ecclesia sub poena excommunicationis, E. G. administratio Sacramenti Extremae Unctionis, vel auditio Sacri: et Sacerdos exterius quidem infirmum ungeret, sed sine interna voluntate conficiendi Sacramentum: vel Missae quis interesset non animo implendi praeceptum, sed alia intentione, E. C. expectandi amicum; ambo nedum peccarent, sed etiam excommunicationem incurrerent in foro conscientiae. Nam, ut

dictum est, ad haec etiam se extendit Ecclesiae facultas in ferendis legibus, et imponendis poenis pro earum executione.

IV. *Canones antiqui, a Praelatis Ecclesiae ad usum revocati, obligant sub peccato.*

Ab Ecclesiae scopo, ac veritate longe absunt ii Theologi, qui sacros Canones parum curant eo praetextu frigidissimo, quod antiquati sint, et in desuetudinem abierint. Utut enim concedamus, plures ex iis, qui disciplinam praesertim exteriorem spectant, decursu temporum obsolevisse, aut contraria consuetudine esse abrogatos; plures tamen sunt ab Ecclesia, maximeque a Concilio Tridentino, et ab Episcopis, qui edicto Concilii paruerunt, instaurati, et ad usum restituti, qui nedum magnam venerationem promerentur, sed etiam tanquam leges recipiendi sunt, obligantes sub peccato. Quapropter Canones, qui in aliqua Synodo sive Nationali, sive Provinciali, sive Dioecesana, vel etiam ab Episcopis extra Synodum iterum innovantur, et ad usum vel Nationis, vel Provinciae, vel Dioecesis revocantur, non minorem vim ad subditos obligandos, et authoritatem habent, quam habuerint, quam primum instituti fuere. Si enim quilibet Episcopus in propria Dioecesi Decreta ferre valet, quae vigorem legis obtineant subditos suos obligantis, cur etiam haud poterit Canones antiquos revocare, qui simili vigore, et authoritate potiantur? Videant proinde, quam male se gerant, quantoque periculo semet exponant aliqui, qui, dum ipsis objiciuntur, Ecclesiae propriae Decreta, vel Canones ab ea susceptos nedum debita veneratione non recipiunt, sed respuunt, ac ferme contemnunt, perinde ac si nulla vi obligandi subditos sub peccato fruerentur, iisdemque praeferre audent quorundam Theologorum aliter opinantium sententias. Quaedam alia de consuetudine agentes adjiciemus.

CAPUT V.

De utraque humana potestate, Civili et Ecclesiastica quoad ferendas leges, quae obligant in foro conscientiae.

I. *Doctrina fidei est, Potestatibus Civilibus, et Ecclesiasticis inesse facultatem ferendi leges, quae conscientiam obligant.*

Doctrina catholicae Ecclesiae est, legitimam facultatem ferendi leges, quae subditorum conscientias obligent, in iis omnibus esse, qui vel temporalem Rempublicam, vel Ecclesiasticam administrant: idque evidens est ex pluribus Scripturarum authoritatibus, quae hanc catholicam veritatem diserte adstruunt et evincunt, quarum aliquas profero. Et quod attinet ad priorem partem de temporalis Reipublicae Principibus aut Rectoribus, sufficere debet textus Apostoli Pauli in Epist. ad Rom. c. 13. qui clarissimus omnium est; in quo de saeculari potestate loqui una semper fuit SS. Patrum tum Latinorum tum Graecorum sententia, et contextus ipse sermonis, necnon *gladii* ac *tributorum* mentio aperte manifestant. Apostolus itaque primum generatim denunciat: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: Omnis* inquit, nullam excipiens a subjectione debita potestatibus sublimioribus saeculi. *Non enim*, subdit, *est potestas, nisi a Deo. Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.* Ob hanc rationem obedientia

ipsis praestanda est. Hinc addit: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Haec sola verba satis declarant, divino praecepto contraire, qui terrenis Principibus non obtemperant. Sed quae sequuntur luculentius ostendunt; scilicet, *Qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt;* scilicet non tantum poenam temporalem, quam illi infligere tantum possunt, sed aeternam a Deo infligendam. Quod adhuc manifestius fit ex aliis, quibus adhortationem suam concludit: *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Nimirum non solum ne per inobedientiam vestram Principum indignationem incurratis, sed etiam ne peccato conscientias vestras aggravetis coram Deo.

II. *In quibus, facultas ferendi leges civiles resideat.*

In quibus autem resideat haec potestas ferendi leges, quae obligent in foro conscientiae, non aliter definire fas est, quam attenta regiminum diversitate. Si enim sit *monarchicum*, in uno tantum, scilicet in Imperatore, Rege, vel Principe absoluto residet suprema potestas, quam tamen communicare potest etiam Magistratibus inferioribus, licet cum dependentia, et subordinatione ad seipsum, propriamque voluntatem. *Si aristocraticum* sit, tota et integra potestas est in Optimatibus; si demum *democraticum*, in populi communitate invenitur juxta formam a Communitate ipsa constitutam.

III. *Potestas ferendi leges, etiam in Ecclesiae Rectoribus ex Scripturis adstruitur.*

Jam vero quod etiam Ecclesiae, sive Ecclesiae Rectoribus conveniat jus, aut potestas nedum pascendi gregem sibi creditum, sed etiam praecepta, legesque statuendi ad finem sibi competentem assequendum, quibus fideles obtemperare teneantur, tum ex verbis Christi Domini, tum exemplo Apostolorum, tum ex perpetua Ecclesiae traditione solidissime comprobatur. Nam in primis Matth. 16. legimus, Christum Petro dixisse: *Tibi dabo claves Regni Caelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in Caelis.* Item Matth. 18. Christus ait: *Si Ecclesiam non audierit,* hoc est, ut Chrysost. interpretatur, *Si Ecclesiae Praelato non obedierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus.* Si sub tam districta comminatione obediendum est Praelatis Ecclesiae, nonne colligere oportet, ipsorum leges fidelium conscientias obstringere? Lucae quoque 10. dictum a Christo est: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.* Dubium autem non est, peccare illum, qui sic se gerit, ut merito videatur Christum spernere, dum Praelatis non obsequitur, nedum ipsorum doctrinam non recipiendo, sed etiam mandatis eorumdem obedientiam non praestando; prout exponunt Cyprianus Epist. 69. et Basilius in Constit. Monast. c. 22. et 23.

Hoc idem confirmat hujusce potestatis usus, quem factum ab Apostolis fuisse Scriptura commemorat. Act. namque 15. eos in Concilio Hierosolymitano congregatos hoc modo decrevisse legimus: *Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria; ut abstineatis* etc. Deinde S. Paulus in Epistolis suis non semel de hac auctoritate mentionem facit, quam sibi Dominum contulisse declarat *in aedificationem, non in destructionem.* Et ad Hebr. 13. ita fidelibus praecipit: *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis.*

Et ut alia praeteream, diserte in cap. 20. Actuum de Episcopis dicitur, eos *Spiritum Sanctum posuisse regere Ecclesiam Dei.* Regimen autem Ecclesiae perfectum intelligi minime potest absque legislativa potestate. Huic veritati accedit in confirmationem perpetua Ecclesiae traditio, quae constat ex perenni tum Conciliorum, tum Summorum Pontificum usu hujus potestatis.

IV. *Quibus conveniat potestas, ferendi leges Ecclesiasticas.*

Quoniam vero de iis dictum est, in quibus residet potestas ferendi leges civiles, aliqua dicenda sunt etiam de illis, quibus eadem potestas inest ferendi leges Ecclesiasticas, sive Canonicas: qua in re loqui possumus vel in generali, vel in particulari. Si priore modo loquamur, certissimum est, potestatem hanc esse in Oecumenicis conciliis legitime congregatis sub supremo capite Romano Pontifice. Si autem de personis particularibus sermo sit, certum itidem est apud catholicos omnes, Primatum potestatis, nedum ordinis, sed etiam jurisdictionis residere in Summo Pontifice Romano pro universae Ecclesiae regimine. Haec enim ab ipso Christo Domino collata Petro est, et successoribus ejus, verbis illis apud Matth. 16. *Ego dico tibi: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam etc. Et tibi dabo claves Regni Caelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis.* Ceteris etiam Apostolis ferendarum legum pro Ecclesiarum suorum regimine collatam fuisse a Christo Domino potestatem, concors est Catholicorum opinio: quod ex Scripturis, et perenni traditione colligitur. Porro quum Episcopi successores Apostolorum sint, his quoque condendi leges potestatem convenire apud omnes exploratum est.

V. *Regula generalis statuitur de iis, qui legum ferendarum potestate fruuntur.*

Quoniam vero plures excitantur quaestiones circa illos, qui authoritate pollent ferendi leges sive Ecclesiasticas, sive Civiles, haec generalis regula pro iis omnibus dirimendis inservit. *Quicunque praesunt Communitati perfectae, eamque administrant, sive civilis ea sit, sive spiritualis, aut Ecclesiastica, ii legislativa potestate gaudent quoad ea, quae finem suum, aut materiam spectant, circa quam versantur, utpote necessaria ad illam recte, et congrue gubernandam.* Communitatis autem perfectae nomine, ut ab initio dictum est, ea intelligitur, quae suapte natura perpetua est, ac politicae gubernationis capax. Siquidem perfecta communitas congrue regi ac gubernari minime potest, nisi in Rectore potestas sit ea efficaciter constituendi, quae ad commune bonum illius necessaria sunt, aut expediunt, curandique, ut observentur, coercendo et puniendo improbos, ac refractarios, omnesque in officio continendo. Caeteri autem superiores privati, et ab aliorum authoritate dependentes, praecepta quidem ferre possunt, quae in materia suo subjecta regimini vim habeant obligandi subditorum conscientias, sed leges condere nequeunt.

VI. *De limitibus, intra quos utraque potestas, temporalis et spiritualis continetur.*

Quinam sint limites, intra quos continetur utraque potestas civilis, et Ecclesiastica, ex iis, quae diximus de fine, ad quem ordinantur, ac de utriusque materia disserentes, haud difficulter cognosci

potest. Quaedam nihilominus addam ex D. Th. in 2. dist. 44. q. 2. a. 4. ad 4. ubi ait; » Potestas spiritualis et saecularis utraque deducitur a potestate divina. Et ideo in tantum saecularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita, scilicet in iis, quae ad salutem animae pertinent: et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali, quam saeculari. In his autem, quae ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati saeculari quam spirituali, secundum illud Matt. 22. Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. » Quibus verbis S. Doctor amplitudinem simul ac confinia utriusque potestatis designavit, ita ut in iis, quae salutem animae spectant, potestates duntaxat spirituales decernere valeant, ac leges constituere quibus subjecti sint, vel ipsi Principes saeculares, eisque obedire teneantur; in iis vero, quae bonum civile, sive temporalem felicitatem respiciunt, leges condere queant soli saeculares Principes, queis et ipsi Ecclesiastici subjiciantur, nisi forte speciali aliquo privilegio ab earum subjectione eximantur.

VII. *Seculares Principes sunt Ecclesiae defensores, ac protectores.*

Utraque igitur potestas suos limites habet, extra quas egredi neutri fas est, ne utriusque jura turbentur, omnisque amoveatur confusio, et perturbatae jurisdictionis querelae. Quod Principibus Christianis competit quoad leges et jura Praelatorum Ecclesiae, illud solummodo est, ut ea ab impiorum hominum adversis molitionibus sarta tecta custodiant, Ecclesiam protegant, atque defendant. Haec sola potestas est, quam magna cum laude meritoque apud Deum exercent in Ecclesia Christiani Principes. Caetera vero, quae ad intimas sacri Ministerii partes attinent, aut quae fidei ac morum doctrinae propria sunt, Ecclesiae Praelatis discutienda, ac decernenda relinquere debent.

Consectaria.

I. ***Subditi obedientiam praestare tenentur legibus Principum, etiam impiorum, ac tyrannorum.***

Subditi obedientiam praestare tenentur legibus Principum etiam impiorum, ac tyrannorum. Hoc sequitur ex potestate, qua fruuntur, condendi leges obligantes subditorum conscientias juxta Apostoli doctrinam. Verum quia hac in re nonnullae difficultates occurrunt, adnotandum est. *Tyranni* nomen dupliciter intelligi. Nam alius dicitur *Tyrannus in administrationem*, qui nempe perperam administrat Rempublicam, nec bonum commune quaerit, sed proprium. Alius *Tyrannus in titulo*, qui scilicet titulum regnandi non habet: qui rursus duplex distingui solet: vel enim aliquis, quum privata persona sit, regnum sibi per violentiam acquirere conatur, repugnantibus legitimis possessoribus, vel, tametsi per violentiam, et fraudem illud sibi acquisiverit, eo pacifice nondum fruitur. His positis, 1. certum est, absolute et generatim loquendo teneri subditos parere legibus, ac mandatis Principum, etiamsi indigni sint ea dignitate, ac tyrannice Rempublicam administrent: quod satis compertum est ex textu S. Petri: *Subditi estote Dominis vestris non solum bonis, sed etiam discolis.* 2. Si Princeps, aut Praelatus dignitate sua, sive praelatione indignus sit ob improbitatem ipsius, aliumve defectum, qui perso-

nam afficiat, non dignitatem, aut praelationem, eidem nihilominus subditi parere tenentur, neque ex hoc capite se ab ejus subjectione, aut obedientia subtrahere possunt, quia non ex hoc a praelatione decidit. 3. Si privatus aliquis per violentiam dominium aut principatum usurpet, nec accedat vel Communitatis consensus, vel Superioris auctoritas, vel alius regiminis titulus, adeo ut verae Dominus vel Civitatis, vel Regni non efficiatur (quod est esse *tyrannum in titulo*); nullus ei obedire tenetur, liciteque potest, se ab obedientia suis legibus, aut mandatis praestanda subtrahere, quoniam quum praelationis titulo reapse careat, caret etiam *forma*, per quam *praelatio a Deo est*, quod debitum obediendi inducit. 4. demum, dum sermo est de Principe *tyranno in administratione* regni sui, si quid iste praecipiat contra legem, aut praeceptum superioris, a quo dependet, puta Dei; tunc nedum subditi jussis ejus obtemperare minime tenentur; sed potius tenentur non obtemperare, et obtemperando peccarent. Siquidem prima subjectio hominis est erga legem Dei, qui Regum omnium, ac Principum supremus dominator est, qui potestatem hominibus nec confert, nec conferre potest adversum leges suas, atque praecepta: adeoque leges, et praecepta omnia, quae divinis repugnant, repellere quisque debet exemplo SS. Martyrum, qui Tyrannis, illos a fide avertere conantibus, constantissime restiterunt. Si vero praelationis abusus in eo consistat, quod Princeps tyrannus praecipiat aliquid, ad quod non se extendat suae praelationis ordo; tunc obedire quidem subditi possunt, sed minime tenentur. Haec omnia ex doctrina S. Thomae lib. 2. sent. dist. 44. q. 2. ubi quaerit, *utrum Christiani teneantur obedire potestatibus saecularibus, et maxime Tyrannis.*

II. *Laxa plurium Casuistarum sententia, quo ad obligationem legum saecularium.*

Laxa et damnatione digna plurium Casuistarum, ac praesertim Tamburini sententia est, leges civiles *raro* obligare sub mortali; et Ecclesiasticas non *multum frequenter*: immo nunquam Principes obligare *in conscientia*, si *se expresse non explicent*, sed solum ad poenam. Constat enim, hanc sententiam plane diruere potestatem, quae Principibus tum temporalibus, tum Ecclesiasticis ex divina ordinatione collata est, obligandi legibus suis subditos nedum in foro exteriore, sed etiam conscientiae. Certe terreni praesertim Principes, quandonam expresse *exprimunt*, se obligare subditos *sub gravi peccato?* Nunquam igitur peccabunt subditi Principum suorum legibus non obtemperantes quod plane sacris Litteris adversatur. Nunquid enim sub gravi peccato exprimebant, se obligare Principes gentiles, de quibus loquitur Apostolus; qui leges ferentes ne de peccato quidem cogitabant? Et tamen S. Apostolus absolute dicebat: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, eorumque legibus parendum esse monebat sub poena damnationis aeternae.

III. *Nemo potest ferre leges, adversantes legibus sui Superioris.*

Nemo potest ferre leges adversantes legibus sui superioris: quia potestas inferior praevalere non potest adversus superiorem. Hinc nec Magistratus, aut Praefectus quidpiam statuere potest contra legem

Principis: nec Episcopus, aut Archiepiscopus contra legem Summi Pontificis: nec aut supremus Princeps, aut Summus Pontifex contra legem divinam sive naturalem, sive positivam. Insuper Legislator humanus non habet potestatem statuendi per leges, nisi ea, quae ad bonum commune immediate vel mediate referuntur, aut expediunt. Potestas siquidem legislativa hominibus concessa tanta est, quantum postulat commune bonum propter quod confertur. At multa ad bonum commune referuntur, et expediunt, quae nulla lege divina statuta, ac determinata sunt. Haec igitur omnia statuere, ac determinare potest Legislator humanus. Quae autem ad commune bonum non expediunt, sunt extra Legislatoris potestatem, adeoque ea statuere minime potest. Quod si statuat, legis vigorem non habent. Ad subditos tamen non pertinet judicare de his, quae expediunt, vel non expediunt communi bono.

IV. *Princeps Saecularis, nullum habet superiorem in re temporali, nisi Deum; in Spirituali autem, subjicitur legibus Ecclesiasticis.*

Potestas Principis saecularis absoluti, nullum habet superiorem in ordine temporali et administratione Regni sui, nisi Deum, nec ab alio, nisi a Deo, si leges non observet, puniri, aut judicium condemnationis in ipsum ferri valet. Ita S. Th. p. 2. q. 96. a. 5. ad 3. Christiani tamen Principes in iis, quae spiritualia et divina sunt, et animarum salutem respiciunt, non minus subjecti sunt legibus et authoritati sacrorum Pontificum, quam ceteri fideles. Et e converso sacri Antistites, aliaeque Ecclesiasticae Personae in his, quae temporalia sunt, aut temporalis Reipublicae regimen spectant, non minus terrenis Principibus subjiciuntur, quam ceteri subditi, nisi ex liberalitate et favore eorumdem Principum privilegium aliquod intercesserit. Id constat ex superius tradita doctrina. Hinc utraque potestas Civilis et Ecclesiastica, dum sola in seipsa spectatur, absoluta, et independens ab alia est. Quodsi potestas utraque consideretur *in concreto*, ut ajunt, sive in subjectis, aut Personis; tunc eadem persona, quae sub uno respectu alteri subjecta non est, sub altero eidem subesse potest: atque hoc pacto Princeps, ut Princeps est, nemini subjicitur, nisi Deo: prout vero membrum est societatis Ecclesiasticae, subest Ecclesiae Praesidibus, maximeque S. Pontificis in his, quae ad spiritualia officia et ministeria pertinent. Idem dicas de Ecclesiae Principibus.

V. *Episcopus leges condere potest, etiam absque Capituli, aut cleri consensu.*

Episcopus leges condere potest pro Ecclesiae suae bono etiam absque Capituli, aut Cleri consensu, nisi forte usu, vel probata consuetudine casus aliqui excepti sint. Quoniam potestas Episcopi in legibus constituendis a Clero suo minime pendet: nec in jure Canonico quidpiam est, quod hanc suam potestatem coarctet, aut limitet. Capitulum etiam Cathedralis Ecclesiae, Episcopo vita functo, leges aliquas, aut decreta condere valet, quae tamdiu obligant, quamdiu a Praelato successore non abrogantur. Nam Capitulum succedit in jurisdictionem Episcopi, ut colligitur ex Sess. 24. c. 16. Concilii Trident.

VI. *Quaenam sit potestas in Conciliis Nationalibus, Provincialibus, aut Dioecesanis.*

Concilia *Nationalia, Provincialia,* et *Dioecesana* authoritate gaudent ferendi et promulgandi leges, quae obligent respective Nationem, Provinciam, Dioecesim: proprium quippe, et immediatum caput habent, a quo vim obligandi obtinent. Quod si decreta horum Conciliorum approbentur, et confirmentur Pontificia authoritate, distinguendum tunc esse videtur. Nam vel Pontifex ea approbat, et confirmat pro sola tantum Natione, Provincia, aut Dioecesi; vel ejus approbatio, aut declaratio ita generalis est, ut totam Ecclesiam afficiat: quod perraro contingit. Si hoc, ipsorum obligatio ad universam Ecclesiam extenditur: secus, si hanc non adjiciat approbationem, sive declarationem. Declarationes autem S. Congregationis Cardinalium magni quidem momenti sunt, magnoque in pretio habendae; at leges Ecclesiae proprie dici non possunt, sed potius legis jam conditae, et in Ecclesia vigentis interpretationes. Quod si interdum aliqua declaratio fiat, quae vel novum jus condat, vel ambiguum et obscurum pandat, eamdemque S. Pontifex ad examen vocet, specialiter approbet, et promulgari jubeat; tunc legis Pontificiae vim et efficaciam acquirit: quod maxime patet in decretis, quibus damnatae sunt tot in morum doctrina propositiones.

VII. *In Ordinibus Regularium, adest et potestas leges ferendi.*

Etiam in Ordinibus Regularium a S. saltem Pontifice collata potestas est ferendi leges ad eorumdem Institutum accommodatas. Quoniam et ipsi Communitatem perfectam efficiunt relate ad finem, quem sibi unusquisque eorum praestituit: unde et in ipsis Caput Communitatis admittere oportet, qui eam regat, atque administret, ac nedum peculiaria praecepta, sed etiam leges statuere valeat, ad quas observandas subditi teneantur. At vero in quo haec potestas resideat, an in supremo Praelato, vel in Capitulo, aut Congregatione generali, definiri minime potest, sed uniuscujusque regula consulenda est, juxta quam leges ferri debent: neque enim ultra illam Superiorum se potestas extendit, nisi de speciali Sum. Pontificis concessione. Ad solvendas autem plures difficultates circa personas, quae potestate fruuntur, aut carent, ferendi leges, sive laicae sint, sive Ecclesiasticae, ea semper ante oculus habenda regula est, quam supra notavimus, nimirum *potestatem legislativam cuicunque solummodo competere, qui praeest Communitati in genere suo perfectae, eamque administrat.*

VIII. *Quo se extendat jus, quo potiuntur Principes Saeculares, ut Ecclesiae protectores.*

Vi juris, ac defensionis Ecclesiae, quo fruuntur Christiani Principes, possunt, immo saepe debent tueri fidem ac Religionem adversus hostes, coercere rebelles, et contumaces poenis temporalibus, caussas dissidiorum inter ipsos Ecclesiasticos de medio tollere, curare, ut sacri Ecclesiae Canones observentur, ut divinus cultus promoveatur; statuta etiam condere queunt, quibus et personae et res sacrae et fides et morum disciplina in tuto posita sint, et id genus alia. Tanta namque est inter regalem et Ecclesiasticam dignitatem connexio, ut vix una sine altera possit consistere. Ecclesia enim inspirat populis amorem et obedientiam erga Reges; et Reges Ecclesiastica statuta temporalibus poenis formidanda efficiunt.

CAPUT VI.

Determinantur ea, quae legum tum Civilium, tum Ecclesiasticarum obligationem spectant, modumque, quo haec obligatio adimplenda est.

Plura sunt, quae sub examen Theologorum veniunt de legum tum Civilium, tum Ecclesiasticarum obligatione, ac hujusce obligationis modo disserentium, quae nonnullis propositis certis regulis expediemus.

I. Regula prima. *Leges injustae non obligant in foro conscientiae, nisi forte aliquando per accidens.*

Hic sermo non est de humanis legibus, quae divinae legi contrariae sunt: eas enim nunquam, aut nuspiam obligare, aut observandas esse, jam supra docuimus. Sed loquimur de iis legibus, quae ex aliquo alio capite injustitiam continent, quas ita describit S. Th. 1. 2. q. 96. a. 4. » Injustae sunt leges vel *ex fine*, sicut quum aliquis » Praesidens leges imponit onerosas subditis non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem, vel glo» riam: vel etiam *ex authore*, sicut quum aliquis legem fert ultra » commissam sibi potestatem: vel etiam *ex forma*, quum inaequaliter » onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum com» mune. Et hujusmodi magis sunt violentiae, quam leges; quia sicut » Augustinus dicit in lib. 1. de lib. arb. c. 5. *Lex esse non videtur*, » *quae justa non fuerit*. Unde tales leges non obligant in foro con» scientiae ». Subdit tamen apposite S. D. statim post ultima verba: » nisi forte propter vitandum scandalum, vel turbationem, propter » quod etiam homo jure suo debet cedere, secundum illud Matth. » 5. *Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo, et qui* » *abstulerit tibi tunicam, da ei et pallium* ».

II. Regula secunda. *Lex a Legislatore condita falso existimante, eam esse licitam, nec vera lex est, nec obligare in conscientia potest.*

Nemo ad peccatum obligari potest, nec ad id, quod communi bono utile non est. Exemplum sit: si superior eum, qui in facie Ecclesiae matrimonium contrahit cum occulto impedimento dirimente, quod ipse certo novit, praecepto, atque etiam excommunicatione obstringat ad consummandum matrimonium; ipse nullatenus nec petere, nec reddere debitum posset, et petendo, vel reddendo peccaret, sicuti habetur C. *Licet*, tit. de Rest. spolias. et C. *Inquisitionis*, tit. de sent. Excom.

III. Regula tertia. *Lex fundata in praesumptione facti non obligat, si praesumptio falsa sit. Obligat vero, si in juris praesumptione fundetur.*

Prior pars clara est et clarior hoc exemplo fiet. Si Princeps ex praesumptione hostilis animi, populi regno suo contigui legem ferat de vino, aut frumento ipsi non deferendo, et experientia comperiatur, Principem falsa penitus praesumptione inniti, lex illa non obligaret. Tunc quippe deficit Legislatoris intentio, obligandi scilicet subditos suos, quum veritas praesumptioni non respondeat.

Praesumptio *juris* proprie dicta praesumptio non est: quia Legislator in ferenda lege judicio absoluto, ac certo regitur, quamvis

occasionem accipiat ex dolis, aut fraudibus, quae communiter contingere solent. Quapropter etiamsi in aliquo casu fraudes, aut fallaciae non contingant, non ex hoc particulari casu cessat obligatio legis, quae juxta S. Th. illud respicit, quod *in pluribus accidit.* Sic Trid. Conc. Matrimonia clandestina prohibuit ac nulla declaravit ob fraudes, damna, et incommoda plura, quae ex his sequi frequentius solent. Sed quia legem absolutam et universalem rogavit, idcirco, tametsi in hoc vel illo casu locum non habeant incommoda hujusmodi, nihilominus lex vim non amittit obligandi omnes.

IV. Regula quarta. *Quaelibet lex vera, propriique nominis subditorum conscientias obligat, ut in potestate Legislatoris non sit veram legem instituere, quae sub aliqua culpa non obliget.*

Obligare namque, ut docet S. Th., proprietas legis est, quae ab ipsa separari non potest: hoc ipso siquidem, quod proprie lex sit, jubet aliquid vel fieri, vel omitti, quod obedientiae praeceptum infert relate ad subditos; adeoque inobedientia, seu legis transgressio nunquam est sine peccato. Quare sibi contradiceret Legislator, si veram legem institueret, simulque declararet, nolle se sub ulla culpa subditos obligare.

V. Regula quinta. *Gravitas, aut levitas peccati in transgressione legis humanae, repetenda est ex gravitate, vel levitate materiae, quae cadit sub lege.*

Materia gravis hic dicitur, quae vel secundum se gravis est, vel quae, tametsi levis in se videatur, comparate tamen ad commune bonum a Legislatore intentum, et spectatis circumstantiis omnibus, magni momenti est. Sic communio Paschalis, annua confessio, auditio Missae diebus festivis, jejunium Quadragesimale, aliaque hujusmodi reputantur ex se et absolute res graves. E contra delatio pecuniae extra Regnum tempore belli, aut frumenti tempore famis etc. licet absolute levia, gravia sunt relate ad finem, quem legislator intendit. Si igitur Legum materia gravis sit alterutro ex his modis, ea obligant sub gravi peccato: secus, sub levi. Quia gravitas, aut levitas culpae, sub qua leges obligant, debet esse proportionata materiae legum ipsarum.

Porro quaenam gravis, aut levis materia sive absolute, sive saltem respective existimanda sit, ex iis colligi potest: 1. si Legislator in ferenda lege verbis utatur, quae gravem obligationem exprimant, ut si praecipiat, aut vetet *secundum omnem suam potestatem*, *in virtute sanctae obedientiae*, *sub interminatione divini judicii* etc. Quamvis enim ad obligationem gravem inducendam necessariae minime sint hujusmodi loquutiones, aut formulae, quum sufficiat Legislatoris imperium, si tamen apponantur in lege, quae levis momenti fortassis videri queat, argumento sunt, ut materia legis, spectatis circumstantiis, gravis esse praesumatur. 2. Colligi materiae gravitas potest ex gravitate poenae, quae transgressoribus imponitur, ut si Legislator jubeat sub poena mortis, privationis bonorum omnium, aut excommunicationis sive latae, sive etiam ferendae sententiae. Prudens namque Legislator pro re levi gravem poenam non imponit. 3. Colligitur etiam ex communi Sapientum, aut totius populi de legis gravitate judicio. Ac demum 4. ex consuetudine, quae sicut optima *legum in-*

terpres est, ut dicitur cap. 8. *de constit.* ita et gravitatis earumdem materiae.

VI. Regula sexta, *Legislator humanus non potest, nec materiam absolute, aut respective gravem praecipere, vel prohibere sub levi culpa, nec levem sub culpa gravi.*

Quoad priorem partem plures Authores partem affirmantem tuentur. At sententia negans communior est inter Theologos, mihique certa, si materia legi subjecta omni ex parte gravis sit, nullaque occurrat circumstantia, vi cujus levior evadat. Legislator enim humanus, dum veram ac proprie dictam legem instituit de re absolute, et spectatis omnibus circumstantiis gravi; hoc ipso divinum praeceptum de obedientia praestanda superioribus in materia gravi versatur. Porro omnia divina praecepta, quae versantur in materia gravi, gravem quoque inferunt obligationem, quae per nullius hominis voluntatem impediri potest.

Pars altera ab iis etiam docetur, qui priori repugnant, et hoc argumento evincitur, inter alia, quae possent afferri, quod scilicet lex humana, ut justa sit, ac rationabilis, debet esse conformis legi aeternae ac naturali: lex autem aeterna, et naturalis nunquam sub gravi culpa jubet, quum materia absolute et respective levis est: ut patet in praeceptis, quae prohibent mendacium sive officiosum, sive jocosum, modicum furtum, levem intemperantiam etc.

VII. Regula septima. *Trangressio cujuscunque legis, sicut etiam divini consilii, si fiat ex contemptu, lethale semper peccatum est.*

Duplex contemptus legis (idem dicas de consiliis divinis, Monasticis Regulis etc.) distinguendus est cum S. Th., caeterisque Theologis, alter legis cujuslibet transgressioni communis: nam qui legem transgreditur, eam quadantenus semper contemnit, sive non curat. Contemptus iste speciale peccatum non est a legis transgressione distinctum. Alter est contemptus peculiaris, quem etiam *formalem* nominant, quo quispiam legis subjectionem respuit; legemque ipsam aspernatur, vel quia vanam, et inutilem judicat, vel quia subjectum esse Legislatori recusat. Unde nec qui ex infirmitate et passione, nec etiam qui ex malitia legem violat, proprie censetur peccare ex contemptu, quamquam ex eadem, vel simili caussa, vel etiam sine caussa, et ex consuetudine illam violaret. Audiamus D. Th. de hac re ita disserentem 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. *Tunc committit aliquis, vel transgreditur* (legem) *ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulae: et ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. Quando autem e converso propter aliquam particularem caussam puta concupiscentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulae, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia caussa, etiamsi frequenter ex eadem caussa, vel alia simili peccatum iteret.* Subdit vero: *Frequentia tamen peccati dispositive inducit ad contemptum* secundum illud Proverb. 18. » Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit ». Itaque qui legem aut regulam transgreditur ex contemptu, licet materia levis, aut levissima fuerit, semper lethaliter peccat. Objectum namque peccati in eo casu non est ipsa materiae parvitas, sed contemptus ipsius legis, et Legislatoris, cui gravis injuria irrogatur.

VIII. Regula octava. *Leges mere humanae plerumque non obligant cum mortis, sive gravi damni periculo.*

Dico, leges mere humanae. Si enim mere humanae non sint, sed ut saepe contingit, quidpiam praecipiant, aut vetent, quod ad jus divinum, maximeque naturale pertineat, alio modo loqui debemus. Tunc enim aut plerumque, aut etiam semper obligant cum periculo subeundae mortis, aut alterius gravissimi nocumenti, quando scilicet quod praecipitur, vel prohibetur, intrinsecus bonum, vel malum est, aut dedecet rationalem naturam, sicut diximus agentes de lege naturali. Quod enim suapte natura illicitum, aut malum est, nunquam desinit esse illicitum, ac malum: atque adeo mortem ipsam potius subire tenemur, quam ejusmodi legibus non obtemperare.

Si igitur mere *humanae sint leges*, seu quae inhibeant aliquid quod malum non est, nisi quia prohibetur a lege, sententia est inter Theologos probatissima, plerumque non obligare, si occurrat vitae, aut alterius gravis damni discrimen: cujus ea ratio est, quod eo in casu praeceptum humanum concurrit cum alio praecepto graviore, nempe naturali, de propria vita conservanda, gravique damno avertendo, quod Legislator humanus nec vult, sed neque potest infringere: idque constat ex jure Canonico, in quo cap. 2. de Observ. jejunii statuitur, infirmos immunes esse a lege jejunii, *quum non subjaceat legi necessitas.* Atque ita ex Ecclesiae praxi, omniumque Theologorum consensu nec praeceptum audiendi Sacrum, nec recitandi canonicas horas, nec servandi abstinentiam a carnibus etc. gravi damno, nedum vitae periculo urgente, non obligant.

IX. Regula nona. *Leges humanae aliquando obligare possunt, et obligant etiam cum vitae periculo.*

Id ex eo constat, quod in humana Republica ea potestas admittenda sit, quae necessaria est ad sui conservationem, bonumque commune procurandum; alioquin satis eidem, provisum non fuisset. Ad hujusmodi autem finem obtinendum nedum utile, sed et necessarium interdum est ea praestare, vel praetermittere, quae vel gravis damni, vel etiam mortis periculum secum adferunt. Hinc Episcopus subdito suo Sacerdoti praecipere potest, ut infectis lue contagiosa Sacramenta administret. Hinc ductor exercitus jubere militi potest, ut excubias agat, ut in bello stationem non deserat etc. nulla habita ratione periculi, quod impendet.

At quandonam ita obligare leges humanae censendae sunt? Communis, eaque certa responsio est, urgere hanc obligationem 1. quando agitur de communi Reipublicae bono, cui per legis observantiae omissionem praejudicium inferretur, sive, ut alii dicunt, quum id, quod humana lege jubetur, tanti momenti est, tantumque confert Communitatis bono, ut in prudenti aestimatione praeferendum sit etiam vitae hujus vel alterius civis. 2. quoties observantia legis praetermitti nequit absque gravi proximorum scandalo. 3. demum quando violatio legis cederet in contemptum fidei, aut religionis, vel etiam legitimae potestatis. Quapropter si cui incutiatur timor mortis, nisi vel Missam praetermittat in die festo, vel carnes comedat in die jejunii, vel Sacrum celebret sine sacris vestibus et caeremoniis etc. idque fieret in contemptum Religionis, aut Ecclesiasticae potestatis;

aut in iis circumstantiis, in quibus mysteria fidei, aut Religionis Christianae ludibrio infidelium, et pravorum hominum exponerentur; tunc mors potius subeunda foret, quam legem non observare.

X. Regula decima. *Quaelibet lex humano modo observanda est, voluntarie scilicet, ac juxta finem ipsius intrinsecum.*

Loquimur de legibus, quae fieri aliquid praecipiunt: nam leges, aut praecepta, quae aliquid praetermitti jubent, satis adimplentur ex eo, quod opus vetitum, puta homicidium, furtum etc. omittatur. Leges itaque, quae positivos actus injungunt, implendae sunt actibus humanis, sive voluntariis, et ex hac subjectione legem observet juxta finem intrinsecum ejusdem legis, qui ab ipsius objecto non distinguitur. Unde actibus mere coactis lex non impletur, ut si quis omnino invitus cogeretur manere in templo, dum Missae sacrificium celebratur, aut servare jejunium ob carentiam ciborum, haec praecepta neutiquam adimpleret. Ut autem difficultates quaedam diluantur, duplex voluntas, aut intentio distinguenda est; altera, qua intenditur praecepti observantia, altera, qua intenditur executio rei praeceptae: quae rursus intentio esse potest vel actualis et expressa (quae necessaria non est); vel virtualis, et interpretativa, contenta in voluntate faciendi opus, quod lege praecipitur. Priorem non requiri docent Theologi omnes cum S. Th. 2. 2. q. 104. a. 3. ad 2. Posterior necessaria omnino est, ac sufficit ad praeceptum implendum. Lex enim non praecipit positionem actus prout praecepti, vel ex intentione satisfaciendi praecepto, sed ut actus voluntarie ponatur. Hinc si quis non animadvertens diem festum esse, Missam devote audiat, praeceptum implet, quin ad aliam Missam teneatur.

At quid, si quis Missam quidem audiat in die festo, sed ex privata sua devotione aliam subinde audire deliberans, ut satisfaciat praecepto? Conformius esse existimo laudatae S. Th. doctrinae, ac veritati, hunc per prioris Missae auditionem satisfecisse Ecclesiae praecepto, nec ad aliam audiendam obstringi, dummodo congruo tempore intentionem mutet, aut judicium saltem efformet de praecepti adimpletione: quoniam reapse posuit opus, quod ab Ecclesia praeceptum erat; illumque ut summum ad aliud Sacrum audiendum, si tempus suppetat, ne scrupulis exagitetur, consulerem.

Diximus praeterea, legem esse observandam juxta finem ejusdem intrinsecum. Duplex enim finis distingui debet, *intrinsecus* alter, qui nihil aliud est, quam objectum, sive res ipsa praecepta a Legislatore: alter *extrinsecus*, quem sibi ulterius praefigere potest. Priorem semper intendere necesse est, illumque semper intendt quicumque rem praeceptam, juxta modum, quod fieri oportet, exequitur. Hinc qui e. g. recitat canonicas horas, aut Missam audit attente ac devote, quod de substantia orationis est, legem adimplet. Finem extrinsecum, quem sibi praefigeret Legislator, intendere in legis observatione minime tenemur, nisi forte in ipsa lege expressa mentio fiat de hoc fine: tunc enim evadit ipse materia legis, ac finis ejusdem intrinsecus, puta si Legislator jejunium, aut orationem praecipiat ad avertendam publicam aliquam calamitatem, aut aliquid a Deo obtinendum pro Communitatis bono.

XI. Regula undecima. *Actu ex fine, aut ex circumstantia vitioso, et corrupto, praeceptum non adimpletur.*

Regula haec praecipue spectat praecepta divina, et Ecclesiastica, quae praecipiunt tum actum, tum actus honestatem, non autem praecepta humana civilia: quoniam quum finis legis humanae civilis sit externa hominum politia, ac Reipublicae tranquillitas, necesse non habet ad hunc finem assequendum, nisi ut praecepta sua reipsa impleantur. At vero, quum finis tum divinae, tum Ecclesiasticae legis sit animarum salus, adeoque spiritualis, ac supernaturalis; ea, quae ipsa praecipit, vult, etiam eo modo, fieri, ut ad finem hunc referri queant. Quare si quis praeceptum Ecclesiae exequatur fine aliquo, vel alia circumstantia vitiosa, et prava, quae opus ipsum inficiat, atque corrumpat; praeceptum non implet: ut si ad audiendum Sacrum accedat animo, et intentione aspiciendi mulierem, aut aucupandi gloriam hominum, non autem religiosum Deo obsequium exhibendi; finis iste substantiam actus corrumpit, atque adeo praeceptum non impletur. Non idem tamen asserendum est, si finis pravus mere actum comitetur, ut, dum quis attente, et devote Missam audit, simulque impulsu aliquo vanae gloriae permovetur, aut divagatur animus in conspectu mulieris. Nam haec circumstantia inficit quidem operantem, non autem opus ipsum, quod fieri aeque potest ex religionis motivo.

XII. Regula duodecima. *An unico, eodemque actu impleri, aut non impleri valeant plura legis praecepta, ex voluntate Legislatoris colligendum est.*

Quum enim voluntas ferentis legem sit tota ratio ipsius legis, aut praecepti, si ex fine, circumstantiis, natura operis praecepti, aut ex communi piorum sensu prudenter colligatur, Legislatorem satis habere unius, ejusdemque actus executionem ad plura adimplenda praecepta; tum per unicum actum omnibus satisfiet: secus, si potius oppositum colligatur. Exemplis haec regula perspicua fiet. Dum S. Pontifex jejunium praescribit pro acquirenda Jubilaei indulgentia; dum Confessarius Sacri auditionem poenitenti injungit per integrum annum; quin aliud exprimat; priore in casu satisfacit quis debito suo unico, eodemque jejunio, si praescripta jejunia contigerint in Quadragesima: alter vero non tenetur diebus festivis in anno occurrentibus pluribus Missis interesse. Sic etiam unica Missae auditione ex omnium consensu adimplet Ecclesiasticum praeceptum, si in die Dominico festum aliud recurrat, in quo Missa audienda sit. E contra, si ex voto aliquis jejunare teneatur, aut Confessarius Missam audiendam injungat pro peccatorum poenitentia; nec uno eodemque jejunio, quod ex lege Ecclesiae praescribitur, nec unius Missae auditione die festo praescriptae suae obligationi satisfacit. Cujus rei non alia ratio reddi potest, nisi quia ex circumstantiis et communi hominum sensu colligitur, talem esse praecipientis intentionem.

XIII. Regula decimatertia. *Eodem tempore satisfieri potest praeceptis diversis, si executio unius alterius executioni non obstet.*

Ratio est, quia quum in praeceptis praescribi non soleat diversitas temporum; sed operis executio, eodem tempore totum id perfici valet, quod praeceptis pluribus praescriptum est. Sic ex communi

sententia eodem tempore potest aliquis et Missam audire, et horas Canonicas, ad quas tenetur, persolvere: quoniam duo haec praecepta ad finem eundem referuntur, et attentio ad officium divinum non impedit attentionem ad Missam. Non idem vero dicendum est, si quis eo tempore, quo Sacrum celebratur, Sacerdoti peccata sua confiteatur: altera quippe attentio ad peccatorum confessionem peragendam alterius attentionem excludit.

XIV. Regula decimaquarta. *Peccati reus est, qui voluntarie impedimentum apponit, ut ab observanda lege immunis evadat.*

Qui enim impedimentum apponit observantiae legis ea intentione, ut a lege observanda subtrahatur, satis declarat pravam, quam gerit, animi sui dispositionem, agitque in ipsius fraudem, *quae nemini patrocinatur*, ut est in proloquio. Quare si quis vel infirmitatem voluntarie contrahat, ut liber sit a lege jejunii, vel ea intentione se inebriet, ut ab audienda Missa eximatur, atque ita de aliis, a peccato nullatenus excusandus est.

Quin etiam peccare in legem censeo, qui actionem haud necessariam aggreditur, vel exercet tempore urgentis praecepti, vi cujus ab adimplendo impeditur, aut impedimentum non removet, quod absque gravi damno facile removere potest. Siquidem quum lex aliquid agendum praescribit, saltem virtualiter id omne vetat, quod cum actione, aut ommissione praescripta componi neutiquam potest, si grave aliquod incommodum ab actione, aut omissione non impendeat. Hinc qui E. C. die festo iter absque ulla justa caussa susciperet, unde secuturam praevidet omissionem Sacri, peccat contra praeceptum Ecclesiae de Sacro audiendo: qui, dum urget praeceptum jejunii, ita ludendo defatigatur, ut jejunare non possit, peccat contra jejunii praeceptum, atque ita de pluribus aliis, quae occurrere saepe solent.

XV. Regula ultima. *Qui integrum praeceptum adimplere nequit, ad partem, quam exequi valet, adimplendam obligatur.*

Haec regula extra omnem dubitationis aleam posita censeri debet, postquam S. Pontifex Innocentius XI. eam propositionem damnavit: *Qui non potest recitare matutinum, et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se minorem.* Et Benedictus XIV. duplici Decreto sententiam prohibuit, quae asserebat, dispensatos ab abstinentia carnium non teneri ad unicam comestionem in diebus quadragesimalis jejunii. Quae Pontificiae Prohibitiones ad alias quoque leges omnes extendendae sunt, in quibus earum materia divisibilis est, aut plures partes complectitur. Eodem quippe ratio militat in omnibus.

CONSECTARIA.

I. *Verae legis rationem non habet statutum in quo Legislator declarat, se nolle subditos obligare.*

Si superior statutum aliquod ferat, declaretque expresse, nolle se obligare subditorum conscientiam, eo in casu subditi nequaquam tenentur ad ipsum observandum sub peccato, vigore saltem ejusdem statuti. Sed tunc istud verae, proprieque dictae legis rationem non obtinet dumque suam hanc intentionem superior declarat, simul significat, se nolle exigere a subditis obedientiam, sed impliciter ordi-

nare, quid agendum sit, quidve vitandum, idque per modum directionis potius, quam praecepti. Hujusmodi sunt quarundam Religionum Constitutiones, et praesertim Ordinis FF. Praedicatorum, in quo aperte declaratur, easdem non obligare ex se ad ullam culpam, neque venialem. Ita S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. et 2. ubi tamen subdit, hujus Ordinis Religiosos *posse venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, sive contemptu*. Et sane raro accidit, quod peccatum in harum Constitutionum transgressione non contrahatur, quia plerumque harum omissio ad honestum finem, juxta quem perficere omnia tenemur, referri nequit.

II. *Falsa quorundam opinio in exposita doctrina.*

Non est admittenda quorundam opinio, qui putant, non obligare sub gravi peccato legem Ecclesiasticam, si jubeat aliquid sub poena excommunicationis majoris, non *latae*, sed *ferendae sententiae*. Nam qui hanc legem transgreditur, sane excommunicari meretur. Igitur etiam legem sub gravi culpa obligare dicendum est. Idem asserendum videtur, si aliquid prohibeatur ab Ecclesia sub poena suspensionis ab officio, et beneficio, sive etiam interdicti, et irregularitatis: quoniam hae poenae graves sunt, adeoque satis indicant gravitatem materiae cadentis sub lege, et Legislatoris voluntatem obligandi sub culpa gravi. Equidem irregularitas etiam ob veniale, immo ob nullum peccatum contrahi potest; ea tamen, quae per modum poenae, ob peccatum irrogatur, non fertur nisi propter grave delictum.

III. *Si Superior praecipiat sub gravi quod absolute, et respective levis est, non sub gravi, sed sub levi obligat.*

Si res de se absolute et comparative levis sit, et imprudenter praecipiatur a Superiore cum expressa voluntate obligandi sub gravi, sub gravi non obligat, ut dictum est. Obligat tamen sub levi culpa, et sub hujus reatu subditus ad eam implendam tenetur. Quoniam licet ordinatio aut praeceptum injustum sit ex ea parte, qua rem levem injungit sub gravi peccato, injustum tamen non est, quatenus simpliciter praecipit, et aliquam obligationem inducit materiae praecepti proportionatam; adeoque qui vere obediens est, eam exequatur oportet, ut leve saltem peccatum devitet.

IV. *Licet contemptio legis grave semper peccatum sit, leve tamen esse potest contemptio rei praeceptae.*

Ne plus justo conscientiae graventur, dum agitur de contemptu legis et Legislatoris, quem lethale semper peccatum esse diximus, distinguenda est horum *formalis* contemptio a contemptu rei quae cadit sub praecepto. Contingere quippe potest, ut aliquis rem praeceptam parvi pendeat, non ex eo, quod legem et Legislatorem contemnat, sed quia illam nullius momenti reputet, et ex hoc suo judicio ad eam non observandam moveatur. Tunc enim praecepti qualitas ex ipsa materiae qualitate metienda est, non ex contemptu Legislatoris, qui saepius non extat: adeo ut transgressio legis levis, vel gravis sit juxta materiae levitatem, aut gravitatem.

V. *Sanctimoniales tenentur, nisi in casibus exceptis, clausuram servare, etiam cum vitae periculo.*

Sanctimoniales clausurae legem, quam amplexae sunt, etiam cum gravis damni periculo, nisi in casibus a jure vel consuetudine exce-

ptis, observare debent, ut si gravis infirmitas urgeat, cui ex medicorum judicio necessaria sit aeris mutatio. Ita namque ad Religionis honestatem atque decorem expedire censuit Ecclesia; quae tamen eventus aliquos excipit: quorum primus incendium est, aquarum inundatio, hostium incursio; alter lepra, sive alius morbus, qui ceteras moniales inficeret; tertius est pestis: qui casu exprimuntur in Bulla S. Pii. V., quae incipit, *Decori, et honestati.* His alii casus adjecti sunt ex consuetudine, accedente proprii Praelati approbatione; nempe 1. quando Monialis ad aliud Monasterium transferenda est, ut illud regat, vel in eo regularem observantiam introducat. 2. Quum in proprio Monasterio corripi nequit de perpetrato delicto. 3. Quando integrum Monasterium ex justa causa alio transferri oportent. His casibus exceptis, qui *regulam*, ut dici solet, *firmant in contrarium*, lex clausurae servanda a Monialibus est, etiam impendente gravis damni periculo.

CAPUT VII.

De legum humanarum promulgatione.

I. *Leges omnes promulgandae sunt, ut vim habeant obligandi.*

Leges omnes promulgatione indigere, ut vim obligandi obtineant, jam ab initio docuimus cum S. Thoma, qui hanc omnino necessariam esse definit. q. 90. a. 4. 1. 2. inquiens: » Lex imponitur per » modum regulae, et mensurae. Regula autem, et mensura imponitur » per hoc, quod applicatur his, qui regulantur, et mensurantur. » Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est » proprium legis, oportet, quod applicetur hominibus, qui secundum » eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in » notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: unde promul- » gatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem ». Doctrinam hanc S. D. amplectuntur Theologi, et Canonistae omnes.

II. *Quomodo fieri debet promulgatio legis, ut obliget, et in quo differat promulgatio a divulgatione.*

Quo pacto haec fiat promulgatio, dum agitur de lege aeterna, et naturali, et quo facta fuerit promulgatio legis divinae positivae tum veteris, tum novae, abunde supra dictum est. Nunc de solis humanis legibus disserentes, illud in primis tamquam certum praemitto, spectata natura rei, nullaque facta suppositione, non aliam requiri promulgationem, nisi qua nota, et manifesta Communitati fiat voluntas, et intentio Superioris legem ferentis: adeoque necessarium esse, ut perficiatur signo aliquo exteriore, sensibili, et publico; sive signum hoc sit vox Praeconis, authoritate Principis legem intimantis, sive affixio Scripturae, legem continentis in determinatis locis, sive alio non absimili modo, et solemnitate, per quam lex deveniat, aut saltem *devenire possit* ad subditorum notitiam, ut inquit S. Th. Quapropter necesse non est, ut subditi omnes vel audiant, vel legant legem denunciatam a Principe, nec oportet, ut omnibus nota sit sed sufficit, ut ita promulgetur, ut ad eorum cognitionem pervenire queat. Hinc Theologi distinguere solent *promulgationem* legis ab ejus *divulgatione*. Et promulgationem quidem definiunt, quod sit *publica*

propositio, aut denunciatio legis facta nomine et auctoritate Principis, aut publica voce Praeconis, aut affixione legis in loco publico, aut qualibet alia publica, et sensibili solemnitate. Divulgatio autem est *quaedam promulgationis extensio, sive applicatio ad aures, aut notitiam illorum subditorum, qui vel promulgationi non interfuerunt, vel legem non audierunt, aut non legerunt.* Et quidem *promulgationem* consentiunt omnes necessariam esse ad legis vigorem; at non item *divulgationem*, qua omnibus manifesta fiat. Alias namque, si haec requireretur, pleraeque leges vel omnino nunquam, vel nonnisi post valde diuturnum tempus in ratione legis complerentur; nec moraliter posset esse compertum, quandonam omnibus innotescerent, eo quod in amplis precipue ditionibus pleraeque in singulorum civium notitiam fere nunquam devenient, nisi forte post longissimi temporis lapsum. Quod si quis illam minime noverit, tunc ab ejus observatione ignorantia invincibili, quae legem vigentem semper supponit, excusatur.

III. *Convenientius est ut Promulgatio non tantum in urbe Principis, sed etiam in Provinciis et civitatibus fiat.*

Non exigitur ex ipsa natura rei, ut lex intimetur hoc vel illo modo, haec vel illa solemnitate, sive in Urbe tantum regia sive in singulis Provinciis, aut Civitatibus, dummodo ita promulgetur, ut possit ad omnium pervenire notitiam. Longe quidem convenientius apparet, ut promulgatio Legis nedum fiat in Urbe principis, sed etiam in Provinciis, et Civitatibus Regni: difficile namque admodum est, ut populus omnis in pluribus, longeque inter se dissitis regionibus certam legis notitiam hauriat, dum in Urbe regia duntaxat, aut in unius Provinciae Metropoli pubblicatur. Sed hoc minime est necessarium; adeoque sufficit promulgatio facta consuetu ritu et solemnitate in Urbe regia, nisi aliter feri ab ipso Legislatore constitutum fuerit. In Regnis, et locis, ubi jus Imperiale receptum est, nonnisi post elapsum spatium duorum mensium, et post promulgationem in Provinciis factam leges vim habere obligandi subditos asserunt frequentius Doctores, ac jurisperiti, inferuntque ex iis, quae habet Justinianus in sua Novella 66. c. 1. et in ejusdem *Epilogo.* In aliis vero Regnis, quae nec Imperio, nec juri Romano sunt subjecta, liberum est omnibus Principibus, quam ipsi maluerint formam sequi in suis legibus promulgandis, dummodo quae de lege naturae est, promulgationem non praetermittant. Atque hoc praesertim quoad leges civiles.

IV. *Quaenam forma servatur ab Ecclesia in Promulgatione legis.*

Quod attinet ad leges Ecclesiae, summorumque Pontificum, si factum spectemus, non unam, eamdemque promulgationis formam et ritum semper extitisse in Ecclesia deprehendimus, sed pro temporum, locorumque varietate diversum. Ceterum mos, et consuetudo, quae hodiedum jam invaluit in Apostolica sede, et frequentius in promulgandis Pontificiis legibus adhibetur, in hoc consistit, ut Romana Decreta Romae publicentur, et per Cursorem Apostolicum affigantur ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Ecclesiae Lateranensis, et in acie Campi Florae, aliisque locis solitis, ut ad calcem Decretorum, et Bullarum, quarum promulgatio fit, passim exprimitur,

additurque: *Volumus, ut praesentes litterae ad valvas etc. affixae omnes ita arctent, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.* Quibus verbis apparet completam factam esse earundem promulgationem, atque adeo sufficientem ad obligandos fideles omnes, quin alia opus sit promulgatione facta in Episcoporum Dioecesibus.

Consectaria.

I. *Lex non obligat, nisi debito modo fuerit promulgata.*

Lex sola mente Legislatoris concepta, aut in Principis Concistorio probata, vel etiam Principis mandato scripta, et impressa, ejusque sigillo munita, immo etiam quibusdam palam facta, et cognita, nullam infert in subditis parendi obligationem, donec signo aliquo externo, sensibili, ejusdem Principis nomine, et authoritate proposita, et promulgata communitati fuerit. Haec enim solemnitas est penitus necessaria, ut dictum est. Lex autem, quae sufficienter promulgata est, obligat subditos omnes, eos etiam, qui illam invincibiliter ignorant, non quidem in actu *secundo*, ut inquiunt, sed in actu *primo*, quatenus lex praecepto suo eos quoque comprehendit, habetque, quantum in se est, illos obligandi virtutem; at ob ignorantiam invincibilem immunes a peccato sunt; dum eam non observant. Si tamen lex illa quidpiam decernat, quod ad statum moralem rerum, aut personarum pertineat, facta sufficienti promulgatione illius, omnem statim effectum suum consequitur: puta, si quempiam ad officium, aut beneficium inhabilem reddat, aut irritet aliquem contractum; ab ipso promulgationis tempore, et persona inhabilis effecta est, et contractus irritus, etiamsi lex adhuc divulgata non fuerit, et transgressor ejus notitiam non habeat, nisi tamen Legislator ipse aliter disponat, et tempus praefigat, quo lex obligare incipiat, prout praefixit Tridentina Synodus in Decreto, quo clandestina matrimonia invalida declaravit. Ea porro ratio est, quod effectus hujusmodi culpam non supponunt, ac finis illarum legum exigit, ut statim vim suam sortiantur.

II. *Leges Episcoporum ut obligent, satis est quod promulgentur in Cathedrali.*

Ut lex ab Episcopo lata pro Ecclesiae suae bono totam Dioecesim obligct, satis est, ut in sua Cathedrali Civitate promulgetur, nec requiritur, ut in Parochiis sibi subjectis publicetur, licet id convenientius sit, et reipsa ab Episcopo haec consuetudo servetur. Quoniam nullum jus extat in sacris Canonibus, nec Pontificium statutum, quod ad aliam promulgationem ipsos adstringat. Si tamen unus, idemque Episcopus pluribus Episcopatibus gaudeat, ut in Germania, necessarium videtur, ut in singulis suam legem promulget, aut saltem declaret, se velle, singulos ad eam legem observandam teneri. Siquidem Episcopatus de se sunt invicem independentes; et per accidens est, quod ab uno plures gubernentur, ex quo proinde nihil detrahi debet Cathedralibus Ecclesiis, quae singulae jus habent, ut sui Episcopi leges in ipsis promulgentur.

III. *Leges revocatoriae, conditionem sequuntur ceterarum legum.*

Leges revocatoriae, quae aliquid jubent, vel prohibent, ejusdem conditionis censendae sunt, ac aliae leges sive civiles, sive Ecclesia-

sticae, adeo ut promulgari aeque debeant, ac facta promulgatione vim statim obtineant, nisi aliud in illis declaretur; siquidem verae legis rationem habent. Unde sive revocatio sit alterius legis, sive facultatis, aut privilegii, sive consuetudinis, statim effectum suum consequitur. Sic e. c. consuetudo, quae ante Concilium Tridentinum permittebat, ut quilibet Sacerdos, quamvis non adprobatus ab Episcopo, posset excipere confessiones Sacerdotum saecularium, promulgato Concilio, ita sublata est, ut nullius valoris reputandae sint, si forte vel temerario ausu, vel ex ignorantia exciperentur. Idemque dicendum de facultate, quam simplices Sacerdotes ex plurium theologorum opinione sibi arrogabant, absolvendi a venialibus, quam decreto suo sustulit Innocentius XII.

IV. *Sententia Salmaticensium, in Promulgatione legis, minime probanda.*

Probanda non est sententia, quam referunt, ac tuentur PP. Salmanticenses Tract. XI. c. 1. puncto 6., nimirum nullam legem sive Civilem, sive Pontificiam, etsi in Curia promulgatam, vim obligandi habere tam intra, quam extra Curiam, nisi post duos menses, aut aliquod tempus, si Legislatores ipsi nullum tempus definiant. Siquidem lex omnis (de legibus Imperialibus non loquor, in quibus ex communi jure Imperii hoc tempus determinatum fuit) quum satis promulgata est, statim vim suam omnem obligandi acquisivit, nec eam obtinet a divulgatione, aut subditorum notitia, qui solum a peccato excusari possint, si illam invincibiliter ignorent. Quid ergo spatium duorum mensium, aut alicujus certi temporis arbitrio prudentum definiendi necessarium confingitur, nihil de hoc tempore determinante legislatore? Arbitraria prorsus et sine fundamento excogitata haec prudentum determinatio est. Profecto si haec sententia admittatur, neque qui Romae habitant, ad leges Pontificias tenerentur, nisi post duos a promulgatione menses, licet eas probe perspectas haberent, aliaque absurda sequerentur, quae consideranti facile occurrunt.

V. *Omnes parere tenentur Conciliorum, et Pontificum decretis de fide et moribus, etiamsi extra Romam non publicentur.*

Si leges, aut Decreta sive Conciliorum, sive Sum. Pontificum quidpiam tamquam de fide tenendum praecipiant, aut pertinens ad regulas morum, legis divinae explicationem, sacrorum administrationem etc. etiamsi vel in loco Concilii, vel Romae duntaxat publicata sint; tenentur fideles omnes eis obedientiam praestare quamprimum ad ipsorum notitiam pervenerint, neque ullo praetextu, quod receptae non sint, vel in suis locis non promulgatae, ab hac obedientia se eximere valent: tum quia ita postulat a quocunque fideli obedientiae debitum erga supremus Ecclesiae Antistites: tum etiam quia et ipsi Catholici Principes hujusmodi Decreta obsequiose suscipiunt, etiamsi aliquando contingat, ut ob aliquas politicas rationes, aut formalitates omissas in suis ditionibus non publicentur. Hoc aliquibus exemplis explicari potest. Sic Decreta, sive definitiones ad fidem pertinentes factae in S. Synodo Tridentina statim a Catholicis omnibus susceptae sunt. Sic Decreta Alexandri VII. Innocentii XI. et Benedicti XIV., qui tot laxas, scandalosas, et perniciosas Casuistarum

sententias damnarunt, Romae duntaxat promulgata, in universa Ecclesia recepta sunt, vimque obligandi omnes obtinuerunt, nemine Catholicorum Principe dissentiente. Sic demum Decreta, quae promulgata Romae sunt tum a laudato Benedicto XIV. tum a Clemente XIII. adversus pestilentissima opera P. Isaaci Berruyeri ab omnibus verae Catholicis magno cum plausu excepta sunt, nemine Catholicorum Principum refragante, quamquam in ipsorum ditionibus publicata non fuerint.

CAPUT VIII.

De legum humanarum acceptatione, et subjectione ad easdem.

I. *Humanae Leges, non pendent a populi acceptatione ut obligent.*
Leges humanas non pendere a populi acceptatione, ut obligent, extra omnem controversiam esse debet, postquam Alexander VII. Decreto suo hanc damnavit propositionem n. 28. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Quam etiam Conventus Cleri Gallicani anni 1700. declaravit *seditiosam, doctrinaeque Apostolicae, ac dictis Dominicis aperte contrariam.* Eam autem merito fuisse proscriptam dubitandum non est: siquidem aperte pugnat cum potestate condendi leges et subditos obligandi, quam a Deo collatam esse Principibus et Ecclesiae Rectoribus ex luculentissimis Scripturarum testimoniis superius demonstravimus. Universim vero eae omnes rationes, quas supra produximus pro asserenda auctoritate, et potestate Superiorum ferendi leges, aeque conspirant ad penitus evertendam libertatem, quam subditis aliqui tribuunt, illas vel recipiendi, vel recusandi. Siquidem ex hoc, quod Principes potestate legislativa potiuntur, possunt eosdem compellere ad acceptationem et obedientiam praeceptorum suorum: alioquin vana foret ipsorum potestas, ac futile, et inane figmentum. Tenendum ergo omnino est, Rectores Reipublicae sive politicae, sive Christianae posse leges suas promulgare, iisque vim obligandi conferre, non expectato populi consensu, aut acceptatione, immo ipso etiam repugnante, dum cognoscunt, eas communi bono aut necessarias esse, aut admodum utiles.

II. *Nonnulla praemittuntur ex doctrina D. Thomae; de subjectione ad leges humanas.*

Alia hic quaestio esset satis implexa de iis, qui Principum legibus subjiciuntur. In qua antequam quidpiam statuam, nonnulla praemitto ex doctrina D. Th., quam tradit 1. 2. q. 96. art. 5. Ac primo quidem clarum est, hic non agi de subjectione ad legem naturalem, aut divinam. Compertissimum quippe est, omnes prorsus homines divinae legi subjectos esse; sed de subjectione ad leges positivas humanas tum civiles, tum Ecclesiasticas, in quibus ea generalis regula est, *omnes, qui alicui potestati subjiciuntur, subjici quoque legibus a tali potestate latis* juxta illud Apostoli: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Qui autem ab hac subjectione absoluti sunt, nec ejusdem legibus subjiciuntur. Quia tamen saepe contingit, aliquem subjici potestati inferiori et subordinatae ad aliam superiorem; si dispensationem, aut privilegium ab hac obtinuerit, quo eximatur vel

omnino, vel quoad aliqua praecepta a subjectione Inferioris potestatis, huic obedire non tenetur. Haec regula generalis notanda est ob ea, quae postea dicturi sumus. Distinguit praeterea S. Th. duo legis officia, quorum alterum est dirigere humanas actiones, alterum compellere subditos poenarum metu ad obedientiam legibus praestandam. His ex Doctrina S. Th. constitutis, ad aliquas peculiares regulas, quae ad hoc argumentum spectant, derivandas accedo: ac primum quoad eos, qui a legum humanarum subjectione exempti sunt.

III. *Regulae circa, eos qui legibus subduntur; et primum de infantibus et amentibus.*

Pueri, qui nondum ad rationis usum pervenerunt, humanis legibus subjecti non sunt. Evidens ratio est: quoniam lex essentialiter regula quaedam est. Regula autem non imponitur nisi iis, qui capaces sunt directionis humanae, ac libertatis; cujus pueri rationis, usu carentes incapaces sunt. Quare iis etiam diebus vetitis carnes comedendas praebere licet, secluso tamen scandalo. His accensent Theologi plures etiam perpetuo amentes ob eamdem rationem. Sed alii negant, ac discrimen a pueris hoc assignant, quod infantes in ea aetate suapte natura usus rationis sint incapaces: at vero perpetuo amentes, quum infantiae aetatem jam excesserint, natura sua sunt capaces rationis, ac directionis, solumque ex aliquo accidente ea privantur. Unde, quamquam ob defectum deliberationis a legis transgressione excusentur, perinde ac invincibiliter ignorantes; absolute tamen legi subjiciuntur. Quae sententia mihi verosimilior videtur, et piorum usui conformior, qui in diebus jejunii a porrigendis carnibus perpetuo amentibus abstinent. Ad tempus autem delirantes, sicut et ebrios lege comprehendi nullus dubitat.

IV. Regula secunda. *Circa infideles, et haereticos.*

Infideles legibus Ecclesiae non subjacent. Infidelium nomine veniunt omnes, qui fidem Christi non recepere, et Sacramento Baptismatis abluti non sunt, ut Hebraei, Muhamedani, Idololatrae. Ii igitur omnes legibus Ecclesiae non subjacent: quoniam Baptismus janua est, per quam in Ecclesiam intramus, et sicut qui baptizati non sunt, non introjerunt in Ecclesiam, ita ejus potestati, ac jurisdictioni non subduntur, adeoque nec legibus ab ipsa promulgatis. E contra vero quum haeretici per Baptismum ingressi sint in Ecclesiam, ejus subditi effecti sunt, ejusdemque legibus subjecti: et peccant, dum illas non observant. Quia tamen infideles subditi sunt Christo homini Deo, quamvis Ecclesiasticis legibus non teneantur, tenentur tamen praeceptis divinis positivis in Evangelio latis.

V. Regula tertia. *De subjectione Regularium ad leges Episcoporum.*

Regulares a jurisdictione Episcoporum exempti sunt, in pluribus tamen iisdem subjiciuntur. Prima pars constat ex privilegiis, quae Regularibus liberaliter indulsit Sedes Apostolica, et tacito saltem Episcoporum consensu firmata sunt. Unde non obstringuntur legibus Episcopalibus, aut Synodalibus, immo nec Decretis Synodorum Provincialium, ut, teste Fagnano in Cap. *Sicut olim* declaravit sacra Congregatio: adeoque non peccant, dum, semoto scandalo, leges hujusmodi non observant, nisi forte aliquid praecipiant, quod ad jus vel naturale, vel divinum positivum, aut etiam Canonicum in Ecclesia receptum pertineat.

Altera vero pars evincitur ex iis praesertim, quae in Concilio Tridentino de Regularibus constituta sunt. Quum enim plura jam decrevisset S. Synodus ad Regularium statum et reformationem spectantia, postremo sess. 25. cap. 22, concludit. Regulares quoad illa capita subjectos ab eo fuisse Episcoporum jurisdictioni, ac praeceptis, non obstantibus privilegiis quibuscunque, quae ipsis concessa sunt. Praecipua porro capita haec sunt: ac primum quidem, quod habetur sess. 5. c. 2. in eo consistit, quod Regulares praedicare non possint etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, nisi approbati a suis Superioribus, *se praesentent coram Episcopis, et ab eis benedictionem petant, antequam praedicare incipiant. In Ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo praedicare possint* 2. Quod possint prohiberi ab Episcopis, ne praedicent, et etiam puniri, si errores, aut haereses in populum disseminent. Ibidem. 3. Quod nullus Regularium, nisi approbatus ab Episcopo possit Confessiones saecularium audire. Sic sess. 23. c. 15. 4. Quod Regulares subdantur jurisdictioni Episcoporum in iis locis, ubi curam animarum exerceut. Sic sess. 25. c. 11. 5. Quod debeant publicare et servare censuras ab Episcopis emanatas, quemadmodum et dies festus. Eadem sess. cap. 12. 6. Quod Regulares ad publicas Processiones Episcopi compellere possint. Eadem sess. cap. 13.

Praeter haec, in quibus Regulares tenentur subesse Episcoporum dispositioni, ac praeceptis, nonnullos alios casus recenset Benedictus XIV. de Synodo Dioec. lib. 9. cap. 5. in quibus eadem obligatione obstringuntur, quaecunque sint eorum privilegia, et exemptiones. Primus habetur ex Decr. S. Congr. Episc. et Regul., quo praescribitur, *iis non licere etiam in eorum propiis Ecclesiis Sanctissimum Eucaristiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex publica caussa, quae ab Ordinario probata sit.* Quod tamen ex tacito Episcoporum consensu in aliquibus locis in desuetudinem abiisse videtur. 2. Episcopos compellere posse etiam Regulares ad observanda ea, quae rite statuta sunt circa Missae Sacrificium; prohibere, ne novas imagines, aut reliquias ab ipsis non approbatas exponant; injungere etiam sub poena suspensionis a Regularibus ipso facto incurrendae, ne quempiam extraneum Sacerdotem in suis Ecclesiis celebrare permittant absque praevia Ordinarii licentia: corrigere etiam, ac punire delinquentes in iis, quae spectant clausuram Monialium etiam iisdem Regularibus subjectarum: aliaque hujusmodi.

VI. Regula quarta. *Legislator tenetur suas leges observare quo ad vim directivam, non autem coactivam.*

Si legis materia aeque Legislatori, caeterisque subditis conveniat, Legislator ad legem suam observandam tenetur, non quidem quoad vim coactivam, *sed quoad* directivam. Dixi: *si legis materia aeque Legislatori, ac subditis conveniat.* Si enim utrisque communis non sit, ut quando materia legis Principem dedecet, non autem subditos, nulla ratio tunc est, cur ipsum obstringere debeat. Si vero aeque Legislatorem spectet ac subditos, ipsum quoad *vim directivam*, non autem quoad *vim coactivam*, lege teneri docet S. Th. cum omnibus

Theologis. Et quidem non teneri quoad *vim coactivam* patet ex eo, quod *nullus*, ut ait S. Th. loc. cit. p. 2. ad 3., *proprie cogitur a seipso: lex autem non habet vim coactivam, nisi ex Principis potestate.* Quod autem lege teneatur quoad *vim directivam*, adeout suis ipse legibus subjiciatur, easque transgredi nequeat citra peccatum, probare pergit ibidem S. D. his verbis: » Quantum ad vim directi- » vam legis Princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod » dicitur *extra* de Constit. cap. Quum omnes: *Quod quisque juris » in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet:* Et Sapientis dicit » auctoritas: *Patere legem, quam ipse tuleris.* Et in Codice, Theodo- » sius, et Valentinianus Impp. Volusiano Praefecto scribunt: *Digna » vox est majestàte regnantis, legibus obligatum se Principem profiteri, » adeo de authoritate juris nostra pendet authoritas. Et revera majus » imperio est subjicere legibus principatum.* Improperantur etiam ii a » Domino, *qui dicunt, et non faciunt*, et qui *aliis onera gravia im- » ponunt,* et ipsi nec digito *volunt ea movere*, ut dicitur Matth. 23. » Unde quantum ad Dei judicium, Princeps non est solutus a lege » quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coac- » tus legem implere ». Doctrinam hanc pluribus confirmare fas esset, si res exposceret.

VII. Regula quinta. *In Regimine Aristocratico, omnes subduntur legi quoad vim directivam simul, et coactivam.*

In regimine Aristocratico, et Democratico omnes tenentur legibus sive ab Optimatibus, sive a populo latis, nedum quoad vim directivam, *verum etiam* coactivam. Ratio est, quia in ejusmodi regimine nulla persona particularis est supremus Princeps; sed Respublica superior est relate ad quemcunque ad ipsam pertinentem, sive ea sit communitas populi, sive Optimatum, et Primorum. Potestas quippe regendi non est neque in hac, neque in altera peculiari persona, sed in omnibus conjunctim acceptis, hoc est vel in coetu Optimatum, vel in coetu populi, adeoque singuli superiorem habent, quo reguntur, et cui projnde subjiciuntur, ita ut non solum dirigat omnes, sed omnes compellere valeat poenarum metu ad praestandam legibus obedientiam. Quare omnes legibus subjecti sunt tum quoad vim *directivam*, tum quoad *coactivam.*

VIII. Regula sexta. *Clerici non minus ac alii, subjecti sunt legibus temporalibus.*

Clerici in rebus temporalibus, ac civilibus, non minus ac alii, subjecti sunt legibus Regum ac Principum, in quorum ditione versantur, salva solum Ecclesiarum, et personarum immunitate. Haec regula ex iis, quae supra diximus, de Principum temporalium authoritate, ac potestate disserentes, manifesta est; et luculenter colligitur ex illo Apostoli textu: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit.* In quo loquutum esse de potestatibus saecularibus, una est, ut notavimus vox, atque sententia Patrum. Deinde Clerici ex eo, quod in sortem Domini vocati sint, non desinunt esse cives, partes, aut membra politicae communitatis, immo tanquam pars nobilior ejusdem computantur, ipsiusque commodis omnibus, ac beneficiis perfruuntur. Cur ergo, aeque ac alii subditi, subjecti non erunt legibus pro tota Communitate ab ipsius legitimo Principe promulgatis, et ad commune bonum ordinatis?

Exceptionem additam regulae communi confirmant tum sacri Canones, tum Constitutiones Imperatorum, Principum, et Regum, qui ex obsequio erga Ecclesiam nedum sacros Antistites, sed etiam Sacerdotes, et personas Ecclesiasticas in quibusdam casibus exemptas esse voluerunt a legibus suis. Quod privilegium profitetur Innocentius IV. de sent. excom. C. *noverit*, dum ait: *In temporalibus generaliter, et generalis Ecclesiae solus Imperator* (idem dicas de ceteris Principibus, ac Regibus) *qui et Clericis, et laicis praeesse debet, privilegium concedere potest.* Porro quum haec immunitas a Principum legibus, eadem non sit in omnibus Regnis, ac Principatibus, sed alicubi major, alicubi minor juxta Principum voluntatem; ideo Patriae suae consuetudinem consulere unusquisque Clericorum debet, eamdemque sequi.

IX. Regula septima. *Clerici in Spiritualibus solis legibus Ecclesiae subduntur.*

In rebus spiritualibus, et Ecclesiasticis Clerici solis legibus Ecclesiae, Sum. Pontificum, aliorumque Praelatorum subjecti sunt. Haec quoque regula evidens, ac certa est ex iis, quae de utraque potestate Civili et Ecclesiastica constituta sunt. Nam potestas Principum saecularium non se extendit ultra res temporales et politicae Reipublicae temporale bonum spectantes; de quibus tantummodo leges ferre possunt, prout ejusmodi bono necessarium, aut utile esse judicaverint. De spiritualibus vero rebus leges ferendas relinquant oportet iis, quibus haec potestas a Christo Domino commissa est, scilicet Ecclesiae Praelatis, ne propriae authoritatis limites praetergrediantur.

X. Regula octava. *Peregrini et Vagi, non tenentur legibus locorum exquibus excedunt.*

Advenae, peregrini, et vagi non tenentur legibus locorum, e quibus excedunt, quibusdam tamen casibus exceptis. Advenae dicuntur ii, qui extra patriam suam domicilium figunt, et etiam qui in uno loco domicilium habentes in alio habitant, aut semper, aut saltem ad tempus. *Peregrini* vocantur, qui a loco proprii domicilii alio transmeant, animo tamen redeundi. *Vagi* tandem, qui nullibi domicilium fixum habent. Hi igitur omnes subjecti non sunt legibus territorii sui, quando extra illud versantur, ubi non obligant. Hoc constat ex cap. 1. de Const. in sexto, ubi dicitur, non teneri statuto Episcopi excommunicatione innodantis, qui furantur, si furtum committant extra Dioecesim. Deinde leges, et consuetudines locales affixae sunt loco, sive territorio, nec extra illud jurisdictio, aut potestas Legislatoris se extendit, sicut et Regum authoritas non extenditur ultra proprium regnum, et principatum. Atque haec sententia certa est apud omnes. Hinc peregrini non tenentur nec audire Missam, nec jejunare, si in loco sint, ubi haec praecepta non obligent.

Duo tamen casus excipiuntur a regula communi. Primus est, si lex patriae vel Principis actionem prohibeat ubivis factam ob speciale damnum, quod ex ea cederet communitati, ut esset e. c. venditio armorum, aliarumque rerum hostibus patriae, vel regni. Tunc enim etiamsi aliquis extra patriam et regnum versaretur, puniri posset. Nam delictum intra locum, ubi lex obligat, committi censetur ob damnum intra illud moraliter consecutum, ut ex lege 4. Cod. de

Commerc. habetur. Alter, si praeceptum personale sit, quod nempe immediate personam afficiat, non locum: tunc enim ubicunque fuerit, eo praecepto tenetur. Unde si Episcopus Sacerdoti celebrationem Missae, aut usum sui Ordinis absolute probiheat, is nedum in propria, sed nec etiam in aliena Dioecesi Missam celebrare, aut officia sui Ordinis exercere posset.

XI. Regula nona, *Peregrini et advenae, tenentur legibus locorum, in quibus versantur.*

Advenae, Peregrini, et Vagi, tenentur legibus locorum, in quibus moraliter esse dicuntur. Ratio est, quia hoc ipso, quod in loco aliquo moraliter consistant, vel permanenter, ut advenae, et forenses, vel saltem transeunter, ut peregrini, et vagi, subditi fiunt Principi, Episcopo, et loco, ubi vigeat consuetudo, quae vim legis obtinuerit. Ac de legibus quidem, quae spectant contractuum, testamentorum, et matrimoniorum solemnitatem, ac formam, nemo Theologorum dubitat. Universim vero de aliis legibus, et consuetudinibus probatis, atque receptis probatur: quoniam quisque ratione territorii, in quo versatur, legem et forum illius sortitur; et ordo ae tranquillitas Communitatis exigit, ut non aliis legibus peregrini utantur, quam indigenae, omnisque amputetur perturbationis, et confusionis occasio, quae plane sequeretur, si alii his, alii diversis legibus viverent, dum eodem in loco omnes consistunt. Probatur praeterea ex eo, quia peregrinus, dum extra suum territorium versatur, hujus legibus non obligatur, ut diximus: ergo par admodum est, ut obligari incipiat legibus territorii, in quo degit. Hinc S. Augustinus lib. 3. Confess. c. 8. ait; » Quae contra mores hominum sunt flagitia, pro morum » diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis, aut gentis » consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine » violetur. Turpis enim pars est suo universo non congruens ».

XII. Regula decima. *Peccant qui data opera a proprio territorio ad aliud se transferunt, ut obligationem legis effugiant.*

Peccant, qui data opera, ac studio deliberato a propria patria, vel territorio, ubi lex aliqua viget, alio se transferunt, ut vim obligationis effugiant. Haec regula satis aperte colligitur ex S. Th. doctrina, quam tradit 2. 2. q. 147. art. 4. ubi haec habet: *Circa peregrinos, et operarios distinguendum videtur: quia si peregrinatio, et omnis labor commode differri possit absque detrimento corporalis salutis, et exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitae, non sunt propter hoc Ecclesiae jejunia praetermittenda.* Ex qua hoc argumentum conficitur. Si vel ipsa peregrinatio bona fide suscepta, dum commode fieri potest, differenda est, ut lex jejunii observetur, quis non inde deducat, licitum non esse, eam data opera, ac fraudolento studio capessere, ut legis obligatio eludatur? Colligitur etiam sententia nostra ex eo juris principio C. 15. et 16. de Rescrip. *Fraus, et dolus alicui patrocinari non debet.* Legatur S. P. Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 13. c. 4. ubi hanc doctrinam propugnat, additque, *non videri, hodie fas esse ab ea recedere* post plures scilicet S. Congregationis decisiones, quas ibidem refert. Quare contrariam sententiam omni prorsus probabilitate destitui existimandum est, adeoque peccare omnes, qui eam sequuntur.

CONSECTARIA.

I. *Peccat legislator legem suam, absque causa non observans.*

Quum Legislator ex dictis teneatur ad legem a se editam quoad vim saltem *directivam*, consequens est, in eamdem legem delinquere si eam absque justa caussa, sublato etiam scandalo, non observet. Consectarium hoc est adversum PP. Salmant. tract. 10. c. 13. punct. 3. et P. Lacroixium lib. 1. c. 11. n. 675., qui laudant alios Theologos secum sentientes. Quapropter lethaliter peccaret, et legem transgrederetur e. c. S. Pontifex, si Canonicas horas non recitet, si sacrum die festo non audiat, si Ecclesiae jejunia non servet etc. etiam citra aliorum scandalum, excepta tamen legitima dispensatione, quam, sicut aliis, ita etjam sibi ex justa caussa concedere valet.

II. *Generales Ordinum Regularium, legibus sui Ordinis obligantur.*

Generales Ordinum Regularium teneri quoad vim *directivam* legibus Capitulorum, sive Congregationum generalium, certum est. An vero quoad vim etiam *coactivam*, consulendae sunt cujuscunque Ordinis constitutiones; ac juxta potestatem cuique Generali concessam res dirimenda est.

Falsa est, et potestati Principum temporalium adversa opinio plurium Casuistarum prout absolute, ac generaliter a Ludovico Molina proponitur, ac defenditur *de just. et jure* tract. 2. disp. 31. p. 151. edit. Mogunt. nimirum, *Clerici jam hodie a civili potestate sunt exempti, ita ut neque in Criminalibus, neque in Civilibus a saecularibus judicari possint, seu ab Ecclesiasticis duntaxat; exempti etiam sunt a tributis, et aliis oneribus.* Non minus falsa, et perniciosa censenda est illatio, quam ex doctrina citata Casuistarum eruit P. Escobarius t. 1. theol. lib. 5. sect. 2. c. 15. inquiens: *Infero, Clericos, secluso scandalo, non peccare mortaliter, Principum saecularium leges violando: quia legibus hisce directe non tenentur.* Quae deducta consequentia tota nititur falsa opinatione, quod Clerici etiam in temporalibus rebus proprie et directe subjecti non sint potestati Principum saecularium.

III. *Caussae de rebus Ecclesiasticis, non sunt trahendae ad tribunalia secularia.*

Caussae Sacerdotum, aut Clericorum in materia de doctrina fidei, de moribus, aliisque similibus, quae mere spiritualia sunt, et Ecclesiastica, non sunt trahendae ad tribunalia Judicum saecularium: sed Praelatorum judicio subjiciendae. Hi siquidem soli de hisce rebus sunt judices competentes, ad quos commissa a Deo est judicandi potestas: atque ita innumeris in locis Sacri Canones tradunt, ut supra jam notavimus. Judicium autem, seu caussae, ut vocant, *Possessorii* in materia beneficiali, juris Patronatus, Decimarum pene ubique dictionum etiam Catholicarum spectare, et jam pridem spectasse ad tribunalia Principum saecularium, communis est tum veterum, tum recentium Auctorum, qui de hac re pertractant, sententia, cui nedum suffragatur quotidiana, et notoria praxis, sed etiam Principum edicta, et ordinationes consonant: quia, inquiunt, *Possessorium* non est quid spirituale, sed temporale: nullumque; addunt, inconveniens est, quod respectu rei ejusdem *Petitorium* sit aliquid spirituale, et *Possessorium* temporale, quum nihil inter se commune

habeant. Atque ipsi SS. Pontifices, qui hoc jus *Possessorii* ubique gentium obtinere certe non ignorant, non solum eidem non refragantur, sed etiam adprobant, et jam a multo tempore adprobarunt, ut patet ex Bulla Martini V. ad Regem Gallisrum anno IX sui Pontificatus edita.

IV. *Privilegium fori, quo fruuntur Clerici vergere non debet in Reipublicae detrimentum.*

Exemptio Clericorum, quam *privilegium fori* communiter appellant, a Christianis Principibus Clericis indulta fuit in ipsorum favorem, ut nempe e forensibus judiciis immunes, liberius Domino vacarent, et eorum causae per Episcopos quam celerrime finerentur. Quum autem ea, quae in favorem inducta sunt, vergere minime debeant in praejudicium, ac damnum, sequitur, quod haec exemptio non auferat jus implorandi aliquando protectionem regiam qua se tueri, ac defendere valeant adversum vim, ac violentiam, quam forte patiuntur, quin aliter iisdem se defendendi pateat via. Neque Princeps, qui protectionem subditorum suorum abs se abdicare non potest, concedendo exemptionem Clericis a foro saeculari, eos neutiquam excludere valet a protectione sua, quam vi sui muneris, et officii praestare tenetur; siquidem non desunt esse membra, et cives Reipublicae. Quod exemplis pluribus confirmare fas esset. Cavendum tamen diligenter ab abusu hujus regulae, qui facile contingere potest.

V. *Viatores debent servare praecepta locorum per quos transeunt.*

Viatores sacro interesse debent, a carnibus abstinere, ac servare jejunium, si in loco, ad quem venerint, vel dies festus sit, vel urgeat jejunii praeceptum, quoties ibi integra die commorentur. Si vero solummodo transeant, eodem scilicet die, quo venerunt, recedentes, secluso scandalo, non obligantur. Immo si quis in aliquo oppido nocte dormiat, non tenetur summo mane, quo transiturus est, intercipere iter, ut sacrum audiat, si ad locum perventurus sit ante meridiem, ubi audiendi sacrum obligatio non extet. Si quis autem e loco discessurus, ubi praeceptum urget audiendi sacrum, possit absque incommodo sacrum audire, tenetur, illud ante discessum adimplere; ut si ex. gr. exire velit circa horam tertiam, et toto mane Missae celebrentur. Hoc infertur ex supra allata S. Th. doctrina, quam etiam sequuntur plures ex ipsis Probabilistis. Quare rejicienda est Salmanticensium doctrina tract. 1. c. 3. punct. 5. ubi *ut veriorem* tradunt sententiam oppositam. Generatim vero praecepta, quae territorium aliquod afficiunt tamdiu servanda sunt, quamdiu perdurat mora in eo territorio; adeoque si jejunii praeceptum vigeat in aliquo loco, observari debet, quousque ex eo exeatur.

Quamquam ex jure communi peregrini possint absolvi a quolibet Confessario a casibus etiam in propria Dioecesi reservatis, si quis tamen eo animo e propria Dioecesi egrediatur, ut in alia, ubi reservata non sunt, absolvatur, absolutionis beneficium non obtinet. Quoniam Clemens Papa X. in Bulla *Superna* jus hoc commune coarctandum censuit, declaravitque, ne Regulares, idemque dicas de saecularibus Sacerdotibus, possent absolvere a casibus reservatis in propria Dioecesi illos, qui ab ea discedunt, ut in alia, in qua reservati non sunt, absolvantur.

CAPUT IX.

De legibus quibusdam humanis peculiaribus, nempe poenali, *irritante, ac tributorum*

I. *Quid et quotuplex sit lex poenalis.*

Postquam egimus de lege humana tum Civili, tum Ecclesiastica in communi, pauca quaedam de legibus quibusdam peculiaribus hujusce generis disseramus, de lege scilicet *poenali*, *irritante*, *et tributorum.* Et a lege quidem *poenali* incipientes, lex *poenalis*, ut ipsum nomen sonat, dicitur *a poena*, quae a Principe Communitatis imponitur: eaque duplex est; alia pure poenalis; alia *mixta. Pure poenalis* vocatur illa, quae quidpiam equidem faciendum, aut omittendum statuit, nullo tamen expresso praecepto, sed poenae solius facta mentione, e. gr. *Si quis arma detulerit, aut frumentum e patria evexerit, centum nummos aureos solvet.* Mixta ea appellatur, quae aliquid fieri, aut omitti jubet, adjecta insuper poena in transgressores legis, aut praecepti. Porro poenae, quae in transgressores legis apponi possunt, ac solent, aliae *positivae* sunt, ut pecuniarium solutio, damnatio ad carcerem, ad triremes, ad mortem etc. aliae *privativae*, quae nempe privatione alicujus boni trangressores puniunt, ut officii, dignitatis, gradus, participationis bonorum sive Ecclesiae, sive Reipublicae etc. Aliae demum *mixtae* ex positivis et privativis, uti sunt, quae poenam aliquam positivam adferunt, simulque amissionem alicujus officii, beneficii, ac communis boni.

II. *Lex poenalis mixta ligat conscientiam.*

Communis imprimis, et ab omnibus approbanda sententia est: legem poenalem *mixtam* obligare sub peccato aut mortali, aut veniali juxta materiae gravitatem. Et ratio evidens est: quoniam lex quaelibet humana, ut supra ostendimus, verum praeceptum continet a legitimo superiore latum, quo quisquis subditorum adstringitur ad id praestandum, vel omittendum sub reatu culpae, quod fieri aut praecipitur, aut vetatur. Atque hoc quidem verum habet, certumque judicari debet, si aliter de Legislatoris voluntate non constet ex ipsa forma, qua lex praescribitur. Contingere namque potest, licet hoc rarissimum sit, ut lex non *copulative,* sed *disjunctive* feratur: at si hac, vel simili formula utatur Legislator in lege ferenda, *nemo e civitate frumentum extrahat, aut si extraxerit, solvat centum aureos:* tunc enim non esset obstrictus sub reatu culpae ad non extrahendum e civitate frumentum, qui ad poenam subeundam paratus est. Siquidem, dum lex ita *disjunctive* statuitur, arbitro subditorum relinquitur, ut partem eligant, quam ipsi maluerint. At semper verum est, quod lex illa ita disjunctive posita ad aliquid obliget, scilicet ad unam, vel alteram partem ipsius observandam sub peccato. Verum, ut dixi, leges hujusmodi aut nunquam, aut rarissime hac forma rogantur.

Ex ipsa autem qualitate poenae gravitas, aut levitas materiae, adeoque et obligationis, sub qua servanda lex est, facile desumi potest. Hinc leges Ecclesiasticae, quae aliquid praescribunt sub poena excommunicationis majoris, suspensionis, irregularitatis, interdicti

obligant sub gravi culpa. Si vero poena praescripta sit excommunicatio minor, vi hujus duntaxat peccatum grave colligi nequit, contrahi quippe potest ob venialem culpam. Quare tunc ex aliis circumstantiis gravitas materiae et obligationis colligenda est. Similiter si leges civiles praecipiant aliquid sub poena vel perpetui, aut diuturni carceris, publicae infamiae, triremium, confiscationis bonorum, mortis etc. obligare sub culpa gravi dicendum est; quoniam hujusmodi poenae graves, immo gravissimae sunt, neque praesumptioni locus est, prudentem Legislatorem sub comminatione talium poenarum legem ferre sub levi tantum culpa obligantem. Sed de hoc satis supra dictum est.

III. *Quid dicendum de lege solumodo poenalis, quando scilicet in lege sola exprimitur poena, non autem, Legislatoris imperium.*

Plures Authores defendunt, hasce leges ita conceptas non obligare quantum est de se, nisi ad solam subeundam poenam; *quantum*, inquam, *est de se*: siquidem assentiuntur omnes, obligare etiam sub reatu culpae, si actio, vel omissio, ob quam poena statuitur, sit aliqua lege vel naturali, vel divina positiva, vel etiam alia priori lege humana praescripta, aut prohibita. Nihilominus contraria sententia praeferenda est, quae et graviore authoritate, et validioribus momentis fulcitur: nisi tamen ex verbis Legislatoris satis constet, nolle se obligare ad culpam, sicut satis exploratum est, dum lex poenalis *disjunctive* ponitur, ut modo dictum est. Tunc autem si ita constet de voluntate Legislatoris, statutum illud lex veri nominis dicendum non est: quia lex omnis proprie dicta praeceptum semper involvit, quod a lege sejungi nequit, cum sit proprietas ejus essentialis, ut docet S. Thomas, sententiae porro nostrae ratio haec est, quia transgressio legum poenalium quaedam inobedientia est. At quis neget, inobedientiam legibus Superiorum praestitam peccatum esse?

Neque dicas, satis esse, ut inobedientia vitetur, ut quis paratus sit ad subeundam poenam. Nam primo responsio haec assertionem positam non evertit: semper enim verum est, poenalem legem ad aliquid conscientiam subditorum obstringere, saltem scilicet ad subeundam poenam: quod adversarii non videntur admittere in casu, quo quis ad eam subeundam non cogatur. At praeterea ad id quoque exequendum obligare, pro quo poena statuitur, asserendum est. Quoties enim Legislator in lege ferenda poenam decernit, quin aliud declaret, hoc ipso censetur actionem praecipere, aut prohibere: ideo namque poenam statuit, ut metu ipsius ad praestandam obedientiam legi, subditi efficacius urgeantur, et ut suam voluntatem clarius manifestet, ut patet exemplis harum legum: *Qui noctu arma detulerit, in carcerem detrudetur: Qui triticum extra patriam evexerit, exilio malctetur* etc. quae tametsi nihil expresse jubeant, aut prohibeant, implicant tamen praeceptum aliquod, illud videlicet, pro cujus observantia poena sancitur.

IV. *Quando transgressor poenam incurat, ante vel post sententiam judicis.*

Quod hic inquiri solet, illud est, an nempe qui leges poenales violant, teneantur poenam subire ante sententiam judicis. Cui quaestioni unica responsione satisfieri nequit ob poenarum diver-

sitatem, ac verborum, quibus ipsae imponuntur. Nam si poenae sint Ecclesiasticae, et ita exprimantur, ut statim incurri debeant, conveniunt Doctores omnes, expectandam non esse Judicis sententiam, ut quum dicitur: *Qui hoc, aut illud fecerit, vel omiserit, ipso facto excommunicationem incurrat. suo beneficio sit privatus, absque alia sententia, aut nulla Judicis expectata sententia,* sive etiam dicatur, *Ipsum excommunicamus, beneficio privamus, noverit se excommunicatum, suis bonis privatum, se beneficio excidisse* etc. Secus vero est, si leges, quae poenam comminantur, sint *sententiae ferendae*, vel significent, eam esse irrogandam: ut quum dicitur absolute, *Praecipimus* etc. *sub poena excommunicationis,* aut *excommunicationi subjicimus: sub poena privationis beneficii* etc. Quod si in verbis legis accurate perpensis prudens dubitatio supersit, an leges poenam latam, vel ferendam contineant; tunc ea juris regula locum habet: *In poenis benignior est interpretatio facienda;* et poena ferandae sententiae judicanda est.

Quod si generatim de poenis loquamur a lege, quaecunque sit, impositis, haec est doctrina a Theologis communiter probata, ac tuta conscientia sectanda: nimirum primo, si lex poenam aliquam ferendam injungat, eam legis transgressor subire minime tenetur ante sententiam Judicis. Secundo, si lex poenam quidem imponat non ferendae sed latae sententiae; atque actionem aliquam ipsius transgressoris requirat, ordinarie eam subire non tenetur ante sententiam Judicis, aut declarationem criminis, ut E. G. carcerem, exilium, poenam pecuniariam etc. Alienum namque ab humana consuetudine est, ut qui deliquit, nisi praecedat sententia, vel declaratio Judicis, seipsum in carcerem conjiciat, in exilium abeat, aut pecuniam solvat. Eademque regula locum habet in poenis positivis, aut privativis Ecclesiasticis. Posita vero sententia, aut declaratione Judicis, poenae se subjicere debet, et in exilium abire, pecuniam solvere, aliasque subire poenas, nisi tamen actio ipsa per semetipsum exercita illicita sit, et humanitati repugnans. Tunc enim etiam post Judicis sententiam eam transgressor exequi non tenetur, ut si reus aliquo mortis genere damnetur E. C. suspendio, capitis abscissione etc. non debet nec se suspendere, nec caput sibi abscindere, sicut nec abstinere a cibo; si ei offeratur, quum damnatus est, ut fame pereat. Sufficit itaque, ut poenam patienter sustineat a justitiae ministro sibi inferendam.

De Lege irritante.

V. *In Ecclesia, et Republica potestas est irritandi aliquos actus.*

Lex irritans, quam aliqui inter leges poenales adnumerant ea dicitur, quae statuit, aliquem actum esse invalidum, sive valore destitutum vel in foro exteriore, vel etiam in foro conscientiae. Potestatem hanc existere et in Ecclesia, et in Republica saeculari irritandi actus, sive praescribendo certam formam actui, cujus defectus impediat actus valorem, at obligationem; sive reddendo subditos inhabiles ad quosdam actus determinatos, nemo in dubium vocare potest. Sic enim nonnunquam exigit commune Reipublicae bonum, ac civium tranquillitas, quam sublimiores potestates promovere debent: quum sine hujusmodi irritatione fraudes ac pericula, aliaque gravia incom-

moda praecaveri nequeant. Exemplum praeter alia, clarissimum habemus in Concilio Tridentino, quod ob justissimas caussas prohibuit contractum matrimonii celebrari, nisi praesente Parocho, ac duobus testibus, et aliter factum invalidam declaravit. Duplex vero distinguitur lex irritans: alia, quae invalidam ipso facto actionem, aut contractum efficit; et his loquendi formulis exprimi solet: *Actus sit ipso facto nullus: irritus; infectus, aut pro infecto habeatur:* ut sunt matrimonia clandestina. Alia, quae irritationem faciendam a Judice competente praescribit: ut quum dicitur: *Si hoc modo actio fiat, irritetur, rescindatur, abrogetur* etc. Verum ad irritationem haud semper requiritur, ut conceptis verbis declaretur, contractum, vel actionem nullam, et irritam esse; sed sufficit, ut talis forma, vel conditio apponatur, atque ita omnino servanda praescribatur, ut, ea non apposita, nullitas ipsius consequatur.

VI. *Signa quibus dignosci queat, num actus qui irritatur, simul prohibeatur.*

Duo praecipua signa afferri solent, ut dignosci queat, an actus, qui irritatur, simul prohibeatur, itaut peccet quicunque talem actum exercet. Alterum quod vi objecti sui, atque naturae hujusmodi est, ut ipsum exequi velle, quum valde fieri nequit, turpe sit, rectaeque rationi dissonum; quod maxime locum habere videtur in materia Religionis, sive in sacris actionibus, et in materia justitiae: nam efficere studiose sacram actionem irritam, sacrilegium est; quoniam repugnat reverentiae sacrae rei debitae. Similiter in materia justitiae aliquid efficere, quod dum irritum est, injustitiam continet, peccato non caret, ut si quis eligat quempiam ad aliquod officium, substantiali forma praetermissa, aut dum quis ex munere suo tenetur ad actum aliquem exercendum; debet namque illum etiam ita exercere, ut validus sit: e. g. Judex, qui dum sententiam pronunciat, non potest citra injustitiam aliquid omittere ad valorem ejus necessarium. Aliud signum est, quum actus ipse prohibetur, et prohibitioni additur irritatio: tunc enim lex illa obligat, sicut aliae leges; exemplum est in Concilio Tridentino, quod primum prohibet fieri professionem ante expletum tempus aetatis constitutum, ac deinde irritat illam. Quod si neutrum ex hisce signis in lege irritante inveniatur, ejusmodi lex conscientiam non obstringit ad observandam formam in actu praescriptam. Et tunc lex *pure irritans* vocatur.

VII. *Lex pure irritans, illicita reddit, quae ex irritatione consequuntur.*

Quamvis lex *pure irritans* non obliget in foro conscientiae; si tamen ipso facto actus irritetur, ad ea omnia obligat, quae per se ab irritatione consequuntur. Hujusmodi quippe lex actum, quem irritat, privat omni usu morali; ac proinde moralis omnis usus illius nedum invalidus, sed etiam illicitus est. Hinc lex S. Pii V., quae pro Beneficiatis non recitantibus Canonicas horas statuit, *ne fructus faciant suos*, adeoque irritat acquisitionem dominii fructuum, ita obligat, ut moralem eorumdem usum efficiat tum invalidum, tum illicitum, quum nemo ad usum suum disponere valeat de re, quae sua non est. Quod si lex non irritet ipso facto actionem, sed solum irritandam denunciet, non obligat privatas personas ante sententiam

judicis, atque adeo valida, ac licita ea omnia sunt, quae ex actione consequuntur, antequam sententia a Judice pronuncietur. Posita vero sententiae publicatione consequentia ad actum illicita statim fiunt.

De Lege tributorum.

VIII. *Quid sit tributum, et quotuplex.*

Tributum est *pensio publica, quam ad regios sumptus Principatus, et communes Reipublicae expensas subditi solvunt.* Triplex est: *reale*, quod pro agris, sive fundis immobilibus erogatur. Aliud *personale*, quod ratione *personae* duntaxat solvitur; et vocari solet *census* juxta illud Matth. 22. *Licet censum dare Caesari, an non?* Aliud demum *mixtum*, quod nempe pro rebus praesertim mobilibus, ac personis penditur. Alia nomina tributum excipit pro varia acceptione rerum. Nam aliquando vocatur *vectigal*, quum pensio imponitur rebus, quae in urbem inferuntur, vel ab urbe exportantur. Aliquando *Portorius*, quum res per pontes, aut flumina devehuntur. *Pedagium* etiam, quum solvitur, ob custodiam, et instaurationem viarum. Ac demum *Angaria*, quum exigitur pro personarum operibus.

IX. *Reipublicae Rectori est potestas imponendi, et exigendi a subditis tributa.*

Potestatem inesse Principibus imponendi, et exigendi tributa a propriis subditis, extra dubium est: eamque praesumunt Sacrae Litterae non uno in loco: E. C. ad Rom. 13. ubi Apostolus ait: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal* etc. *Quia scilicet*, ait in hunc locum S. Th., *Principibus tribuitur pro generali regimine, quo patriam in pace, et quiete conservant.* Quibus verbis praecipuum attigit hujus rei fundamentum. Principes subditorum subsidiis opus habent, quibus Rempublicam administrent, ut plurimas expensas faciant ad hocce munus implendum. Ergo lex naturae dictat, ut populi Principibus pro ipsorum commodo operam impendentibus, ut scilicet eos tueantur, ac in pace conservent, tributa ad hunc finem necessaria, quae ab iisdem exigunt, persolvant. Quare tanquam falsa, et erronea censenda est aliquorum opinio, qui sibi persuadent, nullam esse obligationem, quae ipsorum conscientiam aggravet, si tributa Principibus nequaquam solvant, aut ab iis, quum possunt, solvendis se clanculum per fraudes eximunt.

Haec tributa, sive vectigalia aliquando Principes exigunt immediate per suos ministros: aliquando vero pacto pretio, ut facilius percipiant, eadem locant Publicanis, inito utrinque pacto oneroso, quo isti jus proprie dictum acquirunt exigendi a privatis eadem tributa. Tunc autem non minus ipsis, quam Principi solvenda sunt tributa ex debito conscientiae, adeoque jus istud violant, et peccant contra justitiam commutativam, et ad restitutionem tenentur, qui his etiam Publicanis ea defraudant.

Quae obtrudere frequentius solent, qui contra opinantur, huc ferme recidunt, plus aequo gravari subditos a Principibus tributorum oneribus, atque adeo quum haec injusta sint, neminem hisce solvendis teneri. At quamquam non ille ego sim, qui diffitear, contingere quandoque posse excessum, et inaequalitatem quoad Principem in tribu-

torum impositione, et communium onerum distributione; quod etiam concedit S. Th. hic q. 96. a. 4., quis tamen de tributi injustitia, nisi forte nimium evidens, et explorata fuerit, judicare audeat, quum plerumque Principes ex urgentibus nimium caussis moveantur ad nova praesertim imponenda tributa: quae caussae saepissime subditos latent, aut saltem parum ipsis perspectae sunt, eo quod ignorent publicas necessitates aut praesentes, aut imminentes, quibus explendis vix ingens pecuniarum summa satis est? Quamobrem, generatim loquendo, solvenda a subditis tributa sunt, ac praesumendum de providentia et justitia Principum in iis injungendis.

X. *Num Clerici et Religiosi, a solvendis tributis exempti sint, et quo jure.*

Num saltem a publicis tributorum oneribus immunes, et exempti dicendi erunt Clerici, et Religiosi? Ex iis, quae supra dicta sunt, quaestio isthaec haud difficile solvitur. Et in primis quidem non ex aliquo jure divino, sed ex Principum saecularium liberalitate, privilegio, et gratia eos exemptos esse docet S. Th. in cap. 13. Epist. ad Rom. ubi quum dixisset, *Hujusmodi tributa recipiunt* (Principes) *ad sustentationem* etc. subjicit: *Ab hoc tamen debito liberi sunt Clerici ex privilegio Principum.* Quod *Principum privilegium* Clericis concessum satis ostendit, eos non ex aliquo divino, sed humano jure immunes esse a tributis solvendis: et hujusmodi privilegii non omnimodam necessitatem, sed convenientiam et aequitatem quamdam subinde declarat inquiens: *quod quidem aequitatem naturalem habet. Unde etiam apud Gentiles liberi erant a tributis illi, qui vacabant rebus divinis. Legitur enim Gen. 47. quod Joseph subjecit Pharaoni totam terram Ægypti praeter terram Sacerdotum, quae a Rege tradita fuerat eis, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur.* Hanc doctrinam hausit S. Th, tum ex jure Canonico, tum ex Sanctis Ecclesiae Patribus, et veterum summorum Pontificum confessione. Ex quibus et aliis supra recensitis consequens est, quod quum privilegia et exemptiones a Principibus Clericis concessae non eaedem sint, nec aequales in omnibus ditionibus (quod etiam validissimo argumento est, eas ex Principum voluntate, et liberalitate pendere) unusquisque Clericorum, et Religiosorum in his sequi debeat morem, et consuetudinem patriae suae.

CONSECTARIA.

I. *Dum leges requirunt scientiam, poena non incurritur, si actio cum ignorantia fiat.*

Dum in legibus humanis (quod in Ecclesiasticis non infrequenter contingit) adduntur aliqua verba, quae dolum, aut scientiam requirunt ad subeundam poenam, etiamsi ignorantia, aliaque caussa non excuset a gravi culpa, excusat tamen ab incurrenda apposita poena, ut si dicatur: *Qui scienter vel temere hoc, aut illud fecerit. Si quis praesumpserit* etc. ac similes loquutiones, quae scientiam aut ausum temerarium denotant. Tunc enim poena v. g. excommunicationis, suspensionis etc. non contrahitur, nisi transgressio legis fiat ex scientia, vel cum temeritate etc. ut patet.

II. *Ignorantia poenae, ab ipsa incurrenda non excusat.*

Si transgressio legis cognita, adeoque voluntaria, et peccatum sit, non excusat transgressorem ab incurrenda poena, qui illam prorsus, et invincibiliter legi adjectam esse ignorat, nisi saltem censura aliqua fuerit. Neque enim poena debet esse voluntaria, sicut culpa. Sic Deus aeterna poena punit infideles ob lethalia, quae perpetrant peccata, tametsi invincibiliter ignorent, ejusmodi poenam hisce peccatis deberi. Sic Magistratus humani poena mortis plectunt fures, et aliis criminibus obnoxios, quam saepe penitus ignorant. Signanter dixi, *nisi saltem censura aliqua fuerit.* A censuris enim contrahendis excusat invincibilis ignorantia, eo quod contumaciam requirant adversus leges Ecclesiasticas, qua plane caret is, qui invincibili censurae ignorantia laborat.

III. *Quocumque modo irritatio actus impediatur, actus validus est.*

Quoad legem irritantem attinet, si lex irritet actum dependenter a sententia Judicis vel condemnatoria, vel declaratoria, quocunque modo haec irritatio impediatur, vel non sequatur, actus semper validus, ac firmus est; adeoque si actus E. C. sit occultus, et in judicio probari nequeat, in suo valore persistit: quia ex vi hujusmodi legis nemo tenetur actum suum irritare, sive contractum dissolvendo, sive res acceptas, aut acquisitas dimittendo, quum irritandi officium ad Judicem ex ipsa lege pertineat; adeoque minime peccat, qui talem actum occultum tamquam firmum, et validum servat: quoniam reapse talis est. Cavendum tamen est, ne in ipso actu fraus aliqua, aut injustitia occurrat; ut E. C. si venditio rei ultra dimidium justi pretii irritanda statuatur a Judice, nec tamen ab illo irritetur, quia occulta est; tenetur nihilominus venditor in conscientia, et absque ulla Judicis coactione restituere partem illam pretii, in qua excessit justitiae aequitatem, et compensare damna, si quae ex illa injusta venditione profecta sint.

IV. *Etiamsi non petantur tributa, solvenda sunt.*

Tributa, quae constant esse a Principe constituta, solvenda sunt, etiamsi non petantur. Ita communis sententia: quoniam lex justa obligat in conscientia, ut impleatur, etiam nullo admonente, quemadmodum etiam nullo petente, quisquis tenetur solvere debita, quae contraxit. Quum igitur solvere tributa sit quoddam justitiae debitum, quamvis ea nullus petat, ad ea solvenda tenemur. Sic pariter, si dubium occurrat, an tributum justum sit, necne, solvi debet: quia in dubio aequali praesumendum semper est pro superiore, qui imponendi tributa potestatem, ac jus habet, eo praesertim, quod ad privatos non pertineat definire dubia de justitia, vel injustitia tributi. Quapropter repudianda omnino est doctrina Escobarii, aliorumque Casuistarum in hac quaestione, quam ita proponit T. 1. lib. 2. Theol. Mor. sect. 2. c. 6. ubi sic ait: *Princeps juste tributum imponere potest secundum opinionem probabiliter affirmantem, illud esse justum, et subditus potest juste tributum denegare secundum probabilem opinionem oppositam, affirmantem illud esse injustum.*

DISSERTATIO III.

De Legum Humanarum mutatione, interpretatione, cessatione, dispensatione, et consuetudine.

CAPUT I.

De mutatione legum humanarum, sive abrogatione earundem.

I. *Quid veniat nomine mutationis legis humanae.*

Legis mutatio propiie dicta ita definiri potest, quod nempe sit *abrogatio, aut revocatio legis jam latae, et promulgatae, adeoque obligantis subditos.* Duplex distinguitur: *negativa* scilicet, et *positiva. Negativa* ea dicitur, quum lex per desuetudinem, sciente, et non repugnante Legislatore, aboletur, nulla alia contraria lege substituta. *Positiva* ea est, quum vel Princeps ipsam expresse revocat, vel novam ejus loco substituit, quae eidem contraria est. A *derogatione* differt, quae non totam legem abolet, sed partem solum aliquam aufert. Itaque leges humanas mutationi subjectas esse omnes concedunt, ac probat S. Th. art. 1. hujus questionis, allata S. Augustini authoritate dicentis in 1. de lib. arb. *Lex temporalis, quamvis justa sit, commutari tamen pro tempore juste potest.* Quamvis tamen id certissimum sit, sapienter tamen observat art. 2. idem S. D., observantque cum ipso ceteri Theologi, leges humanas haud facile mutandas esse, etiamsi aliquid melius interdum occurrat. Plura nimirum sunt incommoda, quae ex facili, et frequenti legum humanarum mutatione proficiscuntur.

II. *Valida est abrogatio, etiamsi humanae leges absque legitima caussa mutentur.*

Si contingat, Principem absque legitima caussa mutare, aut abrogare legem aliquam adhuc utilem Communitatis bono, ipse quidem peccati reus foret, quia communi bono haud recte consuleret, valida tamen foret legis mutatio, sive abrogatio, adeo ut nullam amplius obtineret obligandi vim, nisi forte in ipsa lege humana aliquid immisceatur, quod ad jus naturale, vel divinum pertineret, quod mutationi, aut abrogationi subjectum non est. Siquidem lex mere humana virtutem obligandi non habet, nisi a legitimi Principis authoritate, Haec autem authoritas in eo casu deesset.

III. *Qui legem condidit, legem quoque mutare, aut abrogare valet.*

Quaelibet res per quas caussas nascitur, per easdem dissolvitur. Hinc constat, Principem supremum, qui alium in ordine suo superiorem non agnoscit, nisi Deum hac authoritate, et potestate gaudere: neque illum duntaxat intelligimus hoc nomine, qui legem ipsam condidit, sed etiam qui ei succedit in eadem dignitate, ac potestate.

IV. *Princeps Superior potest legem inferioris mutare et abrogare, dum ipsi in sua potestate subordinatur.*

Ratio patet, quia potestas inferioris tota pendet a Superiore: adeoque poterit superior, si ei placuerit, legem ab inferiore latam abrogare; cassamque efficere, sicut et potestatem eidem ferendi legem adimere. Signanter dixi: *si in sua potestate inferior superiori subordinetur.* Si

enim ipse amplitudine tantum, et excellentia dignitatis supra alium emineat, non ex hoc potestate fruitur abrogandi leges ad jus alterius pertinentes, sicut neque condendi. Hinc licet dignitas, et potestas Summi Pontificis sit longe excellentior omni alia dignitate Regum, et Principum saecularium, quia tamen non est in eodem ordine, idcirco, sicut non potest condere leges ad eorum temporale regimen spectantes, ita neque ab ipsis conditas abrogare.

V. *Inferior abrogare nequit legem Superioris.*

Nam potestas superior ab inferiore non pendet, neque illa indiget iis, quae semetipsa exequitur. Verum hic excitari dubium solet; num scilicet inferior abrogare valeat legem, sive ordinationem a se latam, sed a potestate superiore confirmatam. Omissis pluribus dicendi modis, quae controversiam potius implicant, quam expediunt, dubium hoc resolvendum existimo, distinctione posita duplicis, quae fieri potest, *confirmationis.* Nam altera ita essentialis legi est, ut absque confirmatione vim legis non habeat, eamque ab illa desumat, ut si inferior potestate careat condendi legem: tunc enim, dum iste ordinationem edit, et ad Principem recurrit, ut eam confirmet, totam vim legis a confirmatione recipit; adeoque, quum lex ipsius Principis vere sit, eam inferior mutare, aut abrogare neutiquam valet. Altera confirmatio *accidentalis* vocari potest: quum nempe inferiores pollent facultate condendi leges pro propria Provincia, Dioecesi, Congregatione etc. et eas a Superiore confirmandas curant, ut eis majus adjiciatur robur, et authoritas. Tunc autem easdem mutare, et abrogare ipsi possunt, nisi forte *in confirmatione* clausulam expressam Superior apponeret, qua earundem mutatio, aut alteratio prohibeatur.

VI. *Quid necesse sit ut leges censeantur a Principe mutatae, aut abrogatae.*

Quaenam forma servanda sit in legum mutatione, sive abrogatione, aut derogatione, ut effectum suum habeat, paucis declaro. Revocatio legis non uno modo fieri potest. Nam aliquando lex a Principe abrogatur, nulla alia substituta lege: et haec, ut constat, fieri nequit nisi per expressam Principis declarationem, qua contrariam voluntatem suam manifestet. Aliquando vero revocatio fit ex hoc, quod una obligatio tollatur, et opposita inducatur, scilicet obligando ad id non agendum, quod antea praeceptum erat: et hoc etiam genus abrogationis satis clarum est, nec indiget explicatione. Interdum vero contingit ex oppositione inter priorem, et posteriorem legem, quatenus nova lex a Principe edita priori repugnat. Tunc autem vel Princeps mentionem facit revocationis legis prioris, quo casu nulla difficultas est, quin sit revocata; aut non facit: et tunc si lex posterior conciliari, aut concordari nullo modo queat cum priore, ab illa abrogari saltem implicite dicendum est. Ex hoc enim satis colligitur contraria voluntas Principis. Quod si aliquo pacto conciliari valeat, abrogata minime censenda est. Qua in re ea prae oculis habenda est juris regula. L. *praeceptum* in fine C. de appell. *Quidquid in posteriori lege specialiter non fuerit expressum, id veterum legum, Constitutionumque regulis reclictum esse intelligendum est.*

CONSECTARIA.

I. *Peccat Legislator si absque gravi et urgenti ratione mutat, aut abrogat leges.*

Peccat Legislator humanus, si absque admodum urgente caussa leges suas mutet, aut abroget, aut iisdem etiam deroget: quoniam jure, et potestate sua ita agendo abutitur, nec satis consulit Reipublice bono, quod postulat, ut leges, quibus observandis populus assuetus est, non muteuter, nisi ex caussa valde urgenti, ob quam longe majus ex nova lege futurum sit emolumentum, quam ex antiqua, quae abrogatur: *Quod quidem*, inquit S. Th. in hoc articulo, *contingit vel ex hoc, quod aliqua maxima, et evidentissima utilitas ex novo statuto provenit, vel ex eo, quod est maxima necessitas ex eo, quod lex consueta aut manifestam iniquitatem continet, aut ejus observatio est plurimum nociva.*

Quando justa caussa suppetit Legislatori mutandi legem, nihil obstare debet brevitas temporis a lege condita elapsi. Et sane accidentarium valde est ad justam legis mutationem, quod post breve fiat, aut diuturnum tempus; immo si abroganda lex sit ob ejus detectam iniquitatem, statim fieri debet, nec tempus aliud ulterius expectandum. Ordinarie tamen loquendo, sicut vitanda, ita etiam differenda est legis mutatio, quantum fieri commode potest.

II. *Summus Pontifex Episcoporum leges abrogare potest, et Episcopus quae in Synodo Dioecesana sancitae sunt.*

Sicut Rex suorum Magistratuum leges, sic etiam Summus Pontifex leges Episcoporum justa de caussa abrogare potest propter potestatem nedum *Ordinis*, sed etiam *jurisdictionis*, quam obtinet in universam Ecclesiam. Non ita vero Archiepiscopus Episcoporum etiam suffraganeorum leges abrogare valet: quia gradu quidem et dignitate, non autem *jurisdictione* Episcopis praeeminet. Episcopus autem nedum quas per semetipsum condidit, leges mutare, aut abolere valet, sed etiam quae in Synodis Dioecesanis editae et promulgatae sunt: quoniam tota potestas jurisdictionis in ipso est, ut alibi notavimus, ceterique, qui ad Synodum convocantur, ut Parochi, Abbates, et Doctores, non ut Judices, sed ut Consiliarii intersunt, adeout sicut in solo Episcopo potestas est condendi legem, ita etiam, si oporteat, abrogandi.

CAPUT II.

De legum interpretatione.

I. *Quid et quotuplex sit interpretatio legis.*

Interpretatio nihil aliud est, nisi *sensus legis declaratio*. Triplex est, alia *authentica*, alia *usualis*, tertia *doctrinalis*. Authentica ab eo fit, qui authoritatem interpretandi habet, ut est vel ipse Legislator, vel Minister ad hoc officium a Superiore deputatus. Et haec omnium certissima est, habetque vim legis, quum ab illo procedat, qui sicut legem condendi potestatem habet, ita etiam explicandi sensum, in quo sit observanda. *Usualis* interpretatio ea dicitur, quae fit consuetudine, et ipso usu, quo lex a subditis observatur; Unde C. 8. *de*

Consuetudine habetur, *quod consuetudo sit optima legum interpres.* *Doctrinalis* demum, quae fit per homines doctos, qui legem, quo sensu iotelligeoda sit, ioterpretaotur. De *authentica*, sicut etiam de *visuali*, interpretatione vix aliquid diceodum, quum de priore manifestum sit, Legislatorem, quemadmodum et successorem ejusdem legitime posse legem ioterpretari, ejusque interpretationem eamdem habere auctoritatem, qoam ipsa lex habet: de posteriore vero nobis agendum est, quum de consuetudioe. Quare de sola interpretatione *doctrinali* hic sermo erit.

II. *Leges humanae admittunt interpretationem doctrinalem, quae certa nonnunquam est, et obligationem inducit.*

Certum io primis est, leges humanas admittere *doctrinalem* interpretatiooem, quae tametsi obligationem ex se non inducat, quia in Doctoribus nulla potestas est introduceodi leges, suum tamen habet authoritatis gradum, qui ita excrescere interdum valet, ut moralem certitudinem pariat, et obligatiooem ioducat. Haeo quippe est humaoorum Legislatorum etiam sapieotum cooditio, ut vix tam perspicuis verbis seosus animi sui aperire, atque explicare valeant, quin ambiguitatibus, ac dubiis saepe locus supersit; praesertim quom ipsi paucis, ac generalibus verbis, ut decet, suas leges edicaot, et in applicationa earundem ad peculiares casus difficultates valde implexae frequenter oriaotur, quae nonnisi a doctoribus, ac peritioribus solvi, aut eliquari possunt. Uoda ex hac necessitate profecta est doctrina, ac peritia juris civilis, et caoonici, cojus praecipuus fiois est verum seosum, veramque ioterpretationem tradere legum humanarum.

III. *Aliquae regulae pro recta legum humanarum interpretatione.*

Regulae ooonullae assignari soleot, ot recta sit, atqua idonea legis humaoae interpretatio, quarum praecipuae sunt hae. 1. In omni lege humana atteodeoda est verborum proprietas, sive oativa et propria eorum significatio. 2. Proprietas verborum legis sumenda potius est ex seosu, quo ea accipiuntur in jure, quam io vulgari sermone. 3. Si voces ambiguae sint, pluresque significatiooes, et quidem proprias, ac natorales habeaot, ex caussa legis ejus intelligentia potissimom repetenda est. 4. Quacunque ratione mens, ac intentio Legislatoris perspecta sit, juxta illam lex interpretanda est. 5. Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur, quae rei gerendae aptior est: quae regula praescribitur l. 26. de Regul. juris. 6. Lex in favorabilibus ampliaoda est; in odiosis restringenda: quae pariter habetur io jure pluribus io locis 7. Ratio a Legislatore adducta io legibus ferendis plurimum etiam valet ad ipsius mentem investigandam: sufficieos tamen se sola non est, ut eam certo dignoscamus.

IV. *Quaenam paritas rationis necessaria sit, ut lex ad alios se extendat casus.*

Hic quaestio suboritur, *num lex humana extendenda sit ad casus in ea non expressos ob solam similitudinem vel identitatem rationis.* Similitudo rationis in eo ab identitate distinguitur, quod similitudo non omnimodam aeqoalitatem importat, quae quidem ab identitate importatur. Quod certius mihi et clarius in hac involuta

quaestione videtur, paucis expono. Ac primo quidem assero, solam similitudinem rationis non sufficere, ut lex extendatur ad casus in lege minime comprehensos; quia ratio legis non est ipsa lex, nec ad ejus pertinet substantiam, quae soli consistit in voluntate Legislatoris significata per verba. Adde, quod determinatio expressa ad aliquem casum; et silentium Legislatoris quoad alium fundamentum potius praebet dicendi, hunc noluisse praecipere, aut prohibere juxta illud, quod habetur C. 2. de transl. Episc. *ad audentiam: Si voluisset, expressisset.*

Si autem ratio non similis tantum, sed eadem prorsus sit, et adaequate quidem in omnibus, unius et alterius casus non expressi, tunc asserendum videtur, in lege comprehendi etiam casum non expressum, eamdemque consequenter obligationem inducere in utroque. Haec omnium, aut fere omnium sententia Juristarum, et Theologorum est, quam et textibus juris probant, et fundamentis rationis, quorum hoc mihi praecipuum est: quia nimirum lex praesumitur prudenter, et debito modo a Legislatore condita: ita porro non esset, nisi rationi suae adaequata foret. Ne itaque Legislatorem imprudentiae damnemus absurditatis, et injustitiae, dicendum est, tunc in ea ratione comprehendisse etiam alios casus, quos non expressit.

CONSECTARIA.

I. *Lex non odiosa ad quae extendenda est.*

Lex omnis non odiosa, per se loquendo, extendenda est ad omnia, quae verba legis in propria, ac nativa significatione comprehendunt, non autem ultra illa, nisi id specialis ratio requirat. Sic si lex loquatur *de filiis*, etiam filias comprehendit, quia vox illa in significatione propria sic accipitur: non ita vero nepotes ex vi significationis, nisi alia ratio hanc exigat interpretationem. Et ideo dixi, *loquendo per se.* Nam ex accidenti possunt verba intra illam significationem coarctari, ut si ex ampla interpretatione, etiamsi propriissima foret, aliquod sequatur absurdum, aut repugnantia cum aliqua lege. Haec enim vitari debent.

Si lex sit favorabilis, vel specialis aliqua dispositio juris occurrat, extendenda est ad omnem proprietatem verborum nedum *naturalem,* sed etiam *civilem,* vel juridicam. Neque enim cogendus est Legislator, ut quoties E. C. loqui vult de filiis naturalibus, et adoptivis, id expressis verbis declaret, sed aliquando communem vocem adhibere poterit, quae adhiberi solet nedum in vulgari sermone, sed etiam *in jure.* Quod tamen intelligendum est *per se loquendo*, et nisi aliud obstet juxta alia principia, et regulas interpretationis constitutas.

II. *Quum identitas rationis specifica est, alii casus similes comprehenduntur in lege.*

Quum in lege determinatus quidem casus affertur, sed gratia exempli, tunc lex extendenda est ad alios casus non expressos, qui sint omnino iidem, et quidem identitate specifica: neque enim possunt, aut debent Legislatores enumerare omnes casus, quos ceteroqui lata lege praecipere, aut prohibere intendunt: sed unum saepe assignant ad exemplum aliorum, quos comprehendunt. Identitas autem specifica casuum optime explicatur, dum idem est motivum, et ratio

virtutis, sub qua talis actus vel praecipitur, vel prohibetur. Nam si lex lata fuerit motivo religionis observandae, vel sacrilegii vitandi, ubi in pari casu eadem est specifica ratio religionis, vel sacrilegii lex ad ipsum extendenda est, atque idem dicas de motivo, et ratione justitiae.

CAPUT III.

De Epikeja, seu Æquitate.

I. *Definitio Epikejae.*

Legum interpretationi proxima est *Epikeja*, sive, ut alii dicunt, *Epiikja*, idemque hic sonat, ac latine *aequitas*. Est autem *quaedam virtus* etc. *qua excipitur a lege communi casus particularis ob circumstantias, in quibus non comprehenditur, juxta mentem Legislatoris.* Dicitur *virtus*, quia quum leges respiciant humanos actus, qui variabiles sunt ob occurrentes circumstantias, non ita possunt constitui, ut in nullo deficiant, adeoque opus est aliquo habitu permanente, qui dirigat hominem circa ea, quae agenda sunt in iis casibus, in quibus lex deficit secundum verba considerata.

II. *Epikejae objectum.*

Ex dictis constat, quodnam sit Epichejae objectum, nimirum est bonum publicum, seu commune, non sub quacumque ratione inspectum, sed sub ea duntaxat, qua praeter communes regulas, et praeter verba legis ipsum quaerendum est in quibusdam particularibus casibus, in quibus lex deficit, sive qui ab illa exprimi nequeunt: tum quia Legislator eos ignorat, tum etiam quia etiamsi cognoscere omnes posset non expediret omnes, recensere. Ita S. Th. p. 2. q. 96. a. 6. ad 3. Quare in his opus est Epicheja, quae spectatis circumstantiis dirigit humanos actus supra communem regulam, non contra, sed juxta Legislatoris mentem, quae commune bonum respicit, et cui si notae fuissent illae circumstantiae, peculiarem illum casum excepisset. Sic, ut exemplis res clarior evadat, lex jubet, reddendum esse depositum, prohibet conscendere Civitatis muros, obsessae civitatis januas aperiri etc. Contingit autem, quod vel furiosus gladium depositum repetat in suum vel alterius damnum: vel rebellis contra Principem, aut Rempublicam depositam pecuniam poscat, ut rebellionem suam foveat. Contingit etiam, ut hostes ita Urbi immineant, ut nisi Cives muros ocius condescendant, eam occupaturi sint, aut praesidium obsessae urbi necessarium hostes fugiat, et ad Civitatem se recipiat etc. his et similibus casibus Epicheja praescribit, gladium, aut pecuniam non esse restituendam, Civitatis muros esse conscendendos, januas aperiendas etc. Ita namque merito praesumitur esse Principis voluntatem, quia ita fieri in his casibus bonum commune postulat.

Tria nunc subjicio S. Thomae in rem hanc solidissima documenta. Primum habetur 2. 2. q. 147. a. 4. ubi docet, quod *si caussa sit evidens, per se ipsum licite potest homo statuti observantiam praeterire, praesertim consuetudine interveniente, vel si non posset de facile recursus ad superiorem haberi. Si vero caussa sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, quia habet potestatem in talibus dispensandi.* Alte-

rum, quo confirmatur praecedens, traditur 1. 2. q. 96. a. 6. *Hoc est considerandum, quod si observatio legis secundum verba non habeat subitum periculum, cui oporteat statim occurri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretetur, quid sit utile, et quid sit inutile Civitati* (sive bono communi): *sed hoc pertinet ad Principes, qui propter hujusmodi casus habent authoritatem in legibus dispensandi. Si vero sit subitum periculum non patiens tantam moram, ut ad Superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet adnexam: quia necessitas non subditur legi.* Tertium est in resp. ad 2. ejusdem articuli, ubi ait: *dicendum, quod ille, qui sequitur intentionem Legislatoris, non interpretatur legem simpliciter, sed in casu, in quo manifestum est per evidentiam nocumenti, Legislatorem aliud intendisse. Si enim dubium sit, debet vel secundum verba legis agere, vel Superiorem consulere.* Quid ex hac aurea S. Thomae doctrina sequatur in consectariis videbimus.

Consectaria.

I. *Uti non licet Epicheja in aequali probabilitate.*

In aequali probabilitate Epicheja uti non licet. Nam si probabilitas opinionis pro una parte concurrat cum opinione probabili ex altera parte, dubium generetur necesse est. Quoties autem dubium est, an casus ob damnum, quod ex observantia legis nasceretur, comprehendatur in lege, necne, certa doctrina S. Thomae est, quam paullo ante attulimus, tunc aut consulendum esse Superiorem, aut si Superior consuli nequeat, legem esse observandam. Ex quo colligas, quam falsa sit sententia P. Vivae, quam tradit *de Legibus* q. 6. a. 6. n. 4. ad licitum Epichejae usum nedum probabilitatem aequalem, sed etiam probabilitatem *minorem* opinione contraria satis esse. Solum S. Thomas licere putat interpretari per Epichejam Legislatoris, mentem, et agere praeter verba legis *in casu, in quo manifestum est aliud intendisse ob evidentiam nocumenti*, quod ex observata sua lege sequeretur. Sed si dubium hoc sit ex contrarietate rationum, tunc legem observandam praescribit, si superior consuli minime possit.

II. *Nullus est Epichejae locus in lege naturali et Divina.*

In lege naturali, ac divina nullus est Epichejae locus. Haec est communis, et vera sententia, quam Theologi defendunt adversus aliquos, qui etiam in iis legibus eam admittunt, utentes, sive potius abutentes, ut refert P. Elizalda p. 1. de Reg. Mor. lib. 4. q. 16. verbis Domini, *Jugum meum suave est, et onus meum leve*; et illis, *mandata mea gravia non sunt*, quae nihil omnino ad rem faciunt. Nec etiam in humanis legibus irritantibus, et actum prohibentibus locus ullus est. Quoniam lex irritans voluntatem, seu potestatem ad aliquém actum, inhabilem personam efficit, vel simpliciter, vel ad contrahendum nisi juxta formam legis: Epicheja autem ut summum conferre potest ad excusationem obligationis; non autem sufficit ad tribuendam potestatem, quam quis non habet, aut ad restituendam potestatem ablatam. Hinc inhabilitas e. g. ad contrahendum cum consanguinea in gradu prohibito nullo in casu cessare potest sine dispensatione.

III. *Locum habet Epicheja, tametsi, non agatur de detrimento boni comunis, sed privati.*

Epicheja nedum locum habare potest, quando agitur de bono communi, verum etiam aliquando dum de solo agitur detrimento boni privati, si nempe sit fundamentam putandi, Legislatoris voluntatem non esse, ut in eo casu sua lex obliget, ut liquet in casu de repetente suum gladium non ad patriae impugnationem, sed ad alicui privatae personae necem inferendam; et in casu, quo quis in die vetito omni alio cibo careret ad vitam conservandam praeter carnes, et in aliis ejusdem generis. Hinc non tantum uti licet epicheja in casu, in quo deesset absolute in Legislatore potestas obligandi ad observantiam legis; sed etiam quum ejusmodi circumstantiae concurrunt, ut firmum judicium ferri queat, hanc ejus mentem non fuisse, ut iis positis obligare vellet. Dixi, si *firmum judicium* etc. neque enim anceps, aut fluctuans judicium sufficit, ut praeter verba legis agamus.

CAPUT IV.

De cessatione legis humanae.

I. *Pluribus modis lex humana totaliter desinere potest.*

Diximus de legis humanae cessatione in particulari eventu, quae fit per interpretationem, et Epichejam, in qua fit mutatio legis tantum in parte, veluti in se, et ab intrinseco: dicendum modo de ejusdem cessatione totali, quum nempe lex mutatur, ac cessat omnino vel ex defectu materiae, vel finis, aut rationis ejusdem, itaut non amplius obliget. Et quidem lex in communi pluribus modis desinere aut cessare potest, scilicet ex parte caussae effectricis, si nempe Legislator eam revocet, vel abroget; vel ex parte termini sive communitatis, si nimirum temporum decursu, et mutatione Reipublicae inducta non subsistat populus legi subjectus, quod raro contingit: at de his cessationibus modo non loquimur, sed de ea tantummodo, quae se tenet ex parte objecti, quatenus mutatur objectum, circa quod lex ipsa versatur, quoad propriam illam rationem, ob quam sub legis obligatione constituitur: quod perinde est, ac quaerere, an cessante omnino, ac totaliter ratione, vel fine legis, cesset etiam lex, adeo ut penitus extinguatur, ac de medio tollatur.

II. *Duplex modus, quo finis legis potest desinere,* contrarie, *et* negative.

Duplici modo cessare potest objectum, sive finis, et ratio legis *contrarie*, et *negative.* Tunc dicitur mutari, aut cessare *contrarie,* quoties ob mutationem materiae, vel rerum, sive circumstantiarum injustum fiat, vel quocunque modo turpe servare legem, vel etiam ita arduum, ac difficile, ut moraliter impossibilis relate ad totam communitatem evadat observantia legis, vel denique si objectum prorsus inutile sit respectu communis boni. Mutatio autem aut cessatio *negativa* erit, si in tota legis materia non persistat ratio, ob quam condita fuit, tametsi ex sublata, adhuc materia ex se mala non sit, nec injusta, nec impossibilis, aut inutilis.

III. *Si finis legis* contrarie *desinat, lex omnino cessat.*

Si mutatio objecti in tota materia legis *contraria* sit, res omnino perspicua est, nec ulli controversiae subjecta, legem tuoc

ipso facto cessare, nec ullam amplius parere obligationem; quoniam hoc ipso desinit esse justa; lex autem, ut diximus, quae justa non est, nec etiam lex est. At idem quoque dicendum est, si lex fiat impossibilis, quoniam ad impossibile nemo obligatur, et respectu communitatis sufficit, quod haec impossibilitas sit moralis, ut cesset obligatio nedum relate ad ipsam communitatem, sed etiam relate ad singulos cives eam Communitatem componentes. Ac similiter idem dicas, si materia fiat inutilis, ac vana in ordine ad bonum commune: quum enim de ratione legis sit, ut in commune bonum referatur, hac ratione cessante, cesset oportet lex ipsa, ejusque obligatio, quae est proprietas ipsius. Necesse autem est, ut haec mutatio totius materiae universaliter facta manifesta sit, atque evidens. Si enim dubia sit, jam lex suum omne jus retinet, semperque pro ejus justitia, possibilitate, ac utilitate praesumitur.

IV. *Duplex finis legis, alius intrinsecus, extrinsecus alius.*

Difficultas est, quoties finis, aut ratio legis universaliter quidem cessat, sed solum *negative.* Pro qua dirimenda recolendum est, duplicem esse finem legis, alium *intimum*, alium *extrinsecum.* Finis legis intrinsecus est ipsa honestas rei praeceptae: extrinsecus, quem sibi Legislator ipse praefigit in ferenda lege; qui sub duplici ratione considerari potest. Nam aliquando idem est, ac finis intrinsecus, aliquando ab illo diversus. Sic e. c. finis intrinsecus legis jejunii, cujus res praecepta natura sua honesta est, est temperantia, quam consequitur mortificatio carnis. Quare dum Legislator praecipit jejunium, non potest non praecipere temperantiam, et carnis mortificationem. Quoties igitur actio, quae praecipitur, suapte natura honesta est, ut in casu mox proposito, aliisque similibus finis intrinsecus legis est ipsa lex praecepta. Tunc vero nequit Legislator non intendere hunc finem, licet alios sibi praefigere valeat qui *extrinseci* dicuntur, et omnino pendent a voluntate Legislatoris, ut si praecipiat jejunium, aut orationem ad placandam iram Dei, ad avertendam publicam calamitatem, ad aliquid impetrandum a divina misericordia etc. Finis omnino extrinsecus legis est, quotiescunque res praecepta nullam ex se honestatem continet, sed natura sua mere est indifferens, ut gestare arma, extrahere merces etc., quae Legislator praecipit, aut vetat ob fines sibi praestitutos. Hoc posito,

V. *Dum persistit finis intrinsecus natura sua honestus, lex non cessat, licet cesset finis extrinsecus.*

Si lex praecipiat actionem natura sua honestam et virtuosam, ut in exemplis allatis de jejunio, et oratione, quamvis cesset finis extrinsecus sibi a Legislatore praefixus, ipsa lex semper persistit. Loquor de lege, non de solo praecepto, quod fieri ab homine potest ob peculiarem suum aliquem finem: si enim de hoc sermo sit, tunc cessante fine, et caussa praecepti a Legislatore impositi, cessare etiam illud solet, quamquam actio praecepta sit intrinsece honesta, ut jejunium, aut oratio: quoniam respectu illius praecepti tota praecipiendi ratio est finis extrinsecus, non intrinseca honestas, licet haec supponatur. At si loquamur de lege proprie accepta, res aliter se habet. In hac siquidem primo intenditur honestas virtutis, sub qua actus constituitur, tametsi ad alios fines extrinsecos a Legislatore possit

ordinari. Ratio assertionis haec est; quia tunc non cessat caussa adaequata legis: nam potissima ratio illius legis est honestas actus: quum igitur semper haec persistat, non est, cur lex ipsa cesset. Quod si actus desineret esse actus virtutis, v. gr. Jejunium esse desineret actus temperantiae, ut in casu necessitatis extremae, tunc lex cessaret.

IV. *Si actio sit indiferens, cessante fine a Legislatore praefixo, cessat lex.*

Si actio a lege praecepta non sit de se bona, aut honesta, sed sua natura indifferens, cessente fine adaequato sibi a Legislatore praestituto, cessat ipsa lex; quia actus ex se indifferens non potest propter se praecipi, nec materia legis est, nisi propter aliquam communem utilitatem, quam spectat Legislator: igitur si haec omnino cessat, lex inutilis fit, adeoque extinguitur. Quod si non unus, sed plures sint fines, quos sibi praefigit Legislator, nec invicem subordinentur, tunc uno tantum cessante, lex persistit, quia semper persistit alius, ob quem rogata lex est.

Haec intelligenda sunt, quoties finis, aut ratio legis cessat universim respectu totius Communitatis. Caeterum aliter est sentiendum, si tantummodo cesset relate ad peculiarem personam ejusdem Communitatis. Equidem Authores non desunt, qui contra opinentur, quorum aliquos refert, sed forte minime ab ipso perpensos P. Dominicus Viva q. 6. a. 3. At vera, et omnino tenenda sententia, quam etiam frequentius ipsi Probabilistae defendunt, tradit, non cessare legis obligationem respectu omnium, quamvis finis etiam adaequatus legis *negative* cesset, sive, ut melius et exactius dicam, locum non habeat in aliqua persona particulari, quae idcirco ab observanda lege non eximitur. Probatur autem ex illo S. Thomae principio, quod leges non humanae feruntur propter commune bonum, et *secundum ea, quae in pluribus accidunt*; adeoque, dum subsistit finis adaequatus legis in communi, nunquam lex cessat in particulari, sive nullus subditorum a lege servanda exemptus est. Sic lex jejunii quadragesimalis instituta ab Ecclesia est propter mortificationem carnis, qui praecipuus finis est, et ob alios sanctissimos fines e. gr. disponendi fideles ad paschale Sacramentum rite et devote sumendum. Supponamus virum justum, ac perfectum, cujus caro omnino compressa, et subacta sit, animusque dispositus per sacra spiritualia exercitia ad res divinas, non ideo a lege jejunii exemptus est, si eam observare valeat: quoniam omnes lex illa complectitur, et pro omnibus lata fuit; adeoque licet finis legis pro hoc singulari homine non subsistat, non minus ac ceteri ad ejus observationem adstringitur. Quod ad alios casus extendi facile potest.

Consectaria.

I. *Dum finis universim etiam negative cessat, opus non est declaratione Legislatoris, ut lex cesset.*

Quoties finis legis adaequate cessat etiam *negative* necessarium non est decretum aliquod Legislatoris, quo haec cessatio declaretur; sed sufficit, ut de tali cessatione manifeste constet per evidentiam facti cogniti in tali Republica, seu Communitate; quia hoc ipso cessat lex, et

obligare desinit. Oportet autem, ut mutatio, seu cessatio finis manifesta sit, et evidens; nam in dubio pro legis existentia judicandum est. Si namque mutatio omnibus evidens, et manifesta non sit, inde colligi jure licet, eam talem non esse, nec tam universalem: ut merito existimari valeat, legem esse mutatam.

II. *Cessare lex potest quo ad unam partem, non vero quo ad aliam.* Quoniam saepe contingit, ut lex plura praecipiat, aut vetet, sive varia membra, aut partes contineat, idem ferendum judicium est de parte, cujus finis, aut ratio legis cessavit, ac de tota aliqua lege: eadem quippe ratio est; neque tunc reapse una lex est, sed multiplex, adeoque una cessare potest, altera non cessante. Si tamen ea multa, quae lex continet, essent invicem subordinata itaut unam et integram obligationem inducerent; tunc attente considerandum est, an propter defectum in una parte, tota lex reddatur injusta, noxia, inutilis, ac superflua: tunc enim tota legis obligatio extinguitur. Si vero eo defectu in una parte nihil obstante, lex adhuc justa permaneat, atque magis utilis, quam nociva, non cessabit ipso facto, nisi a Principe revocetur.

CAPUT V.

De Dispensatione legis.

I. *Dispensationis definitio, ac divisio.*

Dispensationis, prout hic sumitur, haec esse potest definitio: *Dispensatio est quaedam relaxatio juris communis respectu plurium, aut alicujus personae in aliquo particulari casu, ex justa caussa facta ab habente legitimam potestatem.* Ex hac definitione colligere pronum est, *dispensationem* differre primum a *mutatione*, in qua tota lex revocatur, aut abrogatur, sive etiam ipsi derogatur; quamquam in aliquo cum derogatione conveniat; deinde ab *interpretatione*, quae est mera expositio sensus legis, quae fieri ab homine sapiente potest: adeoque non est actus jurisdictionis, sicut dispensatio: hinc tertio ab *Epicheja*, quae legem non relaxat, sed casum excipit: ac demum a *privilegio*, quod est facultas permanens concessa in perpetuum ad instar cujusdam legis, ac saepe non est contra, sed praeter legem. Itaque dispensatio presse dicta cadit in legem obligantem, ejusque obligationem aufert, aut relaxat in particulari casu, vel persona; unde actus jurisdictionis est, qui idcirco fieri non potest, nisi ab habente potestatem, qua, perpensis circumstantiis, et caussis, subditum eximit ab obligatione servandae legis in casibus particularibus. Siquidem, ut ait S. Thomas, *quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personae, vel in hoc casu; quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquid malum.*

Aliquae assignantur *dispensationis* divisiones. Prima divisio est in *partialem, et totalem.* Partialis est, quae partem tantum obligationis tollit: totalis quae totam legis obligationem aufert, et quantum ad poenam, et quantum ad culpam. Altera est in *tacitam*, quae signis exprimitur, et *expressam*, quae verbis significatur, et exhibetur. Quamquam si manifesta signa sint, et evidentia, *expressa* ipsa quoque dicenda sit.

II. *Quid necessario requiratur ut quis solvatur a lege.*

Expressio voluntatis Legislatoris, sive signis fiat, sive verbis, necessaria omnino est ad dispensationem. Unde ut subditus a legis obligatione eximatur, sola praesumptio non sufficit de Superioris voluntate, quod nempe in hoc, aut illo casu dispensationem concessurus sit, si circumstantias cognosceret: quoniam voluntas futura parere nequit effectum dispensationis praesentem. Nec est quod opponas, satis esse aliquando praesumptionem licentiae futurae, ut quis actum exercere licite queat, puta quod Religiosus voto paupertatis obstrictus prudenter praesumat, Praelatum concessurum fore licentiam, ut expendat, aut recipiat pecuniam, si talis casus convenientiam nosset. Differunt enim licentia, et dispensatio inter se, quod ex licentia, sive permissione reapse non relaxatur obligatio legis, sed solum apponitur conditio, sub qua lex non obligat. Sic in exemplo allato obligatur quidem Religiosus paupertatis voto ne expendat, aut recipiat pecuniam, non tamen absolute, sed absque Praelati sui voluntate, aut licentia: unde licentiam petens, aut prudenter praesumens jam legem implet, et juxta legem operatur. Non ita vero dicendum de dispensatione, quae solvit a lege jam vigente, adeoque *vulnus legis* dici solet, quae praesumi non debet, sed a Superiore concedi; quapropter dum concessa non est signis, aut verbis sufficientibus, subditus sub lege manet, neque praesumptione futurae concessionis ab ipsa solvitur.

Quum autem in definitione *dispensationis* dictum sit, eam fieri *ab habente potestatem*, et *ex justa caussa*, hae quoque partes explicandae sunt. Hoc vero nonnullis propositis regulis praestabimus.

III. Regula prima. *Praecepta juris naturae nullam admittunt dispensationem proprie dictam.*

Quaenam sit dispensatio legis naturalis *proprie* accepta, quaenam *improprie* dicta, satis constat ex iis, quae diximus de ejusdem legis immutabilitate disserentes. Itaque nullam *proprie dictam* dispensationem admittere praecepta legis naturalis, hac solida ratione ostendit S. Th. hic q. 100. a. 8. » Intentio Legislatoris cujuslibet ordinatur » primo quidem, et principaliter ad bonum commune, secundo » autem ad ordinem justitiae, et virtutis, secundum quem bonum » commune conservatur, et ad ipsum pervenitur. Si qua ergo prae- » cepta dentur, quae contineant ipsam conservationem boni com- » munis, vel ipsum ordinem justitiae, et virtutis, hujusmodi prae- » cepta continent intentionem Legislatoris; et ideo indispensabilia » sunt....... Praecepta autem Decalogi continent ipsam intentio- » nem Legislatoris, scilicet Dei. Nam praecepta primae tabulae, quae » ordinantur ad Deum, continent ipsum ordinem ab bonum commune, » et finale, quod Deus est. Praecepta autem secundae tabulae con- » tinent ordinem justitiae inter homines observandae, ut scilicet nulli » fiat indebitum, et cuilibet reddatur debitum. Secundum enim hanc » rationem sunt intelligenda praecepta Decalogi. Et ideo praecepta » Decalogi sunt omnino indispensabilia ». Notanda maxime sunt haec S. Doctoris verba: ea, *quae continent ordinem justitiae etc. ut scilicet nulli fiat indebitum etc.* Ex his quippe enitescit responsio ad plures difficultates, quae fieri possunt contra Angelicam et communem doctrinam.

Concludens demum S. D. Doctrinam suam ait: *Sic igitur praecepta ipsa Decalogi, quantum ad rationem justitiae, quam continent, immutabilia sunt* (et indispensabilia): *sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad particulares actus* (*ut scilicet hoc vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non*); *hoc quidem est mutabile* (sive dispensabile) *quandoque quidem sola authoritate divina, in his scilicet, quae a solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, et in aliis hujusmodi: quandoque etiam authoritate humana, sicut in his, quae sunt commissa hominum jurisdictioni. Quantum enim ad hoc homines gerunt vices Dei, non autem quantum ad omnia.* Atque hae omnes mutationes, sive dispensationes in lege naturali impropriae sunt, et dicuntur: quemadmodum alibi ostensum est.

IV. Regula secunda. *Nulla potestas humana dispensare valet in lege divina.*

Evidens hujus regulae ratio est, quoniam divina potestas superior est quacunque humana potestate; inferior autem potestas nullam authoritatem habet in iis, quae ad superiorem pertinent. Id magis declarat S. Th. in resp. ad 3. dicens: *Ad legem divinam ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subjicitur. Unde sicut in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, a quo lex authoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit: ita in praeceptis juris divini, quae sunt a Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret.* Haec comperta sunt apud omnes. At vero quum S. D. affirmet in his postremis verbi, nullum quidem hominem dispensare posse in lege divina, sed addat, *nisi ipse specialiter alicui committeret*, quaestio excitatur a Theologis, num reipsa Deus hanc suam potestatem alicui commiserit: quod sane nonnisi de Ecclesia sponsa sua, ejusque capite supremo Romano Pontifice inquiri potest, ac solet. Pro qua sit.

V. Regula tertia. *Nec Ecclesiae, nec Summo Pontifici commissa a Deo potestas est in iis quae sunt juris divini, sive in divinis legibus dispensandi.*

Dico *dispensandi*, et quidem dispensatione proprie accepta. Siquidem potestatem *interpretandi*, ea etiam, quae ad divinum jus pertinent, inesse Ecclesiae, summoque Pontifici nullus Catholicorum negat. Porro potestatem dispensandi in lege divina Ecclesiae ac Pontifici summo concessam a Deo minime fuisse, satis aperte colligi videtur ex Conc. Trid. sess. 21. c. 2. ubi clare indicat, Ecclesiam mutare non posse ea, quae Sacramentorum substantiam spectant. Hanc etiam regulam diserte tradit pluribus in locis S. Thomas: et ratio manifesta eam confirmat. Nam ut haec potestas dispensandi in lege divina tribui posset Ecclesiae, et Summo Pontifici ex Dei concessione, assignare oporteret textum aliquem S. Scripturae, ex quo ejusmodi concessio constaret, eo praesertim, quod quum dispensatio, nemine dissentiente, inter odiosa computetur, utpote *vulnus legis*, adeoque non amplianda sit, sed potius arctanda in iis etiam humanis legibus, quae dispensationi subjecta sunt; nisi scripturae textus sit perspicuus, et omnino convincens, haec potestas Ecclesiae concessa asserenda non est. Porro nullus adhuc Scripturae textus allatus est, ex quo haec concessio certo constet: qui enim adduci plerumque solet

ex Evangelio: *Quodcunque ligaveris super terram* etc. abs re est, nihilque peculiare continet pro hac dispensandi facultate; alioquin si quid probaret, probaret etiam, in praeceptis omnibus divinarum legum Ecclesiam posse dispensare, quod et ipsi adversarii admittere abnuunt. Igitur concessam ipsi minime fuisse dicendum est.

Adversarii, quum textibus evincere nequeant sententiam suam factis nos obruere pertentant; multa nempe exempla congerunt dispensationum, quae factae sunt in lege divina a Summis Pontificibus: quibus reponimus, omissa singulorum discussione, aliqua falsa esse, aliqua non pertinere ad jus divinum; quaedam non esse proprie dispensationes divinae legis, sed interpretationes ejusdem. Hoc autem officium interpretandi, quae divinae legis sunt, Ecclesiae lubentes concedimus, summisque adeo Pontificibus, qui quum custodes sint divini depositi Scripturarum et Traditionum, facultate gaudent ea declarandi, et in ambiguis casibus decidendi, qui ad divinam legem pertineat, quod ab ea dissideat. Ceterum si qui afferuntur casus, in quibus proprie dicta dispensatio in jure divino facta sit a Summis Pontificibus, dicimus, eos vel secutos esse sententiam, quam ipsi veram, aut saltem probabiliorem judicarunt, vel in iis haud munere sibi competente esse perfunctos: neque enim ii sumus, qui velimus gesta omnia Summorum Pontificum ita venerari, prout faciunt nonnulli, ut mitius loquar, imprudentes, quasi et ipsi homines non essent obnoxii humanis affectionibus, ac deceptionibus.

VI. Regula quarta. *Legislator humanus dispensare valet in legibus suis, sicut etiam in legibus praedecessorum: itemque in legibus inferiorum in jurisdictione.*

Nulla haec regula probatione indiget post ea, quae dicta sunt de legum mutatione: eadem quippe ratio utramque convincit potestatem. Unde solum applicanda est potestatis cuicumque particulari. Sic igitur Summus Pontifex dispensare valet nedum in legibus a se latis, sed etiam in ceteris Praedecessorum suorum, et generatim in legibus Ecclesiasticis; quia potestatem legislativam, atque adeo dispensativam habet in universa Ecclesia. Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi dispensare possunt in legibus suis, aut in suis decretis: Episcopus, et Archiepiscopus Metropolitanus valent dispensare in legibus latis in Synodo Provinciali, in propria tamen Dioecesi, ut consuetudo est, non in aliis: siquidem in Provinciali Concilio Episcopi omnes pari potestate fruuntur in judicando, ac leges ferendo: et licet Metropolitanus ceteris superior sit dignitate, superior tamen non est in jurisdictione, sed inferior ipso Concilio. Unde si Concilium, quod singulis superius est, sibi casum aliquem reservasset, nemo ipsorum in eo dispensare posset, nisi de consensu Concilii. Atque ita de ceteris Rectoribus Reipublicae sive civilis, sive Ecclesiasticae, proportione servata, intelligas.

VII. Regula quinta. *Quamquam inferior potestate careat dispensandi in lege superioris, eam tamen habere aliquando potest ex illius concessione.*

Quod ex se inferior potestate careat dispensandi in lege superioris, evidens est; quia dispensatio est actus jurisdictionis: inferior autem nullam jurisdictionem habet in legem superioris. Sed quoniam inferiores dispensare possunt ex facultate sibi a superiore collatâ,

quandonam quibusque in casibus dispensare ex hac concessione poterunt? Quia non praecipua dispntatio est de legibus Ecclesiasticis, ideo quaedam ad ejus resolutionem constituenda sunt. Primo Episcopis concessa facultas dispensandi est in iis legibus, in quibus dicitur, *statuimus, praecipimus* etc. *donec in eo dispensetur:* sic enim habetur in Cap. *Postulasti* de Cleric. Excom. ubi legitur, Clericum excommunicatum non posse retinere duo beneficia, *nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum.* Secundo Conc. Trid. sess. 24. c. 6. concedit Episcopis, ut dispensare valeant in irregularitatibus, et suspensionibus ex occulto delicto provenientibus, ea excepta, quae oritur ex homicidio voluntario. Tertio quando obtinuit consuetudo; ut Episcopus in aliquo casu dispenset: sicut enim alia possunt consuetudine praescribi, ita et dispensandi potestas, ipsaque consuetudo legitima satis est ad jurisdictionem conferendam. Quarto in iis, quae frequenter accidunt, ut in jejuniis, horis canonicis, festis, aliisque similibus dispensare Episcopi, immo etiam interdum Parochi possunt: esset namque onus importabile, si in iis, quae contingunt in dies, ad supremum Legislatorem recurrendum esset. Quinto quoties gravis occurrit necessitas, neque facilis ad Pontificem, ejusve legatum Pontificia facultate munitum pateat accessus, sive propter penuriam, sive propter periculum in mora, sive propter aliud rationabile motivum, Episcopis concessa est dispensandi facultas. Qua de caussa Episcopi dispensant in impedimentis matrimonii, si matrimonium jam ante contractum publicum est, et impedimentum occultum, meritoque timetur ex conjugum separatione scandalum, vel gravis perturbatio.

VIII. Regula sexta. *Qui possunt dispensare cum aliis, possunt etiam dispensare cum semetipsis.*

Ratio aperta est; quia Superiores, sive sint saeculares, sive Ecclesiastici, non debent esse deterioris conditionis quam subditi: hoc enim aequitas omnino requirit. Atque haec regula traditur a S. Th. 2. 2. q. 185. a. 8. sive interim haec sit dispensatio proprie dicta sive improprie et late accepta.

IX. Regula septima. *Peccat Superior, qui dispensationem in lege concedit absque justa caussa.*

Haec ita generatim posita extra omnem controversiam est. *Si absque ratione* (inquit S. Th.) *Superior licentiam* sive dispensationem *pro sola voluntate tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret.* Hanc doctrinam hausit S. Doctor ex Patribus, ac praesertim ex D. Bernardo, qui lib. 3. de consider. c. 4. ait: » Ubi necessitas urget, excusabilis » dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: » utilitas dico *communis*, non propria. Nam quum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est ».

X. Regula octava. *Justa caussa dispensandi in legibus humanis ea censenda est, quoties dispensatio vel proficit ad bonum commune, vel exigitur a caritate.*

Haec regula fluit ex doctrina eorundem SS. Thomae, in resp. ad 1. et Bernardi, qui vocat *non fidelem dispensatorem, sed crudelem dissipatorem, ubi utilitas communis non provocat, vel necessitas non*

urget, aut charitas non impellit, ut quae pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur. Et S. Augustinus ajebat Epist. 1. *Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.* Ex quibus colligitur caussam, ob quam cum aliquo ab habente potestatem dispensari potest in lege, talem esse debere, ut dispensatio quadantenus in bonum commune referatur: lex enim ad commune bonum ordinatur. Qua de caussa contingere nonnumquam potest, ut recte officio suo non fungatur Superior, et peccet non dispensando in casibus, in quibus dispensatio ad commune bonum prodesse potest. Praebet enim faciles occasiones murmurationum, conjicitque subditos in gravi periculo violandi legem, quam relaxare renuit, dum justa, atque urgens relaxandi suppetit caussa.

Ceterum quaenam in particulari caussa sit, quae justa dici debeat, bonoque communi et caritati consentanea, definiri minime potest; quum hoc pendeat a circumstantiis temporis, utilitatis, necessitatis, pietatis, conditionis, ac meriti personarum, quarum in dispensando habenda ratio est. Unum illud solummodo observare par est, talem ac tantam non esse debere caussam, quae ex se etiam absque Superioris authoritate sufficeret, ut quispiam jam a lege observanda solutus esset. Tunc enim opus non foret dispensatione, sed ut summum declaratione, aut interpretatione. Quoniam vero justa caussa indivisibilis plane non est, ad Superioris prudentiam ac discretionem pertinet, quibusdam quidem totum legis onus relaxare, quibusdam vero partem oneris, quibusdam etiam aliud onus imponere, levius tamen illo, super quod dispensationem impertitur: neque enim dispensatio tunc esset, sed commutatio.

XI. Regula nona. *Inferior, cui delegata aut commissa dispensandi facultas est, nedum peccat sine justa causa dispensando, sed etiam invalida, ac nulla est ejus dispensatio.*

Ratio est, quia quum tota potestas dispensandi penes Superiorem sit, praesumi nullo modo potest, aut debet, velle ipsum elargiri alteri hanc facultatem, nisi quum justa subest dispensandi caussa. Quare si Episcopus in statutis Summorum Pontificum, aut Conciliorum absque caussa dispensaret, nullae forent hujusmodi dispensationes; nec iis uti posset dispensatus, utendoque nedum peccaret, sed nec etiam dispensationis effectum consequeretur.

XII. Regula decima. *Dispensationes absque justa caussa a superiore Concessae saltem ut plurimum invalidae, ac nullae sunt.*

Illicitas communiter esse dispensationes etiam a Summis Pontificibus concessas absque justa caussa Theologi docent cum S. Thoma. Eas quoque esse plerumque invalidas cum quibusdam illustribus Theologis sentio contra alios. Dico *plerumque*, quia plerumque subreptitiae sunt, vel extortae contra Superioris voluntatem precibus importunis, vel concessae adversum jus aliquod superius, vel ob alias similes caussas, quae nullam efficiunt dispensationem. Id profecto mihi colligi posse videtur ex sententiis productis SS. Bernardi, ac Thomae, qui ejusmodi facultates sine justa caussa concessa non dispensationes, sed *dissipationes* vocant. Id etiam satis probari arbitror

ex Concilio Tridentino, quod sess. 25. c. 18. de dispensationibus loquens haec prae ceteris habet: » Quod si urgens, justaque ratio, » et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispen- » sandum esse, id caussa cognita, ac summa maturitate, atque gra- » tis, a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestan- » dum: aliter facta dispensatio *subreptitia* censeatur »: quod perinde est, ac nullius valoris, ut postea dicemus.

Quod S. Concilium sensit, idem quoque sentire ceteros Ecclesiae Pastores, ac praesertim Summos Pontifices omnino praesumendum est. Quis enim sibi persuadeat, hos velle dispensare absque justa caussa in Sacris Canonibus, quos totius Ecclesiae usus consecravit, aut in legibus aliis majoris momenti; ex quo non exiguum oritur disciplinae communi praejudicium, ac piis fidelibus offensio et scandalum? Audiamus Cardinalem Bellarminum, cujus authoritas hac praecipue in re magni facienda est, *in Epist. ad Nep.* ubi contra injustas dispensationes scribit: *Hic cavillus* (quod nempe obtinuerint a Summo Pontifice dispensationem) *securos reddit multos, tutum vero neminem. Quoniam Papa non est Dominus, sed dispensator; ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis caussa est, et qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate.* Quibus verbis rationem statutae a nobis regulae affert: quod videlicet etiam ipse Summus Pontifex *non sit Dominus*, ut pro arbitrio dispenset et sine justa caussa.

XIII. Regula undecima. *Dispensationes a Sacris Canonibus, in quibus jus naturale, vel divinum immiscentur, invalidae, ac nullae sunt.*

Hanc regulam, licet in superiore dissentiant, Theologi omnes ut certam tradunt: quoniam humana potestas, quaecunqe ea sit, nullam authoritatem habet in iis, quae a suprema divina potestate constituta fuere. Ea porro permaxime animadvertenda est, quoniam ex legum humanarum et divinarum permixtione plures ratas ac validas habent dispensationes Pontificias, quae reapse nullae sunt.

XIV. Regula duodecima. *Si dispensatio subreptitia, aut obreptitia sit, vel per metum extorta nullius valoris est.*

Subreptitia dispensatio ea dicitur, in qua postulator non exprimit ea in petitione sua, quae essent exprimenda, spectato jure et consuetudine. *Obreptitia* illa vocatur, in qua aliquid falsum in petitione exponitur. Quoties igitur vel aliquid non exprimitur in petitione, quod erat exprimendum; vel falsum aliquod exponitur, dispensatio obtenta nullius valoris est. Ad dispensationem enim requiritur dispensantis consensus; qui deficit quoties vel non exprimitur veritas, vel exponitur falsitas. Hinc in dispensationibus semper vel apponitur, vel intelligitur ea conditio, *si vera sunt exposita* etc. qua non posita, dispensatio nulla est, sicut habetur in Cap. *de fide et instr.*

Quaenam autem reticentia veritatis, aut expressio falsitatis satis sit, ut valida dispensatio reddatur, definiri vix potest, quum hoc pendeat a circumstantiis particularibus. Hae nihilominus generales regulae tradi solent: 1. si non exprimatur, quamvis sine culpa, aliquid ad rei petitae substantiam pertinens, vel quidpiam eorum, quae juxta jus et stylum curiae exprimi deberent. 2. Nulla est dispensatio, si falsa sit finalis caussa, propter quam obtinetur, ut in cap. 20. de Rescript. statuitur; idemque dicendum, si ex duabus causis quae

afferuntur) altera vera sit, altera falsa, et vera ex se non sufficiat ad dispensationem impetrandam. 3. Demum quoties aliqua veritas non exprimitur, aut aliqua falsitas proponitur, unde sapientum judicio casus propositus corrumpitur, aut vitiatur. Nam tunc invalida existimanda dispensatio est, etiamsi Pontifex eam concessurus fuisset, facti veritate perspecta: non enim ad dispensationem sufficit consensus futurus, sed praesens requiritur: qui tunc deest, quum non feratur in alium, sed in casum, qui dispensatori proponitur.

Dispensatio extorta per metum absolute valida est; quia metus non tollit simpliciter voluntarium, sed caussat involuntarium *secundum quid*, ut inquiunt. Hinc si metus injuste incutiatur, peccat quidem postulator ex hoc capite, quod metum incutiat; at si vera ac legitima fuerit dispensandi caussa, uti sine peccato poterit dispensatione concessa; quoniam valida, ac licita est. Quod si metus juste incussus fuerit, valida, et licita est dispensatio nedum in usu ejusdem, verum etiam in petitione.

XV. Regula decima tertia. *Cessante caussa, ob quam concessa est dispensatio, ipsa dispensatio cessat*

Loquimur de dispensatione, quae effectum suum totum et integrum nondum consecuta est: si enim hujusmodi effectum consecuta jam sit, evidens est, positam regulam locum habere minime posse, ut si quis dispensatus fuerit ad matrimonium contrahendum, aut ad sacros ordines suscipiendos, contracto matrimonio, vel susceptis ordinibus, dispensatio cessare nequit, etiamsi forte revocaretur. Sic etiam si effectus non unus, sed multiplex sit, et unum, sed non alterum consecuta fuerit dispensatio; relate ad hunc revocari quidem dispensatio potest, non autem relate ad illum. Itaque si caussa, quae movit et induxit Superiorem ad dispensationem concedendam, non subsistat tempore, quo dispensatio fit, haec nulla prorsus et invalida est. Tota ergo, si qua est difficultas, ad eos casus revocatur, in quibus materia divisibilis est, et cessat quoad aliquam partem finalis et principalis caussa, ob quam concessa fuit dispensatio, puta si dispensetur aliquis ab observantia jejunii, a recitatione horarum canonicarum, aut ab alio simili praecepto ob aegritudinem, aliudve impedimentum, num scilicet dispensatus, sublato impedimento, dispensatione uti licite valeat. Qua in re regulam constituo, quae certa mihi est, licet nonnulli Theologi oppositum sentiant. Nec ab alio capite rationem repeto hujusmodi assertionis, quam ab intimo omnium sensu, qui certior est veritatum moralium judex prae subtilibus Theologorum speculationibus, quae saepius veritatem densis tenebris offundunt. Quis enim est piorum hominum, qui dispensatus ob aegritudinem a quadragesimali jejunio, si aegritudo omnino cesset vel in principio, vel in medio quadragesimae, non se credat obstrictum ad jejunandum reliquis sacris illius temporis diebus, quamquam hoc in dispensatione expressum minime sit? idemque dicas de dispensatione vel audiendi Sacri, vel recitandi divinum officium etc. si vel aegritudo, vel caecitas, vel aliud impedimentum, quod caussa fuit obtinendae dispensationis, penitus evanescat.

XVI. Reg. decima quarta. *Dispensatio ob mortem concedentis non cessat.*

Quum igitur dispensatio in lege gratia quaedam sit a Legislatore facta, eam non cessare, etiam ipso vita functo, dicendum videtur.

Nihilominus oportet duplicem dispensationem distinguere, quarum altera absoluta est, et caussa, ob quam concessa fuit, persistit: atque hanc non cessare morte concedentis asserimur; quoniam dispensatio donationi cuidam, sive gratiae comparatur, quae semel facta et acceptata perdurat etiam post mortem donatoris; unde si dispensatio a jejunio obtenta sit per integram quadragesimam, etiamsi in media quadragesima dispensator obierit, dispensatio non cessat. Altera vero est conditionata, sive conditioni alligata, quae cessare potest defuncto Superiore, ut si dispensatio clausulis hujusmodi circumscripta sit: *Ad arbitrium nostrum frui hac dispensatione, vel donec nobis visum fuerit, ac placuerit* etc. et haec morte dispensatoris expirat. Si tamen actus, pro quo dispensatio data est, inceptus quidem fuerit, sed nondum completus, actum dispensatus conficere valide potest.

XVII. Regula decima quinta. *Dispensator revocare potest datam dispensationem suam, immo aliquando debet.*

Aliquando dispensator revocare dispensationem debet, si nempe illam sine justa caussa contulerit, aut se contulisse compererit, praesertim si de re agatur non exigui momenti. Dispensationem vero ex justa caussa concessam, adeoque validam, ac licitam revocare quidem valet dispensator, sed nova caussa occurrente; sine caussa vero licite nequit: quoniam sicut peccaret, si absque justa caussa dispensationem tribueret; ita peccaret, si absque rationabili caussa eamdem revocaret; si tamen etiam sine caussa dispensatio revocetur, valida revocatio est, nec ea amplius uti licet.

XVIII. Regula decima sexta. *Dispensatio cessat, si dispensatus renunciat, modo non sit in damnum tertii.*

Ratio est, quia quum unusquisque renunciare gratiae sive favori sibi collato valeat, potest et ipsi dispensationi renunciare, quae gratia quaedam et favor est. Non tamen id facere potest, si damnum aliquod tertiae personae ex renunciatione sequatur, puta si quis defloraverit consanguineam, et dispensationem obtinuerit, ut eam in uxorem ducere queat; tunc huic dispensationi renunciare minime posset ob consanguineae praejudicium, quod inde sequeretur.

Consectaria.

I. *Intelligenda sunt de dispensatione minus proprie dicta, quae prostant in Scripturis, exempla dispensationis in lege naturae.*

Exempla omnia, quae prostant in sacris Literis, quibus videtur, Deum dispensasse aliquando in lege naturae, intelligenda sunt de dispensatione haud proprie sumpta, prout explicatum a nobis est, dum egimus de immutabilitate legis naturalis, ubi jam aliqua ex his exemplis, quo sensu accipienda sint, vidimus.

II. *Si dubium sit de facultate dispensandi in lege, inferior dispensare non potest.*

Si dubium occurrat, prout occurere saepe solet, an inferior facultatem habeat dispensandi in lege superioris, ea tunc regula servanda est, cujus supra meminimus ex S. Thoma de *Epikeja* disserentes, nimirum quod debeat vel superiorem consulere, vel a dispensando abstinere, sive dubium negativum sit, sive positivum. Neque audiendi in

hoc sunt moderni Probabilistae. Qui vero potestatem habet dispensandi delegatam, eam alteri subdelegare minime potest, nisi aliter a Superiore disponatur, aut haec nova facultas subdelegandi exprimatur, aut usu et consuetudine legitima jam invaluerit. Hinc delegatus Summi Pontificis, aut alterius supremi Principis facultate gaudet alium, aut alios subdelegandi, nisi eidem a Superiore vetetur. Hoc enim pendet a voluntate Superioris, qui, sicut facultatem restringere, ita etiam ampliare potest, prout ipsi libuerit.

III. *Falsa est aliquorum sententia dicentium, venialiter solum absolute peccare superiorem dispensantem absque caussa.*

Falsa et laxa judicanda est sententia PP. Salmaticensium, et Auctorum, quos ipsi laudant, qui universim tradunt, peccare duntaxat venialiter Superiorem ex mero arbitrio, et sine justa caussa dispensantem. Quamquam enim id, si de re levi agatur, admitti possit; si tamen sermo sit de dispensatione in re gravi, lethaliter peccare Superiores pro solo lubitu suo dispensantes, omnino dicendum est. Ratio est; quia Legislator ex justitia legali tenetur legum suarum observantiam promovere et conservare utpote ad commune bonum necessariam; ergo dum a lege sine caussa dispensat, peccat contra justitiam. Peccatum autem contra justitiam juxta doctrinam S. Thomae, et Theologorum ex genere suo grave et lethale peccatum est. Hinc colligere proclive est, quanto in periculo versentur Praelati Ecclesiae, qui faciles se nimium praebent in dispensationibus concedendis; qui caussas exacte non expendunt, cur iste vel ille solvendus sit e. g. ab obligatione jejunii etc. Hi profecto officio suo et potestate abutuntur, nec fideles dispensatores vocandi sunt, sed dissipatores legum Ecclesiasticarum. Nec minus Praelati Ecclesiae, quam Superiores Regularium in salutis periculo versantur, si sine justa caussa dispensent cum subditis in regularibus observantiis.

IV. *In dispensationibus doctrina S. Thomae prae oculis habenda.*

Quamquam certa et universalis regula praefiniri nequeat circa legitimas dispensationis caussas; hoc siquidem a pluribus pendet circumstantiis loci, temporis, ac personarum dispensationem petentium; nihilominus ea generalis D. Thomae doctrina inservire plurimum potest, quod nempe dispensatio in primis in praejudicium non vergat boni communis, sed magis *ad bonum commune proficiat.* Quapropter spectanda est indigentia, pietas, qualitas tum personae postulantis, tum materiae, in qua dispensatio facienda est: quae enim hoc tempore, in his circumstantiis, respectu hujus, aut illius personae dispensationes *proficere possunt ad bonum commune*, non proficiunt, sed potius obsunt alio tempore, aliis circumstantiis etc. Similiter quum etiam in dispensando *caritatis* habenda ratio sit, quod nunc, et in his circumstantiis opus caritatis est, in aliis verae et sincere caritati potius adversatur. Quod si de caussae sufficientia dubitatur, si dubium rationabiliter deponi nequeat, servanda est generalis regula; quod scilicet tutior pars eligatur.

V. *Aliquando peccat Superior, absque caussa, dispensationem denegans.*

Si Legislator, aut superior dispensationem deneget in quibusdam circumstantiis, nempe dum urgens gravis mali, puta scandali vitandi

caussa subest, aut illam commune bonum requirit, deficit officio suo, et peccat: quoniam in eo casu eam elargiri tenetur. Si vero debita non sit, nullumque impendeat scandalum, aut communi bono detrimentum, eam denegare licite potest, quamvis legitima suppetat caussa dispensandi. Nam quum dispensatio gratia quaedam et indulgentia sit, eam concedere nequaquam adstringitur; sed prout sibi visum fuerit, aut expedientius judicaverit, eam concedere, vel negare valet. In hoc tamen non ex mero arbitrio suo, aut pro libito solo agere debet, sed juxta prudentiae leges, quae multa considerat.

VI. *Sententia PP. Salmaticensium rejecta.*

Probabilis dicenda non est sententeatia, quam quidam defendunt, licitum esse dispensationis usum, quamvis omnino cesset caussa finalis, quae superiorem ad dispensandum induxit, antequam exequutioni demandetur, puta si cesset aegritudo, propter quam quispiam dispensatus est a jejunio, vel ab horis divinis recitandis, quia, inquiunt, semel ablata lege per dispensationem, haec non reviviscit, nisi per novum actum Legislatoris: Legislator autem, sive Superior legem non renovat: ergo obligatio nulla amplius est observandi legem. Nam haec ratio nullius momenti est, et potius quoddam sophisma: Dispensatio enim legem non aufert, adeout Legislator legem renovare debeat, sed solum aliquem eximit a legis observatione ob justam caussam. Si igitur haec caussa non duret, jam lex suum effectum obligandi obtinet omnes subditos, quin opus sit renovatione legis, quae nunquam ablata est: atque hanc fuisse Legislatoris voluntatem omnino praesumendum est.

CAPUT VI.

De Privilegiis.

I. *Privilegii definitio.*

Dispensationi proximum est *privilegium*, quod *est constans facultas ac permanens a Superiore aliquibus concessa agendi, vel non praestandi aliquid contra, vel praeter communem legem.* Ex qua definitione, quae seipsa clara est, constat, privilegium a dispensatione differre; tum quia dispensatio actum, vel casum particularem respicit; tum quia eadem non est permanens, sed transiens: et etiam differre a lege communiter dicta, quae spectat subditos omnes, sive totam communitatem Superiori subjectam; *privilegium* autem vel singularem personam, vel peculiarem communitatem. Hinc additur, aliquid concedere *contra, vel praeter legem* communem, quatenus per privilegium aliquid conceditur vel ultra, vel contra jus illud, quo ceteri adstringuntur.

II. *Divisio Privilegii proponitur.*

Duplex in primis privilegium distinguitur, *reale* scilicet, et *personale. Reale* illud est, quod immediate et directe conceditur ratione rei, muneris, conditionis, et status. *Personale*, quod directe conceditur ratione, seu intuitu *personae.* Hoc affixum personae est, et cum ea extinguitur, ut habetur *reg. 7. juris* in 6. Illud vero rei adhaeret, et cum ea persistit, nisi tamen vel ex parte, vel totum revocetur, aut amittatur, ut Cap. *Recolentes* extra *de statu Monachorum.* Hic

privilegium illud revocatur, quod aliqui *corporale* vocant, quod scilicet alicui Universitati, Societati, Ordini, vel Capitulo, aut Collegio ita conceditur, ut quodlibet ipsius membrum eo privilegio fruatur, vel etiam universitas ipsa, Societas, Ordo, Capitulum, vel Collegium. Ejusmodi privilegium non perit durante Collegio, nisi revocetur ab illo, qui concessit, aut ab ejus successore, aut alio modo deficiat ex iis quae notantur in jure. Privilegium *personale* aliquando est personam quaedam particularis; aliquando vero est genus personarum, ut Minores, mariti, Uxores: et utrumque vocari posse *personale*, notant Canonistae.

Alia divisio privilegii est in *gratiosum*. quod gratis omnino, idest absque ullo respectu ad merita conceditur: et *remunerativum* quod propter merita propria vel aliena confertur. Gratiosum autem licet conferatur, absque intuitu meritorum: non tamen conferri potest absque justa caussa. Tertia divisio est in *conventionale et purum*. Purum est, quod sine aliquo pacto, sive conventione tribuitur: *conventionale* vero, in quo pactum aliquod intervenit, ratione cujus quodammodo privilegiatus obligatur ad privilegium sibi demerendum aliqua ratione, vel omissione. Istud privilegium, si simul personale sit, ad haeredes transit, sed cum persona extinguitur, nisi forte aliter in ipso privilegio exprimatur. Demum, ut alias minutiores privilegii divisiones omittam, dividitur in *perpetuum*, et *temporarium*. Perpetuum dicitur, non quia finem habere nequeat; semper enim, ut dicemus amitti privilegia queunt, sed quia vel adhaeret rei de se perpetuae, vel quia conceditur absque ulla limitatione temporis, sed de se subsistit, quamdiu revocatum non fuerit. *Temporarium* vero privilegium esse multipliciter contingit. 1. Quia ad definitum aliquod tempus conceditur, quo elapso, cessat. 2. Temporarium est, si soli alicni personae tribuatur, licet nulla praestituta limitatione temporis, quia cum vita ipsius finem habet. 3. Si detur sub conditione, quae lapsu temporis desinat, qua impleta cessat privilegium. His constitutis quasdam regulas expono, quibus ea, quae hoc argumentum de privilegiis spectant, elucidantur.

III. Regula prima. *Solus ille privilegium conferre potest, qui potest condere legem.*

Ratio evidens est; quia privilegium est quaedam lex *privata*, adeoque potestatem legislativam in concedente requirit: ex hoc enim quod privilegium lex privata, non publica sit, lex quaedam esse non desinit; unde praeditum esse potestate legislativa opus est, qui illud cencedit.

IV. Regula secunda. *Intra limites propriae potestatis Princeps tantum, condere privilegia valet.*

Haec liquidissime fluit ex praecedente; quod nempe hi solum potestate legislativa potiantur intra suae jurisdictionis limites.

V. Regulo tertia. *Episcopi, aliique Superiores, potestate gaudent conferendi privilegia.*

Episcopi, et Superiores omnes Ecclesiae Praelati possunt respective, et servata proportione privilegia concedere. Quoniam et ipsi potestate gaudent ferendi leges, atque adeo et privilegia conferendi; quae tamen suis legibus, suaeque potestati debent respondere.

VI. Regula quarta. *Non est in potestate Episcoporum auferre a Regularibus legitima privilegia a S. Sede concessa, et a Conc. Tridentino confirmata.*

Haec regula colligitur in primis ex S. Gregorii verbis Epist. 116., ubi monet, *sollicitudinis curam adhibendam, ut ea, quae pro quiete Monachorum, religiosaeque conversationis sunt ordinata, non perturbentur.* Eandem disertis verbis statuit, ac probat Benedictus XIV. lib. 7. *de Synodo Dioeces.* C. 41. cujus titulus est: *Nihil in Synodo constituendum, quod Regularium privilegia laedat.*

VII. Regula quinta. *Quaecunque sint privilegia Regularibus concessa non possunt, neque debent praejudicium inferre juribus Ecclesiarum Cathedralium, et Parochialium.*

Haec regula fundamentum habet in ipso jure naturali, et positivo divino. Nam ex hoc saltem divino, et Apostolico jure hujusmodi Ecclesiae jam ab initio institutae, suisque peculiaribus juribus donatae ad animarum, quae ipsis commissae fuerunt, sempiternam salutem, nullum detrimentum perpeti debent ex jure humano privilegia Regularibus impartiente.

VIII. Regula sexta. *Consuetudo legitima inducit aliquando privilegium.*

Quaenam sit consuetudo legitima, infra exponemus. Eam autem inducere aliquando privilegium, sive effectum eundem, quem praestat privilegium a Principe expresse concessum, satis constat ex eo, quod si talis consuetudo sit *contra legem*, derogat ipsi, sive removet in particulari obligationem, quam lex inducebat; si vero sit *ultra legem*, jus praebet et facultatem operandi, in quo sita est veritas, et substantia privilegii.

IX. Regula septima. *Quilibet subditus, vel etiam inferior capax est privilegii recipiendi.*

Prima pars liquet: sicut enim omnes subditi sunt ex se capaces legis sibi a Superiore suo impositae; ita quoque privilegii: quoniam a lege eximi queunt, si aliae intercedant necessariae conditiones. Altera vero constat, quia gratia concedi valet quibuscunque placuerit Superiori, vel Principi eam concedere. Sic e. g. Rex Galliae, aut Hispaniae nedum subditis suis, sed etiam non subditis tale conferre privilegium potest cuicunque Veneto Civi, ut pedagia non solvat, dum transit per loca suae dictioni subjecta. In quo tamen casu saltem transeunter fit Regi subjectus.

X. Regula octava. *Privilegium iis tantum conceditur, qui expresse nominantur.*

Ratio deducitur ex vulgato illo principio, quod *privilegia tantum valent, quantum sonant*, et non amplius; quae regula nedum intelligitur quoad res concessas, sed quoad illos etiam, quibus conceduntur, cum eadem sit utriusque ratio. Praeterea iis tantum privilegium conceditur, ad quos voluntas et intentio concedentis dirigitur: ergo iis duntaxat, qui ejusdem verbis exprimuntur. Quoniam vero contingere potest, ut aliqua sit inter personas necessaria connexio vel ex significatione vocum, vel ex qualitate materiae, idcirco eo in casu privilegii concessio extendi valet ad personas etiam non expressas; quia tunc talem fuisse Principis voluntatem merito praesumitur.

XI. Reg. nona. *Ut licita sit privilegii concessio, justa caussa requiritur.*

Eaedem rationes, quae evincunt necessitatem justae caussae ad dispensationem licite concedendam, evincunt etiam, multoque magis, justam caussam necessariam esse ad licitam privilegii concessionem. An vero et quando ejusmodi concessio facta sine justa ac legitima caussa non solum illicita, verum etiam invalida dicenda sit, ex iis, quae supra notata fuere de dispensatione, satis constat.

XII. Regula decima. *Privilegium derogans juri communi odiosum reputandum est, adeoque restringendum potius, quam ampliandum.*

Ita in Cap. *Quo dilecto* de consang. et affin., idque Theologi probant ex generali regula, quod omnis derogatio juris communis inter *odiosa* computatur: *odia autem esse restringenda* altera juris regula praescribit. Quoniam sicut commune bonum singulari semper praeferendum est, ita et jus commune particulari.

XIII. Regula undecima. *Privilegia uni, vel certis quibusdam personis concessa, non sunt ad alios extendenda ob rationis paritatem.*

Haec regula nititur Cap. *sane*, sive Decreto Alexandri III. tit. *de. Privileg.* ubi dicitur: *Temerarium est, et indignum, aliquem sibi sua authoritate praesumere, quod Romana Ecclesia alicui, certa ratione inspecta, singularibus voluit beneficiis indulgere.* Hinc regula juris 28. in 6. *Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.*

XIV. Regula duodecima. *Pluribus modis privilegium irritum et caducum est.*

S. Antoninus 1. p. tit. 19. c. 1. decem modus assignat, quibus irritum et inane privilegium evadit. 1. Si subreptitium sit, sive per subreptionem concessum. 2. Si contrarium sit constitutioni, quin illius mentionem faciat. 3. Si tollat consuetudinem, neque tamen privilegium largiens ejusdem meminerit: item si sit contra sententiam latam, quin illam exprimat: item si lite pendente sit impetratum, quin ulla de hoc mentio fiat. 4. Cessante caussa privilegii, deficit privilegium. 5. Excidit privilegio, qui agit contra privilegii tenorem. 6. Cessat privilegium, quum alicui nocere incipit, et illi praecipue, in cujus gratia concessum est. 7. Privilegium prius tollitur per secundum contrarium quod expressam illius mentionem facit. 8. Tollitur per concedentis revocationem, quam tamen fieri non decet sine caussa. Ex caussa vero potest, et debet revocari, puta si eo privilegio jus aliorum graviter laedatur. 9. Cessat per ejus, cui concessum est, renunciationem. 10. Amittitur per non usum, vel usum contrarium, seu abusum. Haec ex variis juris locis.

XV. Regula decima tertia. *Praescriptio quadraginta annorum sufficit ad robur privilegii haud satis clari.*

Id eruitur ex Cap. *Cum persona, de privilegiis* in 6. Spatium hoc 40. annorum sufficit etiam, ut qui toto hoc tempore usi non sunt privilegio, ab illo excidant, ut respondit Innocentius III. Cap. *Accedentibus*, extra *de privilegiis.*

XVI. Regula decima quarta. *Si privilegio apponatur conditio, cessat non posita conditione.*

Haec regula de se satis constat; et explicari potest ex Cap. *Abbate*, de verborum significatione in fine, ubi sic habetur: *Tamdiu Mona-*

sterium ipsum hac honoris debeat praerogativa gaudere, donec ibi viguerit observantia regularis.

XVII. Regula decima quinta. *Privilegia a Principe concessa, revocari possunt ab eodem, vel a pari potestate gaudente.*

Ratio aperta est, quia privilegium sive sit contra legem, sive praeter legem, semper pendet a voluntata concedentis; adeoque in ejus arbitrio est sicut concedere ita etiam revocare, quae tamen revocatio, ut licita sit, fieri debet ex justa aliqua caussa: neque enim agere quidquam licet absque aliquo motivo prudenti, et rationali.

XVIII. Regula decima sexta. *Clausula generalis in privilegiorum revocatione adhibita ordinario sufficiens est, nisi interdum opus sit speciali revocatione.*

Haec postrema regula explicatione potius indiget, quam probatione. Igitur si expressa fiat privilegiorum revocatio non in specie, sed per generalem clausulam, per hanc scilicet: *Non obstantibus quibuscunque privilegiis* etc. haec ordinatio sufficiens censenda est: nam genus de se species comprehendit. Quia tamen saepe aliqua sunt, quae speciali mentione indigent; ideo haud semper sufficit. Et primo quidem, si loquamur de privilegiis in jure contentis, haec speciale aliquid requirunt, et ideo non fit derogatio eorumdem per generalem clausulam revocatoriam, nisi addatur etiam clausula derogatoria legum, sive Canonum, ut notat Glossa in authentica *Quia*, Cod. Ubi *de criminibus*. 2. Si privilegia concessa in suo tenore contineant, quod revocari nequeant, nisi expressa eorum mentio fiat, ac de verbo ad verbum, aliudve simile. De his quo pacto revocari valeant, late pertractant canonistae. 3. Si revocanda sint privilegia concessa per modum contractus onerosi (quod interdum contingit in iis, quae a Principibus saecularibus conceduntur) generales clausulae minime sufficiunt, sed expressa eorum mentio fieri debet, saltem hoc pacto; Etiamsi *per modum contractus fuerint concessa.* Quia quum ejusmodi privilegia jure ordinario irrevocabilia sint, et necessaria sit gravissima caussa, ut, juste revocentur; praesertim quod talis revocatio cedat in praejudicium tertii, non praesumuntur revocari, nisi praedicto saltem modo revocatio satis exprimatur.

CONSECTARIA.

I. *Non est de substantia privilegii ut scripturae mandetur.*

Absolute loquendo de substantia privilègii non est, ut scriptum sit, quum etiam oretenus, seu verbo concedi valide queat: quod colligitur tum ex Cap. Institutionis 25. quaest. 2. tum ex aliis juris locis. Ratio est, quia nec jure naturae, ut patet, nec jure aliquo positivo praescribitur, quod ad valorem, aut effectum privilegii scriptura requiratur. Admodum tamen conveniens est ut scripturae privilegia mandentur ad praecavendas fraudes.

II. *Regulares uti non possunt privilegiis a Tridentina Synodo revocatis.*

Regulares uti non possunt privilegiis a Tridentina Synodo revocatis. Id constat ex damnata ab Alexandro VII. propositione in suo Decreto n. 36. quae asserebat: *Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Triden-*

tinum. In iis etiam regionibus, in quibus non omnia Concilii Tridentini Reformationis decreta recepta sunt, Regulares uti non possunt privilegiis ab ipso revocatis. Ratio ex eadem proscriptione propositionis deducitur: proscripta quippe propositio fuit ut falsa, vel etiam ut scandalosa, prout ex censuris liquet praefixis propositionibus, quas Pontifex damnat. Sive autem falsa, sive etiam scandalosa dicatur, aut judicetur, ubique gentium talis reputanda est; adeoque etiamsi in quibusdam regionibus haud recepta sint Concilii decreta, quae privilegia Regularium revocant, iis uti nequaquam possunt.

III. *Privilegium, nedum expresse, sed etiam tacite revocari potest.*

Non solum expresse, sed etiam tacite revocari privilegium potest; si nempe Princeps aliquem actum praestet, qui subsistere nullo modo valet, aut effectum ab ipso intentum habere absque prius concessi privilegii derogatione. Quum enim duo illae Principis voluntates invicem pugnent, et contrariae sint, posterior omnino praevalere debet, atque adeo effectum prioris tollere, scilicet privilegium. Illud solum animadvertendum, quod, si absolute incompatibilis sit nova Principis dispositio cum toto privilegio, totum auferat; si vero solum ex parte deroget, privilegium quoad hanc partem duntaxat revocabit. Hinc iis privilegiis uti non possunt Regulares, quae licet non expresse, implicite tamen, et virtualiter Trid. Synodus revocavit, quatenus legem edidit, quae privilegiis Regularium contraria est.

CAPUT VII.

De Consuetudine.

I. *Doctrina S. Thomae circa consuetudinem.*

Praemitto S. Th. doctrinam, quam habet de consuetudine p. 2. q. 97. a. 3. ubi inquirit, *Utrum consuetudo possit obtinere vim legis.* Ait itaque: » Per actus maxime multiplicatos, qui consuetudinem » efficiunt, mutari potest lex, et exponi, et etiam aliquid caussari, » quod legis virtutem obtineat, in quantum scilicet per exteriores » actus multiplicatos interior voluntas, motus, et rationis conceptus » efficacissime declaratur. Quum enim aliquid multoties fit, videtur » ex deliberato rationis judicio provenire. Et secundum hoc consue- » tudo et habet vim legis, et legem abolet, et legem interpretatur ». Ex qua doctrina perspicuum est, triplex officium habere posse consuetudinem, nempe *legem inducendi*, *legem interpretandi*, ac demum *legem abrogandi.*

II. *Consuetudinis definitio.*

Juxta primum officium ab Isidoro lib. 5. c. 3. Etymol consuetudo ita definitur: *Est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, ubi deficit lex.* Dicitur *jus quoddam moribus institutum*, sive per frequentiam actum intraductum. Additur, *quod pro lege suscipitur:* non quia consuetudo, dum requisitis conditionibus gaudeat, non sit vera lex; sed quia S. Isidorus nomen legis accommodat ad legem scriptam; et ideo dixit, *jus* consuetudinis loco illius *suscipi, ubi deficit lex.*

III. *Consuetudinis divisiones.*

Circa consuetudinis divisiones, ut alias omittam minoris momenti et utilitatis, prima est in eam, quae est *juxta legem* (intellige scri-

ptam) *praeter legem*, et *contra legem*. Consuetudo *juxta legem*, novam legem non inducit, sed praeexistentem potius firmat, ac roborat, et, lege abrogata, ipsa quoque cessat, et extinguitur. Consuetudo *contra legem* est illa, quae non inducit, sed abrogat praecedentem: de qua postea. Tandem consuetudo *praeter legem* illa est, quae ex actuum frequentia producitur in materia, in qua lex scripta nihil disposuit, aut decrevit. Et haec sola est, quae novum jus inducit, et vim legis obtinet, si ceterae non desint conditiones ad legem requisitae. Altera consuetudinis divisio est in *rationabilem*, et *irrationabilem*. Navarrus priorem definit illam esse, *quae non est contra legem naturalem vel divinam directe vel indirecte*; et e converso, *omnem et solam consuetudinem, quae directe, vel indirecte pugnat cum lege naturali, vel divina*, asserit esse *irrationabilem*. At quamquam hoc verissimum sit, non tamen ex sola consuetudine, quae legi naturali, vel divinae adversatur, *irrationabilis* dicenda est. Nam consuetudo aliqua potest esse undequaque honesta, neque tamen essa *rationabilis*, ut consuetudo audiendi quotidie Missam honesta, quin et honestissima est; *irrationabilis* tamen esset, si eo animo fieret, et intentione, ut induceretur jus et obligatio. Hinc in jure plures consuetudines censentur *irrationabiles*, licet nec legi naturae, nec divinae positivae repugnent, ut ex. gr. quod laici in Choro sedeant cum Clericis, dum sacrae funtiones peraguntur. Unde quod consuetudo irrationabilis sit ex eo repetendum videtur, quod praeferat indecentiam, vel aliquid contineat, propter quod inepta et indigna reputetur, ut per consuetudinem inducatur.

His positis, ad aliquas regulas constituendas accedo circa consuetudinem, primumque circa illud officium, sive effectum, quem ex S. Th. notavimus relate ad jus, sive legem inducendam: qua in re hanc regulam generalem praemitto, nempe quidquid per legem humanam scriptam, et promulgatam induci potest, consuetudine quoque potest induci: et e contra: quidquid lege humana statui non potest, nec consuetudine induci valet, juxta quam sit.

IV. Regula prima. *Nulla consuetudo, vim legis obtinere potest contra jus naturale, et divinum.*

Haec SS. Patrum regula ac sententia est, quam D. Th. confirmat hic ad 1. inquiens: » Lex naturalis, et divina procedit a voluntate » divina. Unde non potest mutari per consuetudinem procedentem » a voluntate hominis, sed solum per authoritatem divinam mutari » posset. Et inde est, quod nulla consuetudo vim legis obtinere » potest contra legem divinam, ac legem naturalem ». Quibus verbis rationem assignat regulae praepositae.

V. Regula secunda. *Consuetudo potest obtinere vim legis; qua singuli ad Communitatem spectantes obligentur, si conditionibus necessariis praedita sit, relate ad jus humanum.*

Regula haec comprobatur tum authoritate Augustini dicentis Epist. 86. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit lex divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt:* tum ratione S. Th. loc. laud. *quod sicut ratio et voluntas hominis legem statuentis, manifestatur verbo, ita etiam manifestatur facto: manifestum est autem, quod verbo humano potest lex institui: unde etiam et per actus maxime multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, potest aliquid caussari, quod*

legis virtutem obtineat, in quantum scilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus efficacissime declaratur . . . et secundum hoc consuetudo habet vim legis. Quia tamen si desint conditiones ad hoc consuetudinis officium requisitae, nullam inducit legem, sicut nec praeexistentem legem scriptam abrogare potest; idcirco eas statim constituo regulis, quae sequuntur.

VI. Regula tertia. *Ut consuetudo legem introducat, debet esse utilis bono communi.*

Haec est enim conditio cuicunque legi necessaria, ut superius constitutum est: igitur etiam consuetudini, ut vim legis obtineat, ac proinde si consuetudo bono communi inutilis sit, ac potius obsit, rationem legis habere non potest, sed tamquam corruptela existimanda est; cujusmodi sunt, quae laxitates invehunt, quae populos solutiores efficiunt, viamque aperiunt dissidiis, scandalis, ac nimiae subditorum libertati.

VII. Regula quarta. *Frequentia actuum necessaria est ad legitimam consuetudinem inducendam, iique liberi, ac publici sint oportet.*

Pars. 1. liquet ex ipsa definitione: consuetudo namque debet esse moribus utentium instituta: mores autem non sunt absque actuum frequentia. Quaenam autem frequentia requiratur, definire minime fas est, sed prudentum arbitrio relinquendum 2. pars ex eo constat, quod sicut lex a ratione et voluntate, ita et consuetudo proficiscatur necesse est. Unde si populus quidpiam agat metu coactus consuetudinem velle inducere nunquam praesumitur. 3. tandem, tum quia actus occulti dici nequeunt peracti ex communi societatis consensu; tum quia sicut ad legem scriptam requiritur publica promulgatio, ita ad legem non scriptam necessaria est haec promulgatio, quae non voce, sed publica actum frequentia perficitur.

VIII Regula quinta. *Ut consuetudo legitima inducatur, a communitate perfecta proficisci debet.*

Non enim ad consuetudinem sufficit frequentia actuum exercita ab una, vel ab altera persona, sive etiam familia, sed exigitur, ut fiant a Communitate perfecta, quam ab initio definivimus. Nam actus multiplicati non inducunt consuetudinem vim legis habentem, nisi ratione consensus Communitatis, qui per actus hujusmodi declaretur. Porro ex lib. 19. §. *ad Mancip.* a tota Communitate fieri censetur, quod fit a majore parte illius.

IX. Regula sexta. *Necesse est ad legem inducendam, ut actus, ex quibus oritur consuetudo, a populo fiant animo sese obligandi, in eoque persistat, toto tempore ad consuetudinem requisito.*

Ratio est; quia sicut nulla constitutio rationem legis habere potest, nisi eam praecipere Legislator velit, ita et de consuetudine, quae legis rationem habitura sit, judicare oportet. Quae tamen intentio populi in imponenda sibi obligatione rigidior, aut mitior esse valet. Potest enim eam sibi imponere aut sub gravi, aut sub levi culpa, aut etiam sub poena duntaxat, omni culpa seclusa: quo in casu propriae legis rationem non obtinet. Illa autem intentio, sive voluntas non debet esse interrupta, sed continua toto tempore necessario pro consuetudine inferenda: Nam si initium ex animo sese obligandi fuerit, progressu vero temporis ex mera devotione actus continuentur, nulla lex inducetur.

X. Regula septima. *Ut consuetudo vim legis obtineat, diuturnum tempus effluat, necesse est.*

Diuturnum tempus in jure accipi solet, quod complectitur saltem decem annorum spatium: Illud autem spatium sufficit ad praescriptionem consuetudinis legalis, quae est una ex conditionibus a jure eodem requisitis, ut vim legis obtineat. Porro hoc decennium debet esse continuum, nec interrumptum per actus contrarios sive Superioris resistentis, sive populi illam interrumpentis.

XI. Regula octava. *Consuetudo nequit obtinere vim legis absque consensu habentis potestatem legislativam.*

Haec regula traditur, et explicatur a D. Th. hic ad 3. his verbis: *Multitudo, in qua consuetudo introducitur, duplicis conditionis esse potest. Si enim sit libera multitudo* (ut est in Regimine Democratico), *quae possit sibi legem facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquid observandum, quod consuetudo manifestat, quam authoritas Principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantum gerit personam multitudinis; unde licet singulae personae non possint condere legem, tamen totus populus condere legem potest. Si vero multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem a superiori potestate positam removendi* (ut in Regimine Monarchico), *tamen ipsa consuetudo in tali multitudine praevalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.* Requiritur ergo consensus, seu approbatio saltem virtualis et interpretativa habentis potestatem legislativam, ut consuetudo vim legis obtineat, quatenus per eos toleratur, qui possent impedire, si vellent.

XII. Regula nona. *Consuetudo cessare potest et abrogari, sicut quaelibet alia lex humana.*

Haec regula ex iis, quae de legum humanarum mutatione dicta sunt, necessario consequitur: non enim majorem vim habet consuetudo, quam ceterae humanae leges. Cessare autem ex se consuetudo potest per solam mutationem materiae quoad ipsius honestatem, vel publicam utilitatem absque ulla revocatione. Contingere enim potest, ut consuetudo inutilis evadat, adeoque desinat consuetudinis obligatio immo adeo materia ejus mutetur, ut non tantum inutilis, sed etiam nociva evadat, et occasio scandali: quo in casu nedum minime tenemur consuetudinem sequi, sed etiam tenemur, eam minime sequi, ac prorsus deserere.

Quod vero consuetudo justis de caussis abrogari a Principe valeat nemo negaverit, quum sicut lex a se condita, ita et consuetudo a subditis suis invecta a sua potestate pendeat, ac voluntate. Abrogare autem Princeps consuetudinem potest, vel per expressam suam voluntatem, condendo scilicet legem, qua eam abroget, vel legem aliam statuendo, qua subinde cuique consuetudini contrariae deroget, aut illam aboleat expresse, vel tacite. Qua in re illud notandum est, per legem universalem latam pro tota Ecclesia, vel Regno, non revocari consuetudines peculiares Dioecesum, vel Provinciarum, aut Civitatum, nisi clausula addatur, *non obstante* etc. vel in speciali, vel saltem in generali, adeout cum fundamento praesumatur, Superiorem velle illam abolere. Ita enim expresse declaratur in Cap. de Constitut. in 6. *Singularium consuetudinum.*

XIII. Regula decima. *Consuetudo vim habet interpretandi legem.*

Hoc est alterum officium, quod consuetudini tribuit S. Th. in laud. art. et cum eo ceteri Theologi, ut nempe possit legem scriptam interpretari. Quod officium ita convenit ipsi, ut in jure dicatur esse *optima legum interpres.* Ut officium hoc et regula posita magis declaretur; illud animadvertendum est, dupliciter consuetudinem conferre posse ad legem interpretandam, nempe primum ut est signum aliquod, aut testimonium, talem fuissse Legislatoris mentem, et hoc, non alio sensu receptam esse, et habere vim obligandi. Sic autem inspecta consuetudo certam reddere nequit, neque infallibilem interpretationem, quia tantum conjectura quaedam humana est; sed tamen, quum valde probabilis sit, ad interpretationem doctrinalem plurimum confert, eoque probabilior erit, quo fuerit diuturnior, et altiores in populo radices fixerit. Deinde potest alio modo legem interpretari tamquam caussa concurrens ad introducendam, atque firmandam hujusmodi interpretationem; legisque in hoc, vel illo sensu obligationem: quod declaratur aperte in l. *nam Imperator* ff. de leg. ubi dicitur: *In ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum similiter judicatarum authoritatem, vim legis obtinere debere.* Sicut ergo supra diximus, *authenticam* esse illam *interpretationem*, quae fit a Superiore potestatem ferendae legis habente; ita quoque de consuetudine dicendum est, si ad gradum illum perveniat, ut vim legis acquirat.

XIV. Regula undecima. *Consuetudo legitima abrogare potest legem humanam.*

Hoc est postremum consuetudini officium a S. Th. et a Theologis assignatum. Id autem constat in primis ex l. *De quibus*, ff. de leg. ubi in fine dicitur: *Rectissime receptum est, ut leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Et ratio id quoque confirmat; quia ad hunc effectum non deest potestas in Communitate, et voluntas per ipsam consuetudinem sufficienter ostenditur; adeoque quum legitima consuetudo est, hunc etiam effectum inducet.

Consectaria.

I. *Relate ad consuetudinem, eodem modo sentiendum de actibus, et actuum omissione.*

Quidquid asseritur de actibus in ordine vel ad invehendam consuetudinem, vel ad producendos effectus, qui ex illa consequuntur, asserendum quoque est, proportione servata, de omissionibus actuum, si concurrant conditiones omnes, quae pro actuum frequentia recensitae sunt: eadem quippe ratio est de actibus, atque actuum omissionibus.

II. *Induci nequit consuetudo actibus cum ignorantia, et errore elicitis.*

Quum legalis consuetudo introduci nequeat absque deliberato consensu populi, inferendum est, actibus cum ignorantia et errore factis eam induci minime posse; quoniam involuntarii sunt. Hoc autem intelligi debet de ignorantia et errore quoad illa, quae spectant substantiam consuetudinis: haec enim ignorantia est, quae deliberatam

consensum impedit. Si vero sit circa alia motiva accidentalia, nihil obstabit, quia haec consensum non tollit. Ex hoc etiam deduci debet, consuetudinem non induci per actus elicitos ex vi, aut gravi et injurioso metu: quoniam vis et metus liberum impedit voluntatis assensum ad invehendam consuetudinem necessarium.

III. *Sententia quorundam improbanda.*

Probanda non est sententia eorum, qui docent, legem non transgredi, adeoque neque peccare, nondum completo praescriptionis tempore, ut abrogata existimari jure valeat; unde putant ipsi, initio quidem consuetudinis peccare eos, qui legem vigentem non observant, *in progressu tamen*, etiam praescriptione non adhuc inducta, a peccato transgressores excusant. Probanda, inquam, non est, sed rejicienda, quum nondum facta praescriptione, lex semper obtineat, ac praevaleat, adeoque violarį non possit citra peccatum.

IV. *Aliquando consuetudo legem destruit.*

Contingere interdum potest, ut lex civilis, sive Ecclesiastica abrogetur per consuetudinem contrariam in una Civitate, vel Provincia, et non in alia, licet subjiciatur eidem Principi: et similiter in una Dioecesi, et non in aliena, quamvis eidem contigua. Satis namque est, ut hic, et non illic lex non servetur, Superioribus minime repugnantibus, toto tempore ad praescriptionem necessario. Hinc in quibusdam Dioecesibus consuetudo legem etiam communem abrogavit jejunandi in vigilia aliquorum Apostolorum, et servandi eorum festa.

V. *Plures sunt laudabiles consuetudines sola devotione invectae, quae non pariunt obligationem.*

Quum nulla consuetudo vim legis obtineat et obligationem inducat, nisi adsit in Communitate voluntas et intentio sese obligandi sub culpa, hinc fit, plures esse consuetudines, quae licet communissimae sint, et a vetustis temporibus vigentes, nullam tamen inducunt in conscientia obligationem, sed ex mera devotione frequentantur; prout sunt ex. c. aspersio cinerum in die 1. quadragesimae, salutatio angelica facta manę et sero, signum Crucis cum aqua benedicta in ingressu Ecclesiae, acceptio sacrorum Ramorum in die Palmarum, Hae, aliaeque similes consuetudines sola devotione invectae sunt absque intentione praeceptum, aut legem imponendi; adeoque nullam pariunt conscientiae obligationem, et si scandalum absit, citra culpam etiam levem praetermitti queunt, tametsi fovendae sint et commendandae. Si autem res dubia sit, num pia aliqua consuetudo inducta fuerit cum voluntate obligandi, vel ex mera devotione, tutiorem partem sequi tenemur, eamque observare; quidquid oppositum doceat P. Lacroixius cum suis probabilistis.

ETHICAE CHRISTIANAE

SIVE

THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS SECUNDUS

DE ALTERA REGULA MORALIUM ACTIONUM.

NEMPE RATIONE HUMANA.

Quum duae sint regulae moralium actionum, lex *scilicet*, *et* ratio, *quarum altera prima ac remota, altera secundaria est ac proxima; expeditis iis, quae* ad legem *pertinere visa sunt, superest, ut ad aliam explicandam statim accedamus. Hunc porro Tractatum in duas Dissertationes tribuo. In quarum prima de ipsa sermo erit* humana ratione, *quae proprie* Regulae *characterem habet: in altera de eidem subjecta* conscientia, *quam plures cum* ratione *confundunt.*

DISSERTATIO I.

De Humana Ratione; deque iis, quae ad ipsius rectitudinem necessaria sunt.

CAPUT I.

De ratione, quatenus regula est humanarum actionum.

I. *Definitio rationis, ut regula est humanorum actuum.*

Ratio, prout de ea modo loquimur, *est facultas cognoscitiva intellectus, ut practicus est, quae proxime dirigit humanas actiones ad finem honestum, sive ad honestatem.* Declaratur: duplex veluti facultas in intellectu distinguitur: altera, quae sistit in cognitione veritatis, et haec vocatur a S. Th. 1. p. q. 79. a. 11. *intellectus speculativus*; altera, quae veritatem cognitam ordinat ad opus; et haec *intellectus practicus* appellatur. Hujusce intellectus *ratio*, de qua loquimur, facultas est. *Intellectus practicus*, inquit ibidem S. D. ad 2. *veritatem cognoscit, sicut speculativus, sed veritatem cognitam ordinat ad opus.* Haec facultas regula quidem est, at secundaria, ac dependens, adeoque regulam aliam praesupponit, cui subjecta est, et a qua suam omnem rectitudinem haurit, *legem*, scilicet *aeternam Dei.* Quare si huic primae et indefectibili regulae conformis non sit humana ratio, *regula*, nequaquam est, sed potius *defectio a regula*, adeoque nec unquam recta erit actio, quae ab ipsa dirigitur, et mensuratur.

II. *Humana ratio regula est, quatenus primam regulam recte applicat.*

Ratio itaque humana, quatenus regula est, applicat actioni regulam primam. Si primam regulam recte applicat, *regula* est, et actio ho-

nesta. Si regulam primam revera non applicat, *regula* ipsa non est, nec actio honesta, sed peccaminosa, quia quod a regula prima deflectit, semper peccatum est, et imputabilem quidem ad culpam, nisi error sit invincibilis. Id decet S. Th. 1. 2. q. 21. a. 1. Hinc sequitur, quod humana ratio spectari dupliciter potest, nempe *secundum se*, et quatenus participat legem aeternam, sive quatenus lumi malique notiones habet, atque ideas sibi a Deo impressas. Non autem primo, sed altero modo considerata regula est, atque mensura honestatis actuum humanorum; sive ut ait S. Th. q. 2. de malo a. 4. prout *informata principiis legis divinae, ac naturalis*. Quod ex ipsa deducitur conditione regulae, quae debet esse firma, constans, et invariabilis: ratio autem humana secundum se constans et firma non est, solaque incommutibili aeterna Dei lege firmatur.

III. *In supradictis ideis naturaliter inditis, proprie consistit Synderesis.*

In his principiis nobis naturaliter inditis proprie consistit habitus ille, qui vocatur *synderesis*; ac definiri solet *habitus naturalis practicus, quo prima rerum agendarum principia cognoscimus*. Hujus notionem exhibet S. Th. 1. p. q. 79. a. 12. ex cujus doctrina habemus, habitum hunc esse primorum principiorum *operabilium*, sive *practicorum*, quae nobis a Deo in ipsa conditione nostra impressa fuere, ut nosmetipsos dirigeremus in bona humanae rationi convenientia, quemadmodum ipse naturae conditor Deus nobis prima impressit principia speculativa, ut ex his ad cognoscendas veritates speculativas per investigationem rationis progrederemur: et officium synderesis proprium esse *instigare ad bonum, et murmurare de malo* hoc sensu, quod nobis *bonum* ostendit, quod persequi, et amare debemus, et *malum*, quod odisse, et vitare tenemur. Ita siquidem ad bonum instigat, et a malo avocat.

IV. *Ut prima principia recte applicentur, prudentia necessaria est.*

Quum haec principia practica, quorum habitus est *synderesis*, sint universalia, et necesse sit, ut ex his ratio procedat ad peculiares conclusiones eruendas, eadem principia recte applicando; ad rectam hanc applicationem perficiendam *prudentia* necessaria est, quae idcirco definitur *recta ratio agibilium*. Docet S. Th. 2. 2. q. 47. pertinere ad prudentiam applicare prima principia operabilium ad opus, *quod est finis practicae rationis. Quum autem nullus possit convenienter alteri aliquid applicare, nisi utrumque cognoscat, scilicet et illud, quod applicandum est, et id, cui applicandum est: operationes autem sint in singularibus; necesse est, quod prudens et cognoscat universalia principia rationis, et cognoscat singularia, circa quae sunt operationes.*

V. *Prudentiae munus.*

Igitur ut probe intelligatur prudentiae munus, illud ob oculos habendum est, ipsam neque prima principia humanae rationi, neque fines moralium virtutum praestituere, sed ea recte applicare ad actiones singulares, mediumque praefigere officiis virtutum moralium, quarum fines in ipsa ratione praeexistunt. » Temperantia enim, ait » S. D. art. 7. hoc intendit, ne propter concupiscentias homo divertat a ratione et similiter fortitudo, ne a recto judicio rationis » divertat propter timorem, vel audaciam. Et hic finis praestitutus

» est homini secundum naturalem rationem: naturalis enim ratio dictat unicuique, ut secundum rationem operetur. Sed qualiter, et » per quae homo in operando attingat medium rationis, pertinet ad » dispositionem prudentiae ». Haec indicare saltem oportuit; quia licet nimium speculativa et abstracta quibusdam videri queant, ad solidam tamen moralium rerum notitiam plane necessaria sunt.

CONSECTARIA.

I. *Synderesis nunquam in homine extinguitur.*

Quaemadmodum principia communia practica nullo modo deleri possunt a cordibus hominum in universali, sunt enim naturaliter indita humanae rationi: ita neque *synderesis*, quae habitus est ipsorum principiorum, extingui, aut obliterari potest, sed firma et immobilis perseverat in homine; licet quandoque, circumobstrepente undique rerum terrenarum ac passionum tumultu, vocem ejus minime percipiat. In quo etiam praeter alia ab ipsa *conscientia* differt, quae nonnunquam in quibusdam aboletur prorsus et extinguitur.

II. *Prudentia requirit hominem bene dispositum circa fines aliarum virtutum.*

Ut prudentia suo fungatur officio, recteque applicet principia universalia ad particulares conclusiones, oportet, quod homo sit bene dispositus circa fines aliarum virtutum: quod quidem est per appetitum rectum. Et ideo ad prudentiam requiritur moralis virtus, per quam rectus fit appetitus hominis. Hinc qui rationem habent passione, vel prava consuetudine, sive etiam falsis praejudiciis affectam, non bene applicant principia communia, et in multos errores practicos saepissime labuntur.

III. *Imprudentia semper peccatum est, aliquando mortale, aliquando veniale.*

Imprudentia semper peccatum est, aliquando quidem mortale, aliquando vero solum veniale. *Non enim*, inquit S. Th. q. 53. a. 1., *potest hoc contingere, quod homo contra prudentiam agat, nisi divertens a regulis, quibus ratio prudentiae rectificatur. Unde si hoc contingat per aversionem a regulis divinis, est peccatum mortale, puta quum quis quasi contemnens, et repudians divina documenta, praecipitanter agit. Si vero praeter eas agat absque contemptu, et absque detrimento eorum, quae sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale.*

IV. *Prudentia* carnis, *quid sit.*

Prudentiam carnis prout eam vocat Apostolus Rom. 8. verae prudentiae contrariam esse, ex dictis patet. *Prudentia carnis proprie dicitur*, docet S. Th. a. 1. q. 51., secundum quod aliquis bona carnis habet *ut ultimum finem suae vitae*; et hoc sensu peccatum est, et quidem mortale. Atque hujusmodi sunt, de quibus ait Apostolus, *quorum Deus venter est*, quia scilicet tanta cura ac solicitudine quae carnis ac corporis sunt, exquirunt, ut ad ea tamquam ad finem caetera referant. » Si vero, subjicit S. Th. art. 2. prudentia carnis accipiatur secundum rationem particularis prudentiae, sic prudentia » carnis est peccatum veniale. Contingit enim quandoque, quod ali- » quis inordinate afficitur ad aliquid delectabile carnis (puta ad

» cibum) absque hoc, quod avertatur a Deo per peccatum mortale:
» unde non constituit finem totius vitae in delectatione carnis. Et
» sic adhibere studium ad hanc delectationem consequendam est
» peccatum veniale, quod pertinet ad prudentiam carnis ».

Ad prudentiam carnis, quae *mors est*, et *inimica Deo*, merito refert eximius vir P. Thyrsus Gonzalez Dissert. 3. Fund. Theol. Mor. praxim illorum, qui in conflictu opinionis probabilioris ac tutae eligendam putant opinionem probabilem. Quid enim, ut fuse ille persequitur, vera prudentia est juxta Aristotelem? Non aliud, nisi *habitus agendi vera cum ratione circa ea, quae sunt homini bona atque mala.* At quaenam prudentia *vera cum ratione* homini tutiorem sententiam verosimiliorem esse cognoscenti suggerere potest, oppositam minus tutam, minus etiam verisimilem tutiori, ac verosimiliori praeferre? Non alia profecto, nisi *prudentia carnis*, quae temporalia bona pluris facit, quam curam, et observantiam divinae legis.

CAPUT II.

De ignorantia, et errore vincibili, et invincibili.

I. *Definitio ignorantiae.*

Ignorantia, prout ea modo sumitur, communiter definiri solet *privatio cognitionis debitae:* quae definitio, si recte intelligatur, optima est, et ignorantiae naturam apte exponit. In primis *privatio* dicitur, qua voce a nescientia distinguitur: aliud namque est *nescire*, aliud *ignorare* presse sumptum. *Nescientia* enim meram importat cognitionis carentiam, aut negationem: ignorantia autem est privatio *cognitionis*, non rerum quarumcunque, sed earum tantum, quas *scire possumus, ac tenemur.* Ab errore etiam ignorantia presse dicta distinguitur. Nam *error*, ut docet S. Th. de malo q. 3. art. 7. *est approbare falsa; unde addit actum quemdam super ignorantiam. Potest enim esse ignorantia sine hoc, quod aliquis de ignotis sententiam ferat: et tunc est ignorans, et non errans. Sed quando jam falsam sententiam fert de his, quae nescit, tunc proprie dicitur errans.* At nos in praesenti tum de ignorantia, tum de errore loquimur, qui appellari solet a Theologis *ignorantia pravae dispositionis*, quum prima *purae privationis* dicatur.

II. *Ignorantiae divisio, ac primum de ignorantia antecedente, concomitante, et consequente.*

Quoad divisiones ignorantiae spectat, celebris in primis est, quae a S. Thoma traditur 1. 2. q. 6 a. 8. in *antecedentem, concomitantem, et consequentem*, quas ita luculenter exponit: » Ignorantia tripliciter
» se habet ad actum voluntatis. Uno modo *concomitanter*; alio modo
» *consequenter:* tertio modo *antecedenter. Concomitanter* quidem,
» quando ignorantia est de eo, quod agitur; tamen etiamsi sciretur,
» nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum,
» ut hoc fiat, sed accidit, simul esse aliquid factum, et ignoratum, sicut
» quum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit
» eum, putans occidere cervum. Et talis ignorantia non facit invo-
» luntarium, quia non caussat aliquid, quod sit repugnans voluntati;
» sed facit non voluntarium: quia non potest esse actu volitum,
» quod ignoratum est. *Consequenter* autem se habet ignorantia ad

» voluntatem, in quantum ipsa ignorantia est *voluntaria*. Et hoc contingit dupliciter. Uno modo, quia actus voluntatis fertur in ignorantiam: sicut quum aliquis ignorare vult . . . . . Et haec dicitur *ignorantia affectata*. Alio modo dicitur ignorantia *voluntaria* ejus, quod quis *potest scire et debet*: sive quum aliquis actu non considerat, quod considerare potest, et debet, quae est *ignorantia mala electionis* vel ex passione vel ex habitu proveniens: sive quum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere. Et secundum hunc modum ignorantia universalium juris, quae quis scire tenetur, *voluntaria* dicitur, quasi per negligentiam proveniens. Quum autem ipsa ignorantia sit *voluntaria* aliquo istorum modorum, *non potest caussare simpliciter involuntarium*. Caussat tamen secundum quid involuntarium, in quantum praecedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset, scientia praesente. *Antecedenter* autem se habet ad voluntarium ignorantia, quando non est voluntaria, et tamen est caussa volendi, quod alias non vellet: sicut quum aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus, quam non tenebatur scire, et ex hoc aliquid agit, quod non faceret, si sciret: puta quum aliquis diligentia adhibita nesciens aliquem transire per viam projicit sagittam, quae interficit transeuntem. Et talis ignorantia caussat involuntarium simpliciter ».

III. *De ignorantia affectata, crassa, et supina.*

In S. Thomae doctrina alia ignorantiae divisio continetur, nempe in *affectatam* et *crassam*, sive *supinam*, easque ad *consequentem* revocat, quae ab ipso satis dilucide explicatae sunt. Illud solum advertendum censeo, *crassam*, et *supinam* ignorantiam dici debere relative ad res ipsas, quae ignorari queunt, saepe namque occurrit, ut *crassa*, vel *supina* dicenda sit, licet studium aliquod, vel diligentia ad eam effugiendam adhibita fuerit: non tamen ea, quae requiritur pro rei qualitate, aut negotii magnitudine. Igitur si ea non adhibeatur, quam rei gravitas exposcit, licet aliqua non praetermittatur, ignorantia veritatis *crassa*, aut *supina* censenda erit, prout consentiunt graviores quique Theologi

IV. *Quid sit ignorantia juris, et facti.*

Alia ignorantiae divisio ex rebus, que ignorantur, deprompta est in ignorantiam *juris*, et *facti*, cui aliqui etiam addunt *poenae*, scilicet qua non cognoscitur poena a lege lata· sed haec ad priorem ignorantiam, nempe *juris*, reducitur. Haec ignorantia juris tum est, quum lex, aut praeceptum ignoratur; v. g. de fornicatione non committenda, aut diebus festis observandis. Ignorantia *facti* legis cognitionem admittit, sed factum ignorat, puta suam non esse mulierem, cum qua rem habet, aut hunc diem esse festivum.

V. *De ignorantia vincibili et invincibili.*

Celebrior, et frequentior est ignorantiae divisio in *vincibilem*, et *invincibilem*. Haec, ut ex ipso nomine liquet, est illa, quae studio, ac diligentia vinci et superari absolute non potest. *Vincibilis* e contra, quae studio ac diligentia vinci potest. Haec, si de rebus sit ad legem, aut conscientiam pertinentibus, dicitur etiam *culpabilis*, si diligentia debita ad eam depellendam omittitur. Altera vero *inculpabilis* est; quia nullus ad id, quod praestare nequit, obstringitur. Hinc hujusmodi

ignorantia eadem cum illa est, quae a S. Thoma dicitur *antecedens*: alia vero *consequens*, et *voluntaria* ab ipso appellatur. Porro admittendam esse ignorantiam aliquam, quae vel peccatum sit, vel saltem caussa peccati, nemo Theologorum negat; immo fide certam esse non dubito, quum adversa doctrina fuerit unus ex erroribus, quos in Pelagio, et Pelagianis damnarunt Ecclesiae Patres. His constitutis, ad dirimendam de vincibili et invincibili ignorantia quoad ea objecta, de quibus fieri quaestio potest ac solet, controversiam accedo; ac primo quidem quod spectat jus positivum.

VI. *Lex positiva divina ignorari invincibiliter potest.*

Quoad legem divinam positivam attinet, compertum facile est, et apud Theologos exploratum, invincibiliter, et inculpate eam ignorari posse. Quoniam quum haec a libera Dei voluntate pendeat, nisi voce aut scripto homini nota fiat, illam cognoscere minime potest: *Quomodo* enim, inquiebat Apostolus ad Rom. 10. *credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* Quum igitur invincibilis omnino haec ignorantia esse queat, a peccato excusandi sunt, qui ea laborant. Hinc S. Th. 2. 2. q. 10. a. 1. admittit infidelitatem mere *negativam*, seu peccati expertem in iis, qui nihil audierunt de fide, in iisque non habere docet *rationem peccati, sed magis poenae*: adeoque *damnandos* equidem *esse propter alia peccata, quae sine fide remitti non possunt, non autem propter infidelitatis peccatum.*

VII *Jus humanum ignorari invincibiliter potest.*

Quod si juris divini positivi haberi potest invincibilis ignorantia, multo magis juris humani, sive Ecclesiastici, sive civilis, cujus praecepta nonnisi eos obstringere valent, quibus facta promulgatio est, aut alio modo ad ipsorum notitiam pervenere, idemque dicas de ignorantia *facti*, quam S. Th. vocat *ignorantiam alicujus circumstantiae*, quae *juris* cognitionem supponit, ut quum aliquis, adhibita debita diligentia, putans se occidere feram, et hominem casu occidit in nemore latentem: neque enim homo cognoscere potest facta omnia singularia et contingentia. Unde excusantur a culpa ebrietas Noe, qui vini efficaciam minime noverat, et concubitus Jacobi cum Lia, quam innoxiae putabat esse Rachelem uxorem suam, aliaque similia.

Haud facile tamen in his ignorantia invincibilis et inculpata admittenda est, ut admittere solent nonnulli Casuistae: nam fere semper, aut frequenter saltem horum ignorantia ex aliqua culpa, quae ipsius caussa est, proficiscitur, ac praesertim ex negligentia sciendi ea, quae quisque scire tenetur, et ad statum, aut officium suum pertinent. Nam quod spectat mysteria, aut praecepta Religionis Christianae, quis eam admittat in Christianis in sinu Ecclesiae Catholicae degentibus, ubi tot media suppetunt ad depellendam ignorantiam? Profecto si quae in aliquibus ignorantia deprehenditur, id negligentiae suae deputandum est. Idem servata proportione asserendum de legibus humanis tum Ecclesiasticis, tum Civilibus, quorum invincibiles ignorantiae adeo frequentes non sunt, ut plures arbitrantur. Nam vel omnibus communes sunt, ut quae dicuntur *praecepta Ecclesiae* Christianis omnibus proposita, et nonnullae leges civiles, vel ad statum et officium peculiare quorundam generum personarum attinent; et has addiscere quisque tenetur, easque callere sub peccato. Quapro-

pter si quis eos ignoret, id ex negligentia culpabili plerumque oritur. Denique nec ignorantiam *facti* facile judicandam esse *invincibilem* et culpa carentem ex eo patet, quod et ipsa pariter ex negligentia frequenter proveniat, sive omissione illius diligentiae, quam adhibere oportet, quaeque en potior esse debet, quo graviora sunt facta. Quare qui in plateam e. g. sagittam jaculantur, aut e recto lapidem projiciunt, haud facile excusantur a culpa sive homicidii, sive percussionis: quia non eam saepius diligentiam adhibent; quae adhibenda foret. Regula generalis certa praescribi nequit ob varias, multasque circumstantias. Illud solum probabiliter dici potest, ignorantiam eorum, quae raro contingunt, esse communiter *invincibilem*; eorum autem, quae frequenter eveniunt, quaeque ad nos, quatenus aut homines, aut Christiani, aut in aliquo statu et officio constituti sumus referuntur, plerumque ignorantiam esse *vincibilem*, et *culpa infectam*. Sed de potissima, eaque difficillima quaestione, quae *jus naturale* spectat, tandem statuamus, quod nobis certius videtur, salvo tamen meliore judicio.

VIII. *Nulla admittenda est ignorantia invincibilis juris naturae.*

Itaque dico, *absolute et generatim loquendo nullam admitti debere ignorantiam vere invincibilem et inculpatam juris naturae, sive praeceptorum ejusdem.* Ut hanc assertionem antequam probem declarem, ea ita intelligenda est, ut nulla dari queat juris naturae, quae vere *invincibilis* sit, ignorantia, nedum quoad principia illa universalissima, quae in omnium animis impressit naturae humanae conditor Deus, de quibus nullum est inter Theologos dissidium; verum etiam legum omnium, et praeceptorum, quae ex illis inferuntur, et continentur in praeceptis Decalogi, licet omnia non exprimantur, quemadmodum et casuum omnium, qui in ipsis comprehenduntur, cognoscique ab homine haud difficulter queunt, adhibitis mediis illis, quae ad cognoscendam veritatem in rebus moralibus necessaria sunt. De his omnibus posita assertio accipienda est. Neque enim in praescoti disputare volumus de casibus quibusdam admodum implexis, et obscuris, in quibus vel peritiores ipsi vereque sapientes haud consentiunt inter sese, de quibus postea nonnulla dicemus, quae verosimiliora videbuntur.

Ratio cui posita assertio nititur, insinuatur in pluribus auctoritatibus SS. Patrum, quae videri possunt in Opere magno, et S. Thom. qui eam saepe tradit; sed praecipue 1. 2. q. 94. a. 6. ubi sic ait: » Ad legem naturalem pertinent primo quidem quaedam principia » communissima, quae sunt omnibus nota: secundario autem quae» dam secundaria praecepta magis propria, quae sunt quasi conclu» siones propinquae principiis. Quantum ergo ad illa principia com» munia lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri » in universali. Deletur tamen in particulari operabili, secundum » quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare » operabile, *propter concupiscentiam*, vel *aliquam aliam passionem.* » Quantum vero ad alia praecepta secundaria potest lex naturalis » deleri de cordibus hominum vel propter *malas persuasiones*, vel » etiam *propter pravas consuetudines*, et *habitus corruptos*: sicut apud » quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra » naturam, ut etiam Apost. dicit Rom. 1. ».

Ex hac doctrina, fundamentalis ratio colligitur positionis nostrae. Distinguit S. D. praecepta universalia juris naturalis a praeceptis particularibus, quae ex iis derivantur, quibus praecepta omnia ad jus naturae pertinentia comprehendit: neque enim in S. Th. doctrina invenire est tertiam aliam distinctionem horum praeceptorum. De primis docet, ea deleri non posse de cordibus hominum *in universali*. Consentit tamen ea deleri in *particulari operabili*, sive in particularibus operationibus: sed quomodo? *secundum quod*, inquit, *ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile*, scilicet *propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem*. Quoad praecepta vero secundaria concedit, ea *posse deleri de cordibus hominum*, adeo ut non amplius credant homines peccata esse, quae reapse peccata sunt, in quo ignorantia proprie consistit. Sed ex quo capite? *Propter malas persuasiones*, ait S. Th. vel etiam *propter pravas consuetudines*, *et habitus corruptos*, quae sane principia culpa non vacant. Quum igitur ex generali et solidissima S. Th. doctrina, *ignorantia, quae caussatur ex culpa non possit sequentem culpam excusare*, perspicuum est, ea, quae ex tali ignorantia fiunt jure naturae contraria, a peccato excusari neutiquam posse. Sive igitur error contingat in applicatione *principiorum communium* ad particulares actiones; sive ex ignorantia procedat praeceptorum, quae ex ipsis derivantur, quum semper caussa culpabilis sit, nullo modo inculpata dicenda est ignorantia inde subsecuta, neque sunt a peccata immunia, quae fiunt contra praecepta naturalia. Alia bujus rei argumenta vide in Op. magn.

Quamvis vero quae hactenus dicta sunt, verissima judicem, nullamque admittendam putem invincibilem ignorantiam *de legibus*, aut praeceptis juris naturalis absolute et generatim consideratis; nihilo secius non ii sumus, qui inficiari velimus, quosdam esse casus obscuros, et implexos, de quibus praesertim dissensio est inter sapientes, verasque morum regulas consectantes Theologos, qui invincibiliter, et absque culpa ignorari aliquando valeant. Verum tota difficultas est in hac re explicanda, quae assertioni superius constitutae, primo aspectu videtur opposita. Modum, qui mihi admodum probabilis est, expono.

Duo frequentius implicantur in casibus non paucis difficilioribus et abstrusis, obscurisque circumstantiis involutis, de quorum saepe malitia disputatur penes accuratos, doctosque Theologos, scilicet *jus*, et *factum*; unde quaestiones, quae de his fieri solent, *mixtae* dicuntur ex *jure* et *facto* ob eas, quae saepissime ex eodem facto emergunt, difficultates. Exempla nonnulla proponit Christophorus a S. Joseph in tract. de regulis morum p. 2. q. 5. art. 11. ex quibus duo adferemus. Primum est in mutuo. Si dubium sit, an ex mutuo absolute possit accipi aliquid extra sortem, solum dubium est juris: et sic nequit dari in ejusmodi acceptione *ignorantia invincibilis*; quia nullus adest titulus exigendi aliquid ultra sortem; nec valent plus centum, quae dantur, quam centum, quae accipiuntur. Ceterum alia dubia occurrunt circa mutuum, an sit contractus usurarius, vel non, e. g. an ratione trium contractuum possit exigi aliquid supra sortem, aliis Authoribus negantibus, aliis affirmantibus; sed taliter, ut qui affir-

mant, negent esse usuram, atque asserant dari titulum accipiendi. Alterum est in temperantia. Nemo namque ignorat, ex praecepto juris naturae rescindendas esse superfluitates, et excessus, sive etiam defectus in pôtu, cibo, et in aliis sensuum oblectamentis; sed in factis cognoscendis, an exorbitent aut mensura, aut defectu, hoc opus, hic labor est. » Et quia circa facta (concludit ille) potest » dari ignorantia invincibilis (ut omnes assentiuntur) ideo in prae- » dictis quaestionibus facilius admitti potest eadem ignorantia, non » autem in pertinentibus ad ipsum jus naturale ».

IX. *Dum suspicio, vel dubium adest, ignorantia culpabilis est.*

Quaecunque ignorantia sive juris naturalis, sive positivi, sive facti vincibilis est, et culpabilis, dum adest suspicio, vel dubium de actionis, vel omissionis pravitate. Haec propositio evidens ex dictis prorsus est, quoniam fatentibus Probabilistis saltem aequioribus, ea sola *ignorantia invincibilis dici potest, quoties qui agit* nullum habet *principium* vincendi errorem suum. Porro qui suspicatur, multoque magis qui dubius haeret de honestate suae actionis, aut omissionis sive ad jus naturale, sive ad positivum humanum et divinum, sive etiam ad factum, quod peccato subesse possit, pertinentis, jam principium habet vincendi suum errorem. Nam potest diligenter inquirere veritatem, affectiones animi sui perscrutari, consulere viros doctos, sapientesque, Deique lumen implorare, quae media sunt inveniendae veritatis, quae nisi praetermittat, ex ordinario Divinae providentiae ordine illam inveniet. Si haec quis non perficiat, dum in suspicione, vel in dubio prudenti est de actionis vel omissionis honestate, jam officio ac debito suo deficit, adeoque suus error, aut ignorantia invincibilis non est, nec a peccato excusat etiam lethali, si gravis sit materia peccati, juxta illud S. Th. principium: *Ignorantia, quae caussatur ex culpa, non potest subsequentem culpam excusare.*

Quod si post adhibita media ad veritatem indagandam supersit adhuc suspicio prudens, aut dubitatio de pravitate actionis, tunc recta ratio praescribit, amplectendam esse tutiorem partem, in qua peccandi periculum non est. *Quid enim in tantum discrimen ambiguitatis caput mittimus?* inquit Augustinus, et cum eo ceteri quique Ecclesiae Patres: immo ante hos notarunt sapientiores Gentilium, quorum nomine celebrem illam Tullius sententiam edixit: *Recte praecipiunt, qui fieri vetant, quod dubites, aequum sit, vel iniquum: aequitas enim lucet ipsa per se: dubitatio autem cogitationem significat injuriae.*

Consectaria.

I. *Ignorantia earum quae ad salutem pertinent, vix admitti potest inter Christianos. Juris quoque humani praecepta quaedam, vix absque culpa ignorantur.*

Ignorantia invincibilis juris positivi, maximeque eorum praeceptorum, quae necessario credenda sunt, vel publicae in Ecclesia praedicantur, communiter admittenda non est inter Christianos: ex culpa enim semper, aut plerumque saltem oritur hujusmodi ignorantia, quod scilicet ex negligentia ea non didicerint. Eadem ratione haud

facile admitti debet ignorantia invincibilis de praeceptis juris positivi humani sive Ecclesiastici, sive Civilis, maximeque in iis, quae pertinent ad statum vel officium cujuscunque peculiare, quae scire omnes tenentur, ut rite ac recte munere suo quisque fungatur, propriaeque obligationi satisfaciat. Nam ex incuria et negligentia talis ignorantia proficiscitur, aut etiam ex praesumptione, qua aliquis officium assumit, cujus omnibus obligationibus cognoscendis par non est ob intelligentiae defectum. In factis autem, ne ignorantia vincibilis sit, ea cura et diligentia adhibenda est, quae adhibetur a viris prudentibus in rebus suis juxta negotii qualitatem. Hinc qui lapides e tecto projicit, nisi antea admoneat transeuntes aut clamet, a culpa non excusatur, si aliquem eorum occidat, aut percutiat. Similiter non excusatur, qui vini ad inebriandum vim expertus, nihilominus illud liberius bibit: atque ita in ceteris aliis, quae in dies occurrere solent.

II, *Laxitas quorundam casuistarum, quoad ignorantiam juris naturae.*

Ex dictis de ignorantia juris naturae constat, redarguendam prorsus esse libertatem nimiam quorundam Casuistarum in dilatanda ignorantia invincibili et inculpata relate ad praecepta juris naturalis: v. gr. quum P. Viva cum Vasquez, Amico et aliis extendit illam ad latrocinia, ad simplicem fornicationem, ad mendacium officiosum, ad usuram, ad vindictam injuriarum, ad adulterium in aliquo saltem casu; et quum Author Dissert. adversus Petrum Ballerinum c. 1. sect. 1. eam extendit ad plures uxores habendas, ad uxorem legitimam repudiandam, *ad tyrannum propria authoritate occidendum*, ad accedendum ad scortum, ad vescendum humanis carnibus, ad sororem in uxorem ducendam, et ad alia hujusmodi mala, licet ex principiis per se notis deducantur.

III. *Plurium Confessariorum praxis improbanda.*

Colligi ex his debet, dignam lacrymis esse plurium Casuistarum deceptionem et praxim, qui dum inaudiunt, poenitentes testari, se nunquam vel levem notitiam habuisse alicujus criminis, aut de pravitate patrati operis, de qua si vel dubitassent, nunquam illud commisissent, statim eos innocentes judicant, utpote ignorantia penitus invincibili laborantes, quantumvis nefarium peccatum commissum fuerit, v. g. mollities, sacrilegium, aut aliud quidpiam simile: nec advertunt eorum, quam praetendunt, ignorantiam ex aliqua culpa proficisci. Non enim ex eo, quod testentur ipsi, et quidem sincere, nullam se habuisse de perpetrato crimine notitiam, inde colligendum statim est, carere culpa ipsorum ignorantiam, quum testari minime certo possint, se ea media adhibuisse, quae necessaria erant.

IV. *Ignorantia inculpata non est in iis, qui cognoscendae veritati impedimentum apponunt; nec illis qui praejudiciis et passionibus abduci sinunt.*

Ignorantia invincibilis et inculpata non est in iis, qui cognoscendae veritati voluntaria apponunt impedimenta sive ex parte intellectus, sive voluntatis. Intellectus quidem, quum in rebus praesertim obscuris studere negligunt, aut sapienter consulere, vel inconsiderate, aut nimium de se praesumentes opiniones eligunt. Ex parte vero voluntatis, dum ex nimio et inordinato sui amore non quae vera sunt amplectuntur, sed quae commodiora et quae genio suo magis

indulgent. Nec in illis est inculpata ignorantia, qui studio moralis Theologiae operam navant cum falsis iis praejudiciis, quorum modo meminimus, vel eos libros legere, et consulere abnuunt, a quibus lucem purae veritatis haurirent, praetextu frivolae illius et calumniosae excusationis, quod *Rigoristae* sint, nimiumque arctent viam caeli, quam spatiosam ipsi contendunt, ac praedicant. Horum namque ignorantia saepe etiam est affectata, quum lucem ii refugiant, ne se aliter gerere compellantur in officio suo, ac ipsi vellent.

CAPUT III.

De ignorantia actuali, sive inconsideratione, aut inadvertentia.

I. *Quid sit inconsideratio, et inadvertentia.*

Quamquam multa de ignorantia dicta sint, gravior tamen adhuc in hac re tractanda quaestio superest, quae jam discussae subjecta est, eique implicatur, de *ignorantia*, scilicet *actuali*, sive de *inconsideratione*, *quae* est privatio debitae inspectionis, et *inadvertentia*, quae privatio est actualis attentionis; et sub eodem nomine *ignorantiae actualis* comprehenduntur: alia namque, de qua hactenus verba fecimus, *habitualis* potius est, tametsi simpliciter *ignorantia* dicatur, sive *privatio cognitionis*. In hoc itaque praesens controversia consistit, num ad peccandum *formaliter*, ut inquiunt, sive incurrendam culpam coram Deo, requiratur *cognitio actualis*, sive *actualis advertentia* ad ipsum peccatum, quod prohibetur, aut omissionem actus, qui praecipitur. Quae quidem quaestio iisdem, quae posuimus de ignorantia, principiis dirimenda est. Itaque rem hanc exordiemur ab exponenda tum vera sententia circa advertentiam, quae ad peccandum sufficit, tum alia, quam reprobamus.

II. *Sententia S. Thomae de advertentia quae ad peccatum sufficit.*

Peccatum omne debere esse voluntarium, ut coram Deo imputetur, concors est Theologorum doctrina, nemine dissentiente. Duo quoque ad voluntarium requiri assentiuntur omnes, *cognitionem* scilicet, sive *advertentiam intellectus*, et *consensum voluntatis*. De hoc postea, nunc in priore duntaxat. Duplex porro *inadvertentia* distinguitur a S. Th., et quidem utraque voluntaria, et mala, quae idcirco juxta solemne illud ejusdem principium, *non potest subsequentem culpam excusare*. Altera *directa*, de qua nullus dubitat, esse peccatum, quum nempe quis non advertere vult: altera *indirecta*, quae pariter culpabilis est in caussa sua, passione scilicet, habitu pravo, aut alia simili, quae malitiam in ipsam refundit. Addunt alii inadvertentiam *interpretative* voluntariam, quae in hoc consistit, ut positive quidem *volita* non sit, sed tamen juxta prudentum aestimationem *volita* censeatur, meritoque imputatur voluntati, eo quod non fecerit, vel omiserit, quod poterat, et tenebatur facere, vel omittere; unde haec quoque culpabilis est.

III. *Amplior advertentiae expositio facta a P. Antoine.*

Haec est certissima S. Th. doctrina de advertentia, quae sufficit ad culpam contrahendam in pravis actibus, aut omissionibus, quam secuti sunt omnes antiqui, et sequuntur modo graviores Theologi, eamque uberius explicare praestat P. Gabrielis Antoine verbis, qui *in tract. de peccat.* c. 2. q. 4. primum statuit, ac probat, *posse pec-*

catum mortale esse sine advertentia actuali malitiae. Deinde, *ad mortale etiam secundum se imputabile, sufficere advertentiam virtualem, et interpretativam malitiae. aut periculi illius in eo consistentem, quod quis possit, ac debeat advertere malitiam, vel ejus periculum, nec tamen advertat.* » Potest autem advertere, subdit post pauca, quando » ex aliqua cognitione praesenti ejusdem vel alterius objecti, aut circumstantiae, prudenter ac circumspective agendo, deveniret in cognitionem malitiae, quam novit abitu, sed actu non advertit. Tunc enim » habet sufficiens principium discurrendi et considerandi, an actus » sit licitus, vel illicitus ». Pergit deinde: In iis, quae intrinsece » mala sunt, et contra legem naturalem, ad *virtualem advertentiam* » malitiae moralis habitualiter notae sufficit, ut consideretur ipsa » actio secundum se, seu ut quis recte advertat, quid agat. Nam » hoc ipso facillime excitari potest actualis cognitio malitiae, utpote » habentis cum illa intrinsecam connexionem, si considerate, et sine » praecipitatione agatur, ut notat Suarez. In his vero, quae non » sunt per se mala, sed vetita solo jure positivo, quamvis non sem- » per sufficiat consideratio ipsarum actionum secundum se, quum » non habeant intrinsecam connexionem cum malitia seu praecepto » eas vetante; tamen si quis non laboret ulla ignorantia facti, sola » objecti propositio simul cum cognitione habituali praecepti regu- » lariter sufficit ad excitandam cognitionem malitiae, si qua par est » consideratione, et mora in agendo procedatur .... Quod si mali- » tia non sit habitualiter nota, tunc actus est culpabilis, si igno- » rantia sit vincibilis, quia haec non excusat a peccato ». Haec ille optime, Fateor tamen cum eodem, plenam advertentiam ad peccatum mortale eo sensu necessariam esse, ut homo sit perfecte vigilans, suique compos; itemque ut homo eo sensu aut *advertat*, aut *possit advertere* non solum id, quod agit, sed etiam malitiam actionis.

IV. *Recentiorum hac de re sententia.*

Doctrina, quam exposui de consideratione et advertentia, quae ad peccandum sufficit, incorrupta permansit in Ecclesia Dei usque ad tempora invecti systematis probabilistici, quod, sicut alias morales Christianae sententias, ita et hanc gravissimi momenti corrupit. *Multi Probabilistae*, scibit P. Gonzalez in fund., *ad peccandum contra legem advertentiam requirunt actualem ad malitiam, vel ad periculum malitiae, ac proinde existimant neminem posse peccare agendo contra legem, quin cognoscat se peccare.* Qui tempore Gonzalez *multi* solum erant, nunc innumeri plane sunt. Sic Gabriel Vasquez, Sanchez, Filliucius, Laymanus, Escobar, de Rhodes, Lacroixius cum aliis innumeris, quibus adhesit recentissimus Auctor P. Matthaeus Stoxius. Horum omnium testimonia lege in Op. magno.

V. *Firmissimis scripturarum, Patrum, aliorumque documentis eadem sententia convellitur.*

Firmissimis porro argumentis falsitas relatae casuistarum sententiae evincitur, nostraeque simul doctrinae veritas confirmatur. Nemo in primis negaverit, absurdissimum esse excusare a peccato Apostolorum persecutores, qui certe praevia cognitione, aut advertentia malitiae non illustrabantur, quin potius eos persequendo obsequium Deo se praestare putabant, ut ait ipse Christus discipulos alloquens · *Venit*

ora, ut omnis, qui interficit vos: arbitretur obsequium se praestare Deo: et hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Idem colligitur ex Oratione a Christo facta pro suis crucifixoribus: *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Cui concinit Apostolus: *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Non itaque cognoverunt, quid facerent; et tamen gravissime peccasse, reosque Deicidii fuisse, quis dubitet? Idque ex oratione pro ipsis a Christo facta satis aperte comprobatur.

2. Ex Patribus quoque idem evincitur. Brevitatis caussa solum indicabo plures Patrum textus, qui veram de ignorautia actuali, sive inadvertentia Ecclesiae doctrinam tradidere. S. Hieronymus in primis duobus integris libris, pluribus in medium productis SS. Scripturarum Oraculis doctrinam hanc contra Critoboli Pelagiani oppositum errorem propugnat. S. August. pluribus in locis, et praesertim in Confess. suis et *in lib. de Spir. et lit.* c. 36. contrariam sententiam insectatur. Suffragantur S. Jo. Chrys. hom. 6. in Cap. 11. Matt. S. Basilius in Reg. brevior. Reg. 58. S. Gregor. Magn. lib. 5. Moral. c. 16. et ut ceteros omittam S. Bernardus Abbas Epist. 77. ad Ugonem de S. Victore.

3. Adeo evidens est a nobis constituta veritas, ut oppositam sententiam notare pluribus debere censuris crediderint celebres Universitates, et Episcoporum Conventus. Clerus enim Gallicanus anno 1700. hanc damnavit propositionem: *Si peccatores consummatae malitiae, quum blasphemant, et flagitiis se immergunt, non habent conscientiae stimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare:* quae propositio pronunciata est *falsa, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpens, blasphemias, aliaque peccata excusans.* Similem damnationem ejusdem sententiae tulit Facultas Lovaniensis: similem et quidem bis Facultas Theologica Parisiensis.

4. Idem ostenditur ex absurdis gravissimis et immanibus, quae ex adversariorum doctrina proficiscuntur, eaque ab homine christiano nequaquam ferenda. Et maximum quidem absurdorum omnium est peccatum, quod *philosophicum* vocant, a tota jam Ecclesia damnatum, quod necessario consequitur ex allata doctrina. Sed quia de hoc *in Tract. de peccatis* dicturi sumus, ideo illud nunc in medio relinquo, aliudque persequor, ceteris omissis, quod sane gravissimum est, quod nempe omnes, qui aliquid, quod peccatum est, quodcunque sit, etiam inter horribiliora, sibi licere existimant, illudque sine ulla formidine peragunt, nullam culpam contrahant coram Deo. Si enim illud sibi licitum putant, carentque omni peccandi formidine, jam non advertunt, neque ullam habent de peccato cogitationem. Quapropter ab omni culpa immunes erunt tum infideles, tum haeretici plurimi, qui tantum abest, ut se veram Dei religionem contemnere, ac persequi arbitrentur, ut potius gratum se Deo sacrificium offerre judicent, dum sacras imagines conculcant, Ecclesias diruunt, fideles immanibus suppliciis afficiunt, ut a cultu veri Dei avocent, et ad impias et sacrilegas superstitiones traducant. Numquid Nero, Caligola, Diocletianus, aliaeque humani generis pestes quidpiam se mali perpetrare actualiter considerabant, dum tam crudeliter in Christianos

saeviebant? Numquid Circumcelliones delinquere se cognoscebant, dum pro Religione erroneo conscientiae judicio decepti se praecipites e rupibus agebant? Quid plura? si absque actuali cogitatione de actionis *malitia* nullum scelus committitur, aut incurritur, jam unusquisque sectae suae, quam profitetur, constanter haerens ab omni culpa liber est, et sempiternam salutem consequetur.

VI. *Objectiones praecipuae diluuntur.*

Opponunt adversarii 1. authoritatem Augustini, qui lib. 3. *de lib. arb.* cap. 19. ait: *Peccatum, quod proprie vocatur, libera voluntate ab sciente committitur.* 2. Illud S. Th. quod l. 3. art. 8. *Quum aliquis nescit, fornicationem esse, peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum.* 3. Axioma illud, *nihil volitum, quin precognitum:* ergo etc.

Oppido mirum est, Adversarios frivola haec, aliaque similia ad inteutum suum inepta proferre in conspectu tot aliorum, quae doctrinam eorundem apertae falsitatis convincunt. Quoad textum Augustini spectat, adeo in hac re mens ejus perspicua est, ut quibusdam potius excessisse visus sit. Textus autem allatus nihil aliud evincit, nisi quod Catholici omnes docent, scilicet peccatum, ut proprie peccatum sit, et imputetur ad culpam, fieri debere libera voluntate ab homine *sciente*, seu scientia et cognitione praedito: neque enim qui cognitione carent, ut amentes, aut nullam rei cognitionem habent, proprie peccant, dum aliquid contra legem committunt. Sed an cognitio illa debeat esse *actualis*, an sufficiat *virtualis*, et *indirecta*, ibi non definit S. D., prout aliis in locis apertissime definivit juxta ea, quae dicta sunt.

Sed nec quidquam elicere valent ex verbis D. Thomae: eo namque loco solummodo vult S. D., quod ille, qui voluntarie fornicatur, ne sciens in eo se peccare, peccatum quidem non committat voluntario formali et directo, sed virtuali duntaxat, et indirecto, sive interpretativo: neque enim ipsum *a formali* peccato excusat; quum ibidem a. 10. expresse dicat, *ignorantiam juris non excusare a peccato.* Et 3. p. q. 80. a. 4. ad 5. loquens de ipsa fornicatione doceat, culpabilem esse, qui peccati sui conscientiam non habet: *Quia per ignorantiam juris, quae non excusat, reputat non esse peccatum, quod est peccatum, puta si aliquis fornicatur reputaret, simplicem fornicationem non esse peccatum mortale.* Quamvis igitur, qui fornicatur nesciens, fornicationem esse peccatum, *directe*, non cognoscat peccatum, quod committit, cognoscit tamen *indirecte*, quatenus *propter laborem*, ut ait ipse S. Th. *vel propter passionem, aut alias occupationes* ignorat id, quod scire potest ac deberet esse peccatum. Ad 3. autem breviter respondemus, verum quidem esse illud, *nil volitum*, *quin praecognitum*; sed praecognitum potest esse *directe*, vel *indirecte*, ut loquitur S. Th.; sive, ut alii, *virtualiter et interpretative.*

Consectaria.

I. *In hominibus timoratae conscientiae facile quandoque irrepunt inadvertentiae culpabiles ob praecipitationem in agendo.*

Inadvertentiae culpabiles facile irrepunt etiam in hominibus ceteroquin timoratae conscientiae. dum minus circumspecte, minusque

considerate in suis vel operibus perficiendis, vel officiis obeundis, vel in consiliis praebendis se gerunt, sed temere, et praecipitanter agunt. Nam praecipitatio in agendis vitium semper est, quod non potest subsequentes inadvertentias, et culpas excusare. In hoc autem vitium hoc consistit, ut docet S. Th. 2. 2. q. 53. a. 3., *quod quis feratur ad agendum per impetum voluntatis vel passionis, pertransitis gradibus*, quibus ratio procedere debet in operibus suis; qui gradus, ut ipse observat, *sunt memoria praeteritorum, intelligentia praesentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas, per quam aliquis acquiescit sententiis majorum.* Eae itaque inadvertentiae, quae ex his *pertransitis gradibus* procedunt, culpa non carent, adeoque nec culpas excusare queunt, quae subsequi consueverunt. Hinc vero colligas, quod licet in sanctis viris accurate perpendentibus opera sua, ne error irrepat excusatio a peccato saltem gravi admitti interdum queat, si ob oblivionem, vel inadvertentiam in quispiam criminosum erumpant; haec tamen admittenda non est in illis, qui nullam habent sui cordis custodiam, qui concupiscentiis fovendis vacant, qui corruptos habitus corrigere, et abscindere minime student, qui eas caussas removere non satagunt, unde plures et continuae inadvertentiae et inconsiderationes contra legem Dei, ac proprias obligationes veluti facto agmine proficiscuntur: sunt enim culpabiles in caussa sua.

II. *Quum homo deliberare non potest, vel non peccat, vel nonnisi venialiter.*

Quum inadvertentia in objectum actionis vel nulla est, vel adeo tenuis, ut homo non possit de ipsa malitia actionis deliberare, ut contingit in semidormientibus, aut non perfecte vigilantibus, si quidpiam agat, quod de se graviter repugnet divinae legi, excusatur saltem a gravi peccato *propter actus imperfectionem*, ut ait S. Th. Hi siquidem in eo statu sunt, ut non solum non advertant, sed *neque advertere valeant* malitiam actuum suorum. Quoties vero aliquis timoratae conscientiae dubitat *de imperfectione* sui actus in advertendo objectum de se pravum, sive num vigilans, aut semidormiens fuerit, sive sui compos, an impos quidpiam fecerit, praesumi valde probabiliter potest de advertentia imperfecta, sive de non plena deliberatione: quoniam haec ordinarie loquendo hominem recte comparatum de suis actibus certiorem facit, et perfecte vigilans satis novit, se vigilare, et sui plene compos minime dubitat, nisi sorte mora temporis intercesserit, quae oblivionem induxerit.

III. *Ebriorum peccata.*

Quod ebrios attinet, si quis vel casu, vel ex vini potentiae ignorata sine culpa, in ebrietatem incidat, sicut omnes consentiunt de ebrietate Noe; nec ebrietas ipsa, nec mali qui consequuntur, effectus imputantur ad culpam: quoniam nec in se, nec in caussa, sive nec *directe*, nec *indirecte* voluntarii sunt. Ceterum, si de iis loquamur, in quibus ignorantia culpabilis est, et effectus pravi ex ea sequuturi vel previsi fuere, vel praevideri poterant, v. g. blasphemiae, jurgia, rixae, bonorum dilapidatio cum querelis conjugum, et filiorum damno etc., quae consequi frequentius solent, et ex aliis ebrietatibus conjicere et praevidere facile poterant, hi rei sunt tum ebrietate omnium

criminum, quae in aebrietate perpetraut, licet ea, tunc nec advertant, nec advertere queant. Videatur S. Th. 1. 2. q. 22. art. 5., ubi hanc doctrinam expresse tradit. Ex quo habes, unde laxitatis, et falsitatis convincas opinionem Casuistarum, qui juxta sua fallacia principia excusant, et excusare adstringuntur peccata in ebrietate voluntaria commissa, utpote quae fiunt sine advertentia actuali.

IV. *Inexcusabiles sunt qui peccant ex ingenti affectu ad peccatum, et ex consuetudine.*

Inexcusabiles censendi sunt ii omnes, » in quibus (ut loquar cum » Emin. D. Card. Bona *in princ. Vitae Christi* p. 1. §. 38.) affectus » ingens ad peccatum, consuetudoque rationis debile lumen obscurat, » ipsamque conscientiam suffocat, et sopit, ne ullo peccati sensu » tangantur ». Neque tamen ideo immunes sunt a peccato, quia peccare assueti peccati sensum amiserunt: manifestum quippe est, quod in hanc caecitatem, atque insensibilitatem sua culpa devenerunt. Hinc colligas adversus Casuistas, ac praesertim Tamburinum, blasphemias, maledictiones, juramenta, aliaque id genus crimina ad culpam imputari in divino judicio iis, qui in ea prolabuntur ex consuetudine, aut culpabili iracundia, ad quorum emendationem serio non adlaborant, quamvis interim minime advertant ad horum malitiam.

DISSERTATIO II.

De Conscientia.

Humanae rationi, quae proprie loquendo secundariae morum Regulae vim, et characterem obtinet juxta perpetuam S. Th. Doctrinam, subjecta Conscientia *est, quam quidem Theologi frequentius cum ipsa Ratione confundunt propter affinitatem utriusque maximam; sed confundenda non est, quum reapse ab ea distinguatur: quemadmodum eam ubique distinguit S. Th. de hac igitur agendum modo nobis est, non multis tamen: quoniam pleraque, quae dicta sunt hactenus, huc revocantur, potioresque, quae institui possunt, quaestiones, et difficultates eliquatae jam sunt. Dicemus autem primo de notione ac divisione conscientiae, tum de conscientia* recta, *et* erronea, *deinde de* certa, *atque* probabili, *ac demum de* scrupulosa.

CAPUT I.

De notione conscientiae, ejusque divisione, necnon de conscientia recta, *et* erronea.

I. *Definitio conscientiae ejusque explicatio ex D. Thoma.*

Conscientia nihil aliud est, quam *applicatio scientiae ad aliquem specialem actum.* Haec est definitio conscientiae iisdem omnino verbis tradita a S. Th. in Disp. q. 17. de Verit. art. 2. quam etiam aperte tradiderat a. 1., ubi illam exponit, ac declarat, ostenditque non esse nec habitum quemdam, nec potentiam, sed actum, quum non sit nisi *applicatio alicujus notitiae.* Pergit autem S. Th. explicare hunc applicationis actum, simulque conscientiae officia declarare. » Appli- » catur autem, inquit, aliqua notitia ad aliquem actum dupliciter:

» uno modo secundum quod consideratur, an actus sit, vel fiet: » alio modo secundum quod consideratur, an actus sit rectus, vel » non. Et secundum quidem primum modum applicationis dicimur » habere conscientiam alicujus actus, in quantum scimus illum actum » esse factum, vel non factum .... Et secundum hunc modum lo- » quendi intelligitur, quod habetur Gen. 43. *Non est in conscientiis* » *nostris, quis pecuniam posuerit in saccis nostris* » Et secundum hoc dicitur conscientia testificari aliquid. Rom. 9. *Testimonium mihi perhibente conscientia mea.*

» Secundum vero sequitur. D. Th., alium modo applicationis, qua » notitia applicatur ad actum, ut sciatur, an actus sit rectus, vel » non, duplex est via: unum, secundum quod per habitum scientiae » dirigimur in aliquid faciendum, vel non faciendum. Alio modo se- » cundum quod actus, postquam factus est, examinatus ad habitum » scientiae, an sit rectus, an non rectus .... Secundum autem » utrumque applicationis modum nomine *conscientiae* utimur: secun- » dum enim quod applicatur scientia ad actum, ut dirigens ipsum, » secundum hoc dicitur conscientia *instigare*, vel *inducere*, vel *ligare*. » Secundum quod vero applicatur scientia ad actum per modum » examinationis eorum, quae acta sunt, sic dicitur conscientia *accu-* » *sare*, vel *remordere*, quando id, quod factum est, invenitur discor- » dare a scientia, ad quam examinatur: *defendere* autem vel *excu-* » *sare*, quando invenitur, id, quod factum est, processisse secundum » formam scientiae ».

Distinguitur autem applicatio isthaec scientiae a ceteris mentis actibus, quia haec applicatio scientiae fit ad aliquem specialem, sive particularem actum. Unde ab aliis definitio conscientiae ita concipitur, nimirum, *dictamen rationis nostrae ex principiis generalibus synderesis concludens, quid hic et nunc, spectatis omnibus circumstantiis, agendum sit ut bonum, vel omittendum ut malum.* Quod hoc practico syllogismo explicari potest. *Obediendum est Superioribus legitimis, ac legitime praecipientibus: sed hoc est Superior legitimus, ac legitime praecipit: ergo huic in hoc, aut illo praecepto, quod imponit, obediendum est.* Prima propositio pertinet ad habitum primorum principiorum, sive sinderesim: altera prudentiam spectat: tertia, scilicet conclusio, ad conscientiam refertur, quatenus applicat scientiam principiorum, et prudentiam ad hunc peculiarem actum scilicet obedientiae erga legitimum suum superiorem.

II. *Divisio conscientiae multiplex assignatur.*

Multiplex assignari solet *Conscientiae* divisio juxta rationes diversas, sub quibus inspicitur. Primo eam dividunt in *praecipientem*, quae aliquid praescribit faciendum, aut omittendum sub praecepto, in *consulentem*, quae ostendit, nullum esse de hac, aut illa re praeceptum, sed merum consilium, quod exequi non tenemur: et in *permittentem*, quae dictat duntaxat aliquid permissum esse, et nec praecipi, nec prohiberi: 2. Ex parte objecti dividitur in *rectam*, sive bonam, et veram: et *malam*, quae etiam *falsa* et *erronea* dicitur. Conscientia *recta*, sive vera ea vocatur, quae reapse concordat cum suprema regula morum, lege scilicet aeterna Dei, sive quae licitum, vel illicitum esse dictat, quod tale revera est. Non desunt, qui di-

stinguunt *veram* conscientiam a *recta*; sed mihi distinguenda non videtur, aut sane nullius plane momenti distinctio est. Conscientia *erronea* nuncupatur, quae a lege dissentit, dictatque licitum, vel illicitum, quod vere tale non est. Haec vero potest esse *invincibilis*, seu ex errore, qui deponi non potuit: et *vincibilis*, sive ex errore, qui potuit, ac debuit expelli. 3. Ratione assensus intellectus conscientia dividitur in *certam*, et *incertam*, *dubiam*, *probabilem*, *scrupulosam*, et *laxam*. Ea *certa* appellatur, qua quis absque ulla formidine judicat, sibi aliquid agendum esse, vel non agendum: quae formidinis privatio potest esse concepta vel prudenter, vel imprudenter. *Incerta* est, cujus assensus nititur motivis hic et nunc fallibilibus; quae si talia sint, ut excludant prudentem formidinem, conscientia dicitur *probabilis*, secus *improbabilis*, aut *dubia*, ac *perplexa*, et *suspensa*, quum vel nulla sunt pro utraque parte, vel aequalia utrinque judicandi fundamenta. Quod si tantum haesitet ex levibus conjecturis ducta, vocatur *scrupulosa*. *Lata* vero, vel *laxa*, quum mens exiguis nixa rationibus licitum sibi putat esse, quod illicitum, ac malum deprehendi facile potest, aut, quum grave peccatum sit, pro levi habet, flocciqua pendit.

III. *Quid sit conscientia recta, et erronea.*

Jam ut de conscientia *recta* et *erronea* dicamus conscientia *recta*, cui proprie nomen, et notio conscientiae conveniunt, ea dicitur a S. Th. in 3. dist. 33. q. 1. a. 1. et 1. 2. q. 57. a. 5. ad 3. quae *conformis est appetitui recto* Ut autem rectus sit appetitus, necesse est, quod conformetur suae regulae. Quum autem duplex sit regula humanorum actuum, *lex* scilicet *aeterna Dei*, et *ratio humana*, cui conscientia subjicitur, et a qua dependet, utrique debet appetitus humanus esse conformis, ut rectus sit in actibus suis. Hinc vero duplex rectitudo distingui potest: altera, ut est in se ipsa, consistens in ordine, ac vera conformitate conscientiae nostrae cum lege aeterna: altera in respectu ad rationem nostram eam legem nobis repraesentantem. Et quidem ordo ad legem aeternam, prout in re est, percipi a nobis nequit in hac vita mortali; nobis tamen patescit vel per rationem principiis universalibus morum informatam, vel per aliquam revelationem superadditam in libris sacris, aut divina traditione manifestata; ut docet idem S. Th. ad 3.

IV. *Conscientia recta* praecipiens, *obligat sub peccato; non vero* consulens, *vel* permittens.

Conscientia recta, ut jam dictum est, vel est *praecipiens*, vel *consulens*, vel *permittens*. Si sit *praecipiens*, semper obligat sub peccato, sive jubeat aliquid, sive aliquid vetet. *Consulens* vero, sive ea, quae bonum quidem, sed per modum consilii duntaxat proponit, ex se non obligat; sicuti neque *permittens*, nisi ex aliqua adjuncta circumstantia id, quod consulitur, vel permittitur, praecepti objectum evadat. Hinc semper peccat, qui conscientiam praecipientem non sequitur: quaecunque enim conscientia sit, sive recta, sive erronea, sive quaevis alia obligat sub peccato, ut mox dicemus: non tamen duplex peccatum committit, qui contra conscientiam agit, alterum ratione conscientiae, quam non audit, alterum ratione praecepti, quod transgreditur; sed unum tantum, ut communis, et vera sententia docet.

Quoniam conscientia non est lex proprie dicta ab ipsa lege vel naturali, vel positiva distincta, sed ejusdem manifestatio, et intimatio. Unde qui ex. gr. adversus conscientiam suam furatur, vel mentitur, nonnisi unicum peccatum furti, aut mendacii committit, tametsi haec non sola naturali lege probibeantur, sed etiam divina positiva et humana.

V. *Quomodo ex D. Thoma error in conscientia contingat.*

Quid conscientia *erronea* sit, jam diximus, quae scilicet non concordat cum lege, denunciatque licitum, quod est illicitum, aut e contra. Quo pacto autem error in conscientia contingat, egregie admodum explicatur a S. Th. q. 17. *de verit.* a. 3., ex quo habemus, nunquam errorem conscientiae contingere posse in propositione *majore* universali syllogismi *practici*, secundum quem in operando conscientia regitur: tum vero illum contingere vel propter errorem propositionis particularis essumptae, vel propter indebitum ratiocinandi modum. Hinc pluribus modis conscientia erronea est: vel enim aliquis verum principium perperam applicat, et ex eo male ratiocinatur, et illegitimam infert, ac falsam couclusionem; atque ita ratiocinantur plerique divitiarum amore incensi: *Licitum cuique est procurare bonum: sed divitiarum possessio quovis modo acquisita bona est: ergo quocunque modo procurandae divitiae sunt:* et haec conscientia *erronea* est. Similiter *erronea* conscientia est, quoties id, quod bonum est, judicat malum, aut quod malum est, judicat bonum. Sic qui judicat vitiosum esse, quod omni culpa vacat, laborat conscientia erronea, quae vocatur *infirma*. Sic etiam errans conscientia est, quae judicat malum bonum, et bonum malum absque ullo sensu, seu remorsu, et *cauteriata* dicitur. Errat quoque conscientia, dum gravia peccata parvipendit, et levia nihil ducit: et haec *erronea* simul, et *laxa* appellatur. Vel dum falso judicat, levia quaedam gravissima esse peccata, et peccata saepe gravissima nulla penitus aestimat: cujusmodi erat conscientia Pharisaeorum culicem excolentium, camelum autem glutientium. Demum errat conscientia, quae judicium format ex inani, aut futili ratione, vanaque formidine conceptum, et falso existimat, vel in rebus ceteroquin sanctis et innoxiis subesse peccatum: et ita quis eo judicio impeditur, ut nihil moliri, nihil cogitare, nihil prae metu peccati perficere audeat: quae conscientia tum *erronea* est, tum *scrupulosa* etiam nuncupatur. His praemissis, quasdam regulas statuo de utraque conscientia recta, et erronea apprime necessarias.

VI. Regula prima. *Conscientia sive recta sive erronea, semper obligat sub peccato.*

Haec regula efficaciter probatur ex illo Apostoli textu ad Rom 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est,* quem licet explicari posse de Fide Theologica docent S. D. *in Commentario;* textui tamen magis consona videtur, ut ipse notat, explicatio ejusdem *de fide*, sive *conscientia:* atque ita illum interpretantur Ecclesiae Patres communiter. Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Theophilactus, et alii. Probatur etiam ratione S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. quia voluntas non fertur in objectum suum, nisi secundum quod a ratione proponitur. *Si ergo proponatur ut malum a ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali. Unde voluntas erit mala; quia vult malum, non quidem illud, quod est malum per se, sed id, quod est malum per accidens propter apprehensionem rationis.*

VII. Regula secunda. *Conscientia sive recta, sive erronea magis obligat, quam Superioris humani praeceptum.*

De hac regula videtur esse inter Authores opinionum discrepantia propter praecipuas, et saepe nimias, quas obedientiae tribuunt, praerogativas. Ego non alio eam pacto explicandam, ac defendendam censeo, quam doctrina a S. Th. tradita q. 17. *de Verit.* a. 5. ubi quaestionem data opera pertractat. Et primum quidem hoc modo probat: » Vinculum spirituale fortius est, quam corporale; et intrin» secum, quam extrinsecum: sed conscientia est vinculum spirituale » intrinsecum; Praelatus autem vinculum corporale, et extrinsecum, » ut videtur: quia per temporalem dispensationem omnis praelatio » agitur. Ergo videtur, quod magis sit obediendum conscientiae, » quam Praelato ».

Pergit vero amplius declarare mentem suam in corp. art. ubi apposite observat, *diversimode* rem se habere in conscientia *recta*, et *erronea*. Nam si conscientia subditi *recta* sit, haec semper magis obligat *simpliciter* et *perfecte*, quam praeceptum Praelati: quia haec obligatio tolli nunquam potest, nec sine peccato conscientia ipsa deponi. Si autem conscientia *erronea* sit, et ipsa quidem semper obligat: sed non obligat in omni eventu, sed solum quamdiu manet; quia homo hujusmodi conscientia laborans potest, quin etiam tenetur, eam deponere. Demum habemus, quod si contingat, hanc conscientiam non deponi ad Praelati imperium, sed permaneat, eo in casu peccet homo, sive non faciat, quia contra conscientiam agit; sive faciat, quia non obedit Praelato, cui tenetur obedire: semper tamen, conscientia perdurante, magis peccat, si non faciat, quod conscientia dictat, quum ea magis obliget, quam Praelati praeceptum. Legatur S. Th. loc. cit.

VIII. Regula tertia. *Si conscientia sit vincibiliter erronea, eam deponere oportet, et oppositum ejus, quod ipsa dictabat operari.*

Jam supra docuimus, quid sit ignorantia *vincibilis*, et *invincibilis*. Si igitur error, quo conscientia laborat, discuti, ac superari possit, ea deponi debet: neque enim hujusmodi error excusat a peccato; et si eum minime deponat, peccatum semper incurrit, quia id non implet, quod implere tenetur. Hinc si quis ex errore conscientiae se putet obligatum v. gr. ad mendacium proferendum, ad furtum, aut fornicationem committendam, hunc errorem deponere debet, quum possit deponere, alias infallibiliter peccabit.

IX. Regula quarta. *Si conscientia sit invincibiliter erronea, a peccato excusatur, qui agit secundum illam; imo secundum illam agere tenetur.*

Excusatur, inquam, a peccato, quando error circa ea versatur, in quibus conscientia invincibiliter erronea dari potest, ut circa *facta*, aut circa leges positivas, quemadmodum de ignorantia dictum est: quoniam in his error ipse invincibilis juxta omnes culpa vacat. Sic excusatur mulier, quae debitum conjugale viro reddit, quem invincibili errore conjugem suum esse existimat: sic non peccat, qui carnes comedit die vetito, dum invincibiliter credit alium diem esse, in quo carnes ipsi comedere liceat. Recolantur ea, quae supra de ignorantia dicta sunt.

X. Regula quinta. *Reus est peccati lethalis, cujus conscientia erronea dictat esse lethale, quod leve et veniale est.*

Obvia hujusce regulae ratio est, quoniam qui sic in judicando errat, ita animo affectus est, ut lethala peccatum committere velit, sive committere non refugiat. Voluntas porro peccandi peccatum est, prout ex apprehensione intellectus ipsi proponitur; unde si tamquam lethale ipsi proponatur, quod ceteroqui veniale est, lethale peccatum amplectitur.

XI. Regula sexta. *Operans contra conscientiam dictantem in genere esse malum, lethaliter peccat.*

Quum enim tunc homo cognoscat malum esse, quod vult operari, ad operandum imprudenter procedit, si quidpiam eligat absque debito examine de malitiae quantitate, seque culpabiliter exponat proximo periculo faciendi id, quod grave malum est. Haec sententia absolute vera censenda est, quidquid sentiat Navarrus cum aliis, qui solum venialiter peccari existimant. Ceterum in praxi distinctione utendum putarem. Si enim qui malum generatim apprehendit, quin de malitiae quantitate determinet, sit vir timoratae conscientiae, qui *tamquam a facie colubri* fugit omne lethale peccatum, nec gravis materia sit, circa quam operatur, tunc prudenti conjecturae locus est malitiam in eo opere non apprehendisse, nisi levem, ac venialem. Secus vero judicandum arbitror de aliis, qui nullam curam adhibeant pro evitando peccato, sive leve illud sit, sive grave.

XII. Regula septima. *Erronea conscientia ex mero arbitrio deponi nequit.*

Deponenda quidem est erronea conscientia non ex mero arbitrio, sicuti nec ex mero arbitrio formanda; sed prudenti ratione, aut authoritate gravi; adeout homo vel hac persuasus, vel illa convictus contrarium judicet ejus, quod antea judicaverat, aut certe sibi persuadeat, rationes, sive fundamenta, quibus in tale judicium inductus est, levia esse, atque futilia, quae prudentem hominem movere non valeant, adeoque a priori illo judicio recedat. Idonea porro media ad erroneam conscientiam deponendam sunt humilis, et frequens oratio animae ad Deum cum Propheta clamantis: *Deus meus illumina tenebras meas; da mihi intellectum, ut discam mandata tua doce me facere voluntatem tuam etc.* Deinde accurata negotii, de quo agitur, discussio: attenta lectio bonorum librorum de re, quae in quaestionem venit: consilii a viris doctis, piis, atque prudentibus petitio, et docilitas, ac submissio ad horum sectanda consilia.

XIII. Regula octava. *Agere contra conscientiam erroneam peccatum est ejus speciei, et gravitatis, cujus esset si conscientia non erraret.*

Sumitur hujus regulae ratio ex eo, quod voluntas fertur in objectum, prout sibi ab intellectu proponitur sub ea specifica ratione, et gravitate, sub qua ab eodem propositum est. Quare juxta D. Th. et Theologos agere contra conscientiam peccatum speciale non est; nisi contra conscientiam agens directe intenderet eidem resistere; quia tunc speciale *inobedientiae* peccatum foret, specialiterque in confessione explicandum: quod tamen raro admodum contingit. Hinc si aliquis existimet, peccatum esse spuere, vel pulverem tabaccarium sumere in Ecclesia, contra Religionem peccat; sic etiam qui rem

habet cum muliere existimans Deo esse dicatam, dum revera non est, sacrilegium committit ejusdem speciei, et gravitatis, ac si rem habuisset cum Virgine Deo sacra. Sed tamen hic distinguere opus est conscientiam erroneam vincibilem ab invincibili. Si enim conscientia *erronea vincibilis* dictet, veniale peccatum esse, quod est mortale, culpa mortalis erit, quia haec ignorantia non excusat: si autem sit *invincibilis*, tunc contra conscientiam agere, sola culpa venialis erit; quia tunc ignorantia non majorem malitiam contrahit, quam quae ab eadem proponitur.

XIV. Regula nona. *Laborans perplexa conscientia eam deponere tenetur, si vincibilis est. Si invincibilis, non peccat quamcumque partem eligat.*

Conscientiae *vincibiliter* erroneae sit exemplum in illo, qui videns aliquem proxime ab hoste occidendum, putat, se peccare tum si aggressorem interficiat, tum si non interficiat: neque enim nonnisi *vincibiliter* perplexus est inter utramque partem contradictionis. Conscientiae autem *invincibiliter* perplexae exemplum esto in muliere assistente sive filio, sive marito graviter aegrotanti, ejusque ope indigenti, quae se peccare credit, sive Sacrum die festo omittat, sive aegrotantem deserat, ut Sacrum audiat. Igitur si conscientia peccandi in eo casu, qua quis laborat, *vincibilis* sit, eam deponere tenetur. Quod si non deponat, peccat, sive eam sequatur, sive eam non sequatur; adeoque in eo statu est, ut ex culpa sua peccandi necessitatem non evitet: quod plane inconveniens dici nequit. Ea siquidem non est necessitas absoluta, sed solum *ex suppositione*.

Secus vero dicendum est, si erronea conscientia sit *invincibilis*. Nullum quippe peccatum absque libera voluntate committitur: ignorantia autem invincibilis tollit libertatem: igitur positione facta quod ignorantia vinci nequeat, non peccabit aliquis, quamcumque partem contradictionis eligat. In his autem casibus conscientiae perplexae, si quando contingant, ea servanda regula est, quae in Conc. Tolet. praescribitur, et a Gratiano refertur Can. *Nervi* dist. 13. his verbis: *Duo mala, licet sint cautissime praecavenda, tamen si periculi necessitas, vel conscientiae perplexitas; ex his unum perpetrare coegerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare.* Quod et alio Canone admonet dicens: *Illum potius evadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse credimus.*

Consectaria.

I. *Conscientia erronea non excusat deffectus in officio, imprudenter suscepto, commissos.*

Conscientia erronea non excusat defectus eorum, qui officium aliquod etiam non quaesitum suscipiunt, quod eorum vires, aut capacitatem excedit, sive illud saeculare sit, sive Ecclesiasticum. Eorum quippe, quos committunt, errores saltem in caussa voluntarii sunt. Debuerant enim coram Deo attente considerare, et expendere, quid valerent humeri, quid ferre recusarent; aut saltem viri prudentis, ac omni passione vacui consilium quaerere, et audire, antequam officium illud assumerent.

II. *Poenas transgressioni praecepti annexas non incurrit, qui ex Conscientia erronea vincibili peccat. Damnum tamen, si contingat, resarciendum est.*

Quamquam ille; qui agit contra conscientiam erroneam, non minus peccatum incurrat, quam qui operatur contra conscientiam rectam; non incurrit tamen easdem poenas humanas, ac censuras, si quae forte operi adnexae sint. Ratio est; quia hujusmodi poenae non imponuntur, nisi transgressoribus verae legis, non autem existimatae, sive putatitiae. Quamobrem excommunicatione non innodatur, qui actum peragit, quem falso putat esse prohibitum sub ea censura: puta, si laicum percutiat, quem falso existimat esse Clericum. Neque enim ea poena imponitur, nisi clericum revera percutienti.

Non eodem tamen modo loqui debemus de damno illato proximo ex conscientia erronea vincibili, si forte ex actione cum ea conscientia posita consequatur. Neque enim error hujusmodi efficit, ut non fuerit libere posita caussa damni, neque ut damnum vere secutum non sit, adeoque obligationem non aufert illud resarciendi necessario adnexam injuriae damnosae. Unde si quis obligatum se putet ad furandum, ut succurrat proximo in gravi quidem, sed non extrema necessitate constituto, tenetur resarcire damnum, quod intulit.

III. *Conscientia perplexa, quae deponi nequit, quandoque ad aliquid obligare potest.*

Dum conscientia perplexa est inter unam, et alteram contradictionis partem, nec patet eam deponendi via, eligendam diximus partem illam, in qua minus malum apprehenditur. Quod si aliquis majus malum, ut sibi videtur, eligat; peccat juxta quantitatem apprehensi mali: quoniam excessum hunc libere eligit. Quod si utraque pars aeque mala apprehendatur, alterutrum eligere potest citra peccatum. Siquidem libertate caret morali, sive quae sufficiat, ut ipsi ad culpam imputetur; sicut neque peccat ille, qui detentus in carcere putat, se obligatum ad audiendum Sacrum, quod audire quidem vellet, sed minime potest: non enim haec omissio ipsi voluntaria, et libera est.

IV. *Ob circumstantias levius esse potest agere contra, quam sequi conscientiam vincibiliter erroneam.*

Equidem absolute, ac ceteris paribus, gravius peccatum est agere contra, quam sequi conscientiam vincibiliter erroneam: siquidem qui contra conscientiam agit, scienter agit; quum e converso qui eam sequitur, ex ignorantia peccet, quae juxta veram S. Th. Doctrinam peccati gravitatem diminuit. Ceterum ob circumstantias, quae in iis casibus saepe contingunt, certa de hac re praescribi regula nequit. Aliquando enim gravius crimen est conscientiam errantem sequi: aliquando levius juxta eam operari, ut authores communiter notant. Quo siquidem gravius praeceptum fuerit, quod ab ipsa proponitur, eo quoque gravius peccatum erit agere contra ipsam, et quo levius, levior pariter futura transgressio est. Sic si conscientia dictet, proferendum esse mendacium, ut periclitanti proximo vita salvetur, gravius peccat qui mendacium omittit, quam si agat juxta conscientiam illud praescribentem. Sic e contra si conscientia furandum alicui praecipiat, ut eleemosynam eroget, gravius peccat furando juxta conscientiae dictamen, quam si eleemosinam adversus illam non elargiatur: atque ita de aliis id genus casibus.

V. *Quomodo discerni queat, quandonam conscientia erronea vincibilis sit, vel invincibilis.*

Licet difficile admodum sit deprehendere, ac definire, quandonam conscientia erronea vincibilis sit, aut invincibilis, ex iis tamen, quae dicta sunt, quadantenus colligi potest. Hinc si error versetur circa jus naturale, sive aliquod hujusce juris praeceptum, error ille *vincibilis* dicendus est: quoniam de praeceptis legis naturalis non datur error plane invincibilis, et inculpatus, nisi forte res ad *facti* ignorantiam revocetur modo alibi explicato, ad quod interdum quidem, sed raro revocari potest. Quod si error sit circa jus positivum, tunc primo prudenter praesumi potest *invincibilis*, si homo ea scire non praetermittat, quae ad obligationes communes, et proprias pertinent, sive jus sit positivum divinum, sive Ecclesiasticum, sive politicum. 2. Si nulla dubitatio praecessit, vel scrupulus, aut aliqua saltem confusa notitia. 3. Si homo advertens, se ex conscientia erronea deceptum violasse legem, doleat, et tristetur. 4. Demum si probus sit, ac bene moratae conscientiae, ac insuper diligens, et accuratus in iis adimplendis, quae ab aliis piis hominibus peragi cernit. Ex iis signis, ac conjecturis haud difficulter deprehendi potest, num erronea conscientia invincibilis judicanda sit, aut vincibilis.

CAPUT II.

De duabus, quae ad ignorantiam, et conscientiam erroneam referuntur, controversiis.

I. *Proponuntur controversiae.*

Celeberrimae duae de ignorantia, et conscientia erronea quaestiones pertractari solent, quarum altera obligationem spectat Confessarii illuminandi poenitentes suos ignorantia, aut conscientia erronea laborantes: altera vero bonitatem, ac meritum, quod nonnulli adjudicant operibus, quae ex erronea conscientia invincibili bona reputantur. Ad primam quod attinet controversiam, ut certa ab iis, quae incerta sunt, aut saltem penes Authores disputata sejungamus, primam hanc constituo regulam, quae mihi certissima est, et apud Theologos communius probata.

II. Regula prima. *Poenitenti interroganti, tenetur Confessarius veritatem aperire.*

Quoties poenitens erronea conscientia laborans sive vincibili, sive invincibili Confessarium interrogat, an licita actio, vel omissio sit, an illicita, veritatem Confessarius aperire, ac manifestare eidem obstringitur. Ratio evidens est, quia ita exposcit Doctoris officium, quo in Poenitentiae Sacramento fungitur Confessarius, ut poenitentem doceat de iis, quae ad mores, aut salutem suam pertinent, saltem dum ab eo de his interrogatur, ut consilium ejus, aut judicium sequatur. Et sane si quaelibet alius interrogatus de hisce rebus ad animae salutem pertinentibus, quid ipse sentiat, veritatem manifestare tenetur; quanto potiore titulo ad hoc praestandum obstringetur confessarius? Quare eliminanda omnino est Doctrina Tamburini, scilicet Confessarium posse aliquando tacere veritatem, etiamsi a poenitente de illa interrogetur.

III. Regula secunda. *Confessarius instruere poenitentem debet, de necessariis necessitate medii.*

Si conscientia erronea circa ea versetur, quae necessario credenda sunt necessitate medii, Confessarius tenetur ad ea noscenda inducere poenitentem, antequam absolvat. Haec regula tamquam certa ab omnibus tenenda est, praesertim post damnationem factam de hac re quarundam propositionum, uti est 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei etc.* Ratio autem haec est, quia horum mysteriorum explicita cognitio post revelationem promulgatam Evangelii, ita necessaria est ad gratiam, et salutem obtinendam, ut sine ea obtineri nullo modo possit. Quoad alia vero, quorum cognitio necessaria est necessitate solius praecepti, quoniam ignorantia solet esse vincibilis, adeoque culpabilis, neminem absolvere potest Confessarius, nisi saltem firmiter proponat, se cognitionem eorundem adepturum, doleatque de negligentia sua in iis addiscendis. Qua de re alibi fusius.

IV. Regula tertia. *Illuminare Confessarius tenetur poenitentes, circa praecepta juris naturae.*

Illuminare Confessarius tenetur poenitentes conscientia erronea laborantes circa praecepta juris naturae, quamvis etiam de his non interrogent. Post ea, quae de ignorantia disputata sunt, extra omnem controversiam debet esse haec regula: nullum siquidem ostendimus dari posse errorem *invincibilem* in iis praeceptis juris naturalis: atque adeo, quum *vincibilis* sit, atque *culpabilis* removendus est a poenitente, ut fructum Sacramenti percipere valeat, quod sine admonitione Confessarii fieri nequit. Quare illuminare tenetur omnes, qui e. gr. putant sibi licitas esse usuras, vindictam, detentionem rei alienae, et id genus alia plura. Idemque dicendum, si error, quo conscientia laborat, versetur circa illa, quae spectant statum, et officium cujuslibet, puta Judicis, Parochi, Episcopi etc. in quibus nullam ignorantiam admittit S. Th. nec profecto admittenda est, quoniam unusquisque ea scire tenetur, quae ad proprium statum, et officium pertinent.

V. Regula quarta. *Confessarius debet instruere poenitentem de iis, ad quae obligatur, si fructum speret.*

Dum Confessarius suam admonitionem profuturam sperat, debet illuminare poenitentem de iis, ad quae obligatur. Haec quoque regula tamquam certa habenda est. Si enim proximum de mandato Christi quisque corripere tenetur, dum fructus ex correptione speratur; cur non potiore jure tenebitur Confessarius instruere, et admonere poenitentem laborantem erronea conscientia, dum sperat profuturam correptionem suam?

VI. Regula quinta. *Tenetur etiam sive prosit, sive obsit admonitio de iis, quae quisque scire tenetur.*

Quando erronea conscientia juris *est, quod omnes scire tenentur, sive divini positivi sit, sive humani,* vel facti, *quod poenitens scire debet; Confessarius obligatur poenitentem instruere, quidquid sequatur, sive prosit, sive obsit admonitio.* Quoniam utrumque ministerium, quod Confessarius exercet, hoc officium ab eo requirit: Doctoris quidem, qui tenetur instruere poenitentem de iis, quae scitu necessaria sunt; judicis autem, qui perquirere statum, et dispositionem poenitentis obstringitur, ut eidem absolutionem impertiatur, vel suspendat, aut neget.

VII. Regula sexta. *Nunquam licet Confessario poenitentem in erronea sua conscientia relinquere eo praetextu, aut motivo, quod admonitionem suscepturus non sit.*

Haec regula a praecedente consequitur: et ulterius luculenter evincitur ex eo, quod si Confessarius praevideat, aut dubitet, poenitentem non esse suscepturum admonitionem suam, ipsum judicare nequit rite dispositum ad Sacramentalem absolutionem recipiendam, quatenus in eo tunc plane dominetur *amor mundi*, sive *concupiscentia carnis*, vel *concupiscentia oculorum*, aut *superbia vitae:* neque enim in eo casu aliunde movetur ad veritatis, quam sequi debet, cognitionem repellendam, nisi ex nimia, et inordinata adhaesione animi sive ad terrenas voluptates, sive ad divitias, sive ad honores saeculi, quae ipsum prorsus indignum reddunt Sacramentalis absolutionis beneficio. Ecquis profecto hujusmodi poenitentes, qui veritatem audire renuunt, non indignos existimet divino gratiae munere? Reprobanda ergo omnino est contraria doctrina, quam docent Sanchez, Tamburinus, De Lugo, Pelizzarius, aliique.

VIII. Regula septima. *Tacere Confessarius potest, dum praevidet gravia mala oritura ex admonitione.*

In iis, in quibus conscientia invincibiliter erronea dari potest, prudenter nonnunquam se geret Confessarius non interrogatus, si taceat, aut dissimulet; non ex eo tamen, quod poenitentem haud dispositum ad admonitionem suscipiendam praesumat, sed ex aliis extrinsecis motivis, quae occurere aliquando possunt. Dixi *in iis in quibus conscientia invincibiliter erronea dari potest* juxta doctrinam jam traditam de *ignorantia invincibili* quum scilicet agitur vel de errore *facti*, vel de errore *juris positivi* ad salutem haud necessarii. In his igitur Confessarius poenitentem inveniens conscientia invincibiliter erronea laborantem interdum quidem admonere ipsum tenebitur, puta si ex illa damnum publicum consequatur, aut etiam damnum injustum proximi, vel poenitens de errore suo dubitet, aut interroget confessarium etc. sed interdum etiam prudenter se geret, dum haec non occurrunt, si taceat, aut dissimulet, non ex eo quidem, quod minus dispositum credat poenitentem ad obligationem suam implendam, sed ob alia extrinseca motiva, scilicet inconvenientia, scandala, dissensiones, quae inde secutura merito praevidet. Et communiter exemplum de hoc afferri solet in Matrimonio invalide contracto ex aliquo *errore facti;* cujus nullitas, quam Confessarius advertit, si manifestetur, paritura sit gravissima incommoda, discordias, ac damna innocentibus etc. Quo in casu Confessarius prudenter suspendere valet admonitionem, donec pericula, quae impendent, sublata sint, et dispensatio obtineatur. Hoc satis colligitur ex Cap. 6. *de Consang. et Affin.* Ubi S. P. Innocentius III. de Matrimonio quodam invalide contracto interroganti respondet: *Dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta, quum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere.* Quum enim tunc offensa Dei ob errorem invincibilem ignoretur, materiale illud malum recte permittitur ad impedienda graviora mala.

IX. *Innocentii verba diligenter notanda.*

Innocentii verba diligenter notentur: non enim in illo *errore facti* permittit, ut conjuges *in copula sic contracta permaneant* ex eo titulo,

quod admonitio profutura non fuerit ob poenitentis repugnantiam ad illam recipiendam, sed ex eo duntaxat, quod *ex separatione*, ut asserebatur, *grave scandalum immineret*. Si namque nullum scandalum, aut grave damnum imminere videat ex admonitione Confessarius, eam omittere minime debet.

X. *Proponitur altera questio.*

Ad quaestionem nunc alteram accedimus, *an scilicet actus eliciti ex conscientia invincibiliter erronea bonitate aliqua gaudeant, ac merito vitae aeternae*. Non desunt quidem Theologi inter ipsos Antiprobabilistas, qui defendant, aliquibus saltem in casibus, opera ex conscientia erronea invincibili facta, aliqua praedita esse bonitate, ac etiam merito vitae aeternae: at communissima haec opinio est inter Probabilistas, praesertim post P. Terillum, qui eam latissime versavit, nullumque non movit lapidem, ut solidam ipsi probabilitatem assereret.

XI. *Fundamentum praecipuum Terilli, convellitur a S. Thoma.*

Fundamentum praecipuum, quo eam fulcire student, sibi objicit S. Th. 1. 2. q. 19. a. 6. his verbis: » Videtur, quod voluntas concor» dans rationi erranti, *sit bona*. Sicut enim voluntas discordans a » ratione tendit in id, quod *ratio judicat malum*; ita voluntas con» cordans rationi tendit in id, quod *ratio judicat bonum*. Sed voluntas » discordans a ratione etiam errante est mala: ergo voluntas con» cordans etiam rationi erranti est bona ». Quid ipsi respondet S. Th.? *Dicendum*, inquit, *quod sicut Dionysius dicit in 4. Cap. ne Div. Nom. bonum caussatur ex integra caussa: malum autem ex singularibus defectibus. Et ideo ad hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, quod sive secundum suam naturam, sit malum, sive quod apprehendatur ut malum. Sed ad hoc quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum.* Scilicet satis non est, quod ratio, sive conscientia apprehendat, aut proponat aliquid ut bonum, sed requiritur, ut etiam ex se, aut secundum naturam suam bonum sit. En principium, quod prorsus ab imis fundamentis evertit, et in nihilum redigit argumentum Terilli existimantis, nos eodem modo loqui posse ac debere de bono et malo. In casu itaque mendacii ex. gr. prolati ex conscientia erronea *invincibili* (demus, invincibilem esse) dictante in aliquo casu mendacium esse bonum, Deoque gratum; apprehensio quidem ut bonum proponit; sed haec sola bonitas apprehensa minime sufficit ad refundendam bonitatem in actum, si de se malum sit, et legi aeternae difformis.

Possem et alia plura proferre S. Th. testimonia, sed aliis omissis, unicum profero ex q. 17. de Verit. a. 4. quod Terilli, aliorumque cavillationibus omnem aditum intercludit. Quaerit, utrum conscientia erronea liget; et relata sententia negante, haec scribit: *Sed qui hoc dicunt, non videntur intelligere, quid sit conscientiam ligare. Secundum hoc enim conscientia ligare dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrat: non autem quod aliquid implens recte faciat*; sive rectae et honestae sint actiones ita peractae.

XII. *In Casibus conscientiae erroneae plura distinguenda sunt.*

Praetermitti hic nullo modo potest, in hujusmodi casibus conscientiae erroneae invincibilis, ex. gr. Jacobi concumbentis cum

Lia, quam Rachelem putabat, distinguendum esse concubitum ipsum, atque concumbendi voluntatem ab aliis affectibus, qui comites adsunt, aut adesse queunt, ut intentio placendi Deo, affectus procreandi Filios in Dei honorem et gloriam, voluntas exercendi justitiam cum uxore debitum petente. Nam hos quidem bonos esse asserimus, quum recto judicio diriguntur: sed illum nec bonum esse nec malum, idest imputabilem, dicimus, quia aeternae legi Dei nequaquam conformis.

Consectaria.

I. *Praeceptum, quo urgetur Confessarius a praecepto correctionis fraternae distinguitur.*

Praeter alia distinguitur praeceptum correctionis fraternae a praecepto instructionis, sive admonitionis, quae fieri debet a Confessario poenitenti, qui ad ipsum accedit poenitentiae Sacramentum suscepturus: quod illud non obligat, si nulla profecto, aut emendationis spes affulgeat; istud vero urget, sive emendatio poenitentis speretur, sive non, ob reverentiam videlicet Sacramento debitam, cui consulere Confessarius tenetur, non impartiendo absolutionem, si poenitens non sit recte dispositus ad eam recipiendam; prout revera non est, si admonitus de eo, quod facere tenetur, monitionem recuset, aut recusaturus praesumatur.

II. *Petri Colleti sententia, minime probanda.*

Non modo laxae dicendae sunt, ac censura dignae resolutiones Tamburini, aliorumque, quas jam attulimus; sed neque probandam esse censeo doctrinam Contin. Tourn. sive Petri Colleti, prout ab ipso generatim effertur Tract. *de act. hum. de Consc.* c. 7. ubi regulas tradens, quando monendus poenitens minime sit, hanc proponit: » Moneri non debet, si monitio nociva magis, quam utilis futura » esse praevideatur, adeo ut poenitens, qui *materialiter* tantum pecca- » vit, deinceps *formaliter* peccaturus praesentiatur ». Eo enim fundamento nititur quod poenitens suscepturus non esse credatur admonitionem, si illuminetur ob nimiam adhaesionem ad objectum peccati sui, quae ipsum indispositum efficit ad gratiam Sacramenti recipiendam.

III. *Absurda Terilli distinctio duplicis legis aeternae.*

Ex dictis in secundae quaestionis resolutione nemo non videt, nedum absurdam et absurdorum plenissima, sed etiam poenitus frustaneam et inutilem esse legem illam *reflexam*, et *consequentem*, quam in Deo confinxit Terillus, et ex illo caeteri Probabilistae. Dicunt hi nimirum: *Qui sequitur conscientiam invincibiliter erroneam, bonum opus operatur. Porro opus illud bonitatem non haurit ex lege aeterna antecedente, et primaria, utpote quod ipsi difforme est: ergo ex lege aeterna consequente et reflexa, cui conformetur oportet, ut bonum sit: neque enim sine conformitate ad aliquam Dei legem bonum esse potest.* Totum siquidem argumentum hoc, cui maxime fidunt, in auras statim abit, negata propositione majore, ut negandam ex dictis evidenter patet: quoniam tamquam certum sibi sumunt, quod oppido falsum est, *bonum* scilicet esse opus ex conscientia invincibiliter erronea peractum; adeoque necesse non est, ut novam legem aeternam *consequentem et reflexam*, a qua bonitatem depromat, comminiscantur.

CAPUT III.

De conscientia certa, et dubia.

I. *Conscientiae certae definitio, ac divisio.*

Conscientia *certa* definiri solet: *Judicium firmum de bonitate vel malitia alicujus rei, vel actionis, de qua prudenter dubitari non potest;* sive, ut alii, *actus intellectus, quo firmiter, seu absque dubio et formidine falsitatis judicat, aliquid hic et nunc esse licitum, vel illicitum.* Triplex autem a Philosophis et Theologis certitudo distinguitur, *metaphysica*, *physica*, et *moralis.* Metaphysica *judicium importat, quod falsitati, aut errori obnoxium esse impossibile est.* Hujusmodi est certitudo primorum principiorum, scientiae, sive demonstrationum. *Physica* ea complectitur, quae secundum quidem ordinarium naturae cursum, aut legem aliter se habere non possunt; et non repugnat, ut aliter se habeant juxta legem extraordinariam, sive per miraculum. Hac certitudine certum est solem, ex. gr. crastina die esse oriturum. *Moralis* demum est, quae tametsi absolute et absque miraculo errori possit esse obnoxia; ita tamen eam minime falli certum est, ut veritas per eam proposita nonnisi imprudenter, ac temere negari valeat, aut in dubium revocare. Hinc judicium *moraliter certum* illud est, quod prudentem dubitationem excludit.

Haec porro *moralis* certitudo varios gradus excipit, summum, medium, et infimum. *Summus* habetur, quoties aliquid ita certum praefertur, ut nihil nec grave, nec leve contra opponatur, aut opponi jure valeat, ut olim extitisse Ciceronem. Gradum *medium* constituere possumus in exemplo ab Aristotele producto, nempe *omnis mater diligit filium suum:* quamvis enim aliqua mater inventa sit, aut inveniatur, quae filium suum non dilexerit, casus tamen adeo rarus est, ut nec leviter queat concutere legitimam praesumptionem de matris erga filios dilectione. Demum gradus *infimus* positus est in iis opinionibus probabilioribus, quibus post sufficiens examen nihil nisi leve opponi judicetur. Tunc enim ob leves duntaxat difficultates vir cordatus, ac prudens nonnisi imprudenter de earum veritate dubitare potest. Moralis haec *infimae* certitudo definiri valet *judicium, quod etsi levem aliquam formidinem recipiat, gravem tamen, et prudentem dubitationem excludit.*

II. *Quid sit conscientia dubia.*

Hic colligere pronum est, quid sit *conscientia dubia.* Verum quia hujus legitima notio magni interest ob Probabilistarum, quam in hanc rem invexere, confusionem amovendam, de ea operosius agendum est. Conscientia *dubia* a *dubio* nomen desumit, quod aliqui dividunt in *positivum*, et *negativum.* Dubium *negativum* appellant, quando ex neutra parte rationes occurrunt, quibus, quid verum sit, agnoscamus. Sed hoc dubii genus communiter a Theologis gravioribus repudiatur: neque enim *dubium*, sed potius *nescientia*, et *ignorantia* vocanda est.

Solum itaque dubium *positivum*, dubium proprie dicitur, illudque habetur, quoties utrinque suppetunt aequalia momenta, quae assensum, sive judicium suspendat in utramque partem, et in hac judicii

suspensione consistit. Hanc dubii notionem tradit S. Th. q. 14. *de Verit.* a. 1. Cui succinit S. Antoninus 1. p. Sum. tit. 3. c. 10. §. 10. eamque amplectuntur nobiliores quique Theologi, immo totum genus humanum, quod non aliam ideam habuit unquam, aut habet de dubio proprie dicto. Atque hinc dubium cum judicio, aut assensu incerto confundendum non est. Omnis quippe assensus inevidens magis minusque incertus est, nec tamen dubius: aliunde enim dubium, et incertitudo repetitur. *Incertitudo* a momentis oritur, quae evidentiam non pariunt: *dubium* vero ab aequalitate rationum pro utraque parte occurrentium. Illa judicium aliquod offert: hoc judicium potius suspendit.

III. *Quid sit dubium juris, et facti.*

Dubium aliud est *juris*, aliud *facti*. Tunc dubium est *juris*, quum quis dubitat de aliquo praecepto, voto, aliave quacunque re obligationem inducente. Dubium facti tunc habetur, quoties *factum* respicit, puta, num jejunium impleverim, num Missam audierim, etc. Alia divisio dubii est in *speculativum*, et *practicum*. *Speculativum* dubium honestatem rei spectat in seipsa consideratae: *practicum* vero operis exercitium. Sic ex. gr. dum quis dubitat, num baptisma conferri queat in aqua rosacea, ejus dubium *speculativum* est: *practicum* vero si dubitet, num hic, et nunc sibi liceat hac materia uti. His positis, de conscientia *certa*, et *dubia* regulas aliquas statuamus.

IV. Regula prima. *Nunquam operari licet cum conscientia dubia de peccato.*

Veritas haec constat in primis ex illo Apostoli. *Omne*, *quod non est ex fide*, sive *conscientia*, *peccatum est*. Non operatur autem ex conscientia, qui dubius de peccato operatur. Deinde qui dubius et anceps est, num aliquid sibi licitum sit, vel illicitum, dubio non deposito, opus aggreditur ita animo comparatus, ut illod exequi velit, sive legi Dei adversetur, sive non, legemque ipsam nihil curat: quod absque injuria divinae Majestatis, atque adeo absque peccato non est. 3. Quia nemini licet voluntarie exponere se *probabili* peccandi periculo: qui autem de actionis honestate dubitat, exponit se periculo *probabili* peccandi.

V. Regula secunda. *Qui aliquid agit, vel omittit dubitans de peccato mortali*, *peccat mortaliter.*

Fluit haec regula sponte sua ex praecedente. Idem quippe judicium fieri debet de dubio peccati, ac de ipsa actione aut omissione peccaminosa. Unde sicut qui ex. gr. perjurium sciens proferat, lethaliter peccat contra vel religionem, vel justitiam; ita peccat lethaliter et peccato quidem ejusdem speciei et gravitatis, qui illud dubitans profert: vult enim illud ipsum peccatum, cujus committendi periculo se exponit.

VI. Regula tertia. *Dubio deposito, licet operari.*

Qui dubitat, num actio licita sit, vel illicita, si post debitam inquisitionem nulla ipsi ratio, vel authoritas occurrat prudenter dubitandi, quod illicita sit, dubio deposito, tamquam irrationabili, eam ponere non prohibetur. Quoniam hujusmodi dubium prudens non est, utpote nulla probabili sive ratione, sive authoritate nixum. Unde etiamsi rationes, aut authoritates, quae fortassis occurrunt, leves et nullius

momenti esse deprehendantur, contemnendae sunt ac si nullae essent, et actio sine scrupulo exercenda.

VII. Regula quarta. *Dubium ex arbitrio deponi nequit, sed post adhibitam necessariam ac sufficientem diligentiam.*

Neque enim sine ratione operari homo debet, quum semper prudenter se gerere in suis deliberatis actibus teneatur. Diligentia ergo pro dubio deponendo in veritatis inquisitione adhibenda est. Quisnam sit diligentiae gradus, exacte definiri nequit quum id pendeat a pluribus circumstantiis: major certe in re gravi, ex qua multa pendeant magni momenti, quam in re levi. Conditio quoque personae dubitantis prae oculis est habenda, si nempe scrupulis angatur, si bene moratae conscientiae sit. Plurimum id confert ad dubii depositionem efformandam. Insuper si homo doctus sit, doctiores conferat. Si rusticus, aut ignarus, satis erit, ut Parochum, aut Confessarium consulat, de cujus probitate, ac doctrina non dubitat. Demum temporis etiam, et loci circumstantiae considerandae sunt. Interdum enim res moram non patitur, aut loci angustiae alios ad consulendum convenire non permittunt. Tunc invocato Dei auxilio, quod prudentia suggerit, decernendum. Recolantur, quae supra dicta sunt de conscientia erronea deponenda.

VIII. Regula quinta. *Aliter nobis est agendum in dubiis circa res; aliter in dubiis circa personas.*

Colligitur haec regula ex doctrina S. Th. 2. 2. q. 68. a. 4. ubi de dubiis circa personas agens, adducto Apostoli textu ad Rom. 14. *Qui non manducat manducantem non spernat*, et interpretatione Glossae dicentis: *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda*, haec subiicit: » Ex hoc ipso, quod aliquis habet malam opinionem de alio absque » sufficienti caussa, injuriatur ei, et contemnit. Nullus autem debet » alium contemnere, vel nocumentum quodcunque inferre absque » caussa cogente. Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de » malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem » partem interpretando, quod dubium est ».

IX. Regula sexta. *In dubiis de honestate, vel pravitate actionis tutior opinio est eligenda.*

Tutior opinio duplici in sensu intelligi potest, *comparative* nempe, et *adversative*. *Comparative* tunc sumitur, quoties etiam altera pars absolute tuta est, ut status religiosus, qui *tutior* est respectu status laicalis, qui tamen et ipse absolute *tutus* est. *Adversative* autem accipitur quod aliam partem, quae tuta non est; et hoc sensu una pars *tutior* dicitur, non quia altera pars tuta sit, sed quia dubia est; ideoque adjecimus in *regula*, *quae tunc sola tuta est.* Hoc itaque in casu nullam aliam *reflexam* regulam agnoscimus tuto dirigentem actiones nostras morales, nisi propositam: *In dubiis tutior pars est eligenda.*

Omissis SS. Litterarum textibus, qui afferri possent, primam probationem sumo ex perenni et constanti in hac regula commendanda Patrum traditione: de qua solertissimus Antiquitatis Ecclesiasticae indagator Joannes Morinus *lib. 1. de poenit. cap. 5.* testatur, per undecim secula, antequam Theologia Scholastica introduceretur in Ecclesiam, SS. Patres *in eo studio se tantum exercuisse, ut Sacerdotes*

docerent, in casu dubio semper esse tutiorem partem eligendam, semper, inquam quae enim actio peccatum esset, quantumve, et quam horrendum, judicarunt, ab unoquoque vel facile cognosci, vel ex apposita poena et medicamine facile dignosci, vel in casu dubio securiorem partem semper esse eligendam. Nulla alia reipsa a SS. Patribus tradita regula deprehenditur in dubiis casibus, nisi *viam tutiorem esse eligendam.* Sic ut vel solum S. Augustini testimonium producam, S. D. *lib.* 1. *contra Donat. c.* 3. scribit; *Si quis dubium haberet in parte Donati non recte accipi baptismum, quem in Catholica certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta praeponeret.* Quum dicit, *vel eo solo*, universalem regulam, et probationem praefinit in omni dubio de licito etiam probabili. Idem docet *lib. de fide et oper. c.* 19. Post invectam autem positivam Theologiam eadem constanter in Ecclesia traditio permansit. Longum esset, et inutile omnium Theologorum, qui a sec. 12. usque ad 17. floruerunt, testimonia proferre: siquidem nec ipse Terillus aliam invenire vigentem doctrinam potuit post perquam accuratam antiquitatis indaginem.

Prob. 2. eadem *regula* ex SS. Canonibus, quorum quanta sit authoritas in rebus praesertim, quae ad conscientiam dirigendam pertinent, neminem latet. In hoc porro argumento tot tamque aperti Canones suppetunt ad positam regulam, *in dubiis tutior pars est eligenda*, validissime confirmandam, ut mirum sit posse aliquem refragari, quin simul horum Canonum authoritatem protervo animo despicere velit, penitusque contemnere. Unum vel alterum indicabo, ceteris, brevitatis caussa omissis. Cap. *veniens* extra *de presbytero non baptizato*, seu lib. 3. Decretal tit. 43. c. 3. *Nos in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes* etc. Cap. *Juvenis* de Sponsal. seu lib. 1. Decretal. tit 1. c. 3. *Quia igitur in his, quae dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus* etc. Cap. *Ad audientiam*, *de Homicid.* seu lib. 5. Decret. t. 1. c. 12. *Vestrae directioni duximus respondendum, quod, quum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem* etc. His addo, nedum olim Ecclesiam, Summosque Pontifices semper hac regula in dubiis casibus usos esse, verum etiam post invectum Probabilismum, ac praesenti quoque tempore eadem uti. Quod factum, quum jam omnibus notum sit, testatur insuper summae fidei Author Card. Petra in suo Opere de Sacra Poenitent. Apost. c. 9. Quod etiam factum, fierique perhibet a Sacris Congregationibus, quoties dubii casus, qui eisdem proponantur, occurrunt Emin. Cardin. de Aguirre.

Prob. demum ratione, quae desumitur ex eo principio a Majoribus accepto, et in Scriptura expresse memorato: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Ex eo namque consequens est, nemini licere se exponere morali; sive probabili periculo peccandi. Huic autem periculo absque dubio se exponit, qui in dubiis opinionibus, sive utrinque probabilibus eam eligit, quae sibi magis libet, tutiore relicta, ut patet: quod sine certo peccato contingere nequit. At *speculativum*, inquiunt Adversarii, tunc *dubium* est, et *universale*, sed non *practicum* et *particulare*. At vero optime reponit Vasquez in 1. 2. disp. 62. n. 22. *Qua ratione potest dubitare, an aliquid sibi liceat in universum,*

et certus esse absque formidine, illud hic et nunc sibi licere, non subsitente aliqua peculiari ratione potius pro se, quam pro aliis? Dicendum itaque, eum, qui dubitat *speculative*, necessario dubitare etiam *practice*, sive in singulari actione hic et nunc exercenda, si ratio aequalis utrinque invariata subsistit, nec ratio specialis occurrat, ob quam ipsa singularis actio in prohibitione universali non comprehendatur.

X. Regula ultima. *Ut licite operemur, conscientia debet esse saltem moraliter certa.*

Ex dictis sequitur haec postrema regula. Si enim illicitum est operari cum Conscientia dubia de honestate actionis, evidens est, aliquam certitudinem ad licite operandum esse necessariam, qua excludatur peccati formido rationabilis. Nec alias probationes adfero: quoniam in hac regula sic exposita communiter omnes conveniunt, aut saltem nonnisi in vocibus dissensio est. Quare explicandum solum est, quaenam vere sit ea certitudo, quae ad agendum requiritur, ut peccatum evitetur.

In primis ergo *certitudo moralis* ad agendum requisita saltem *practica* sit, oportet. *Practicae certitudinis* nomine firmum, certumque judicium, sive dictamen intelligimus, quo quis indubie credit, sibi hic et nunc licere, quod agendum, omittendumque decernit. Absque hujusmodi judicio *practico* verum dubium *practicum* haberetur, in quo nemini agere fas esse consentiunt Theologi omnes. 2. Non requiritur, ut haec practica certitudo vel metaphysica, vel physica sit, sed sufficit moralis; nam haec prudentem omnem dubitationem aut formidinem excludit, quum grave omne, proximumque periculum peccandi arceat: quod unum in rebus humanis evidentia carentibus vitandum est. Atque hinc sequitur, sequi nos tuto posse opinionem non solum probabilissimam, sed etiam opinionem longe opposita probabiliorem. 3. Quum plures *moralis* certitudinis gradus distinxerimus, *summum*, *medium*, et *infimum*, hunc ad licite agendum satis esse dicendum est: nam et iste gradus prudentem omnem dubitationem excludit, licet scrupulum omnem, sive dubium imprudens non abigat. Haec ex S. Th. 2. 2. q. 70. a. 2. et ex S. Antonino 1. p. tit. 3. c. 10. Demum requiritur, ut certitudo haec nedum practicae moralis sit, sed etiam, quod prudenter inducta fuerit, idest citra negligentiam et culpam: neque enim excusari unquam potest a peccato quodlibet judicium, quantumvis *certum* videatur, si conceptum sit ex animi pertinacia, aut temeritate, negligentia inquirendae veritatis, aut quavis alia culpa, juxta regulam illam supra dictam: *Ignorantia quae caussatur ex culpa, non potest subsequentem culpam excusare*; licet error certus sibi videatur, et exploratus.

Consectaria.

I. *Ineptum discrimen inter conscientiam, et stateram.*

Ineptum est discrimen, quod comminiscuntur Probabilistae inter vim rationum, seu momentorum aequalium ad movendum intellectum, et aequalis ponderis ad movendam stateram. Ajunt nimirum: *In lance vis unius ponderis non solum aequat vim alterius ponderis, eique simili modo contra nititur, ut patet; quare necesse est etc. Longe aliter se habet res in casu nostro. Nam rationes aeque probabiles suadentes*

opiniones oppositas, *sunt rationes diversae aliter*, *et aliter*, *et ex diversis principiis suadentes oppositas conclusiones*. At quid refert, rationes esse *diversas*, *et ex diversis principiis* procedentes? Nonne, quum ambae aequalis sunt ponderis, animum aequaliter movent, qui in ea contentione ignorat, quaenam vera sit, quaenam falsa sententia? Nonne haerere illum necesse est instar lancis, in qua aequalia utrinque pondera sunt imposita? Si in lance hinc quatuor auri, inde quatuor ferri, vel plumbi, aut, si velis, etiam palearum libellae imponantur; in unam potius partem feretur ne libra, quam in aliam, quia ponderum prementium diversa ac dissimilis materia est? Nonne perspicuum est, non qualitate, sed quantitate majoris ponderis lancem deprimi?

II. *Quae regulae juris conciliantur.*

Regula illa Juris Canonici: *In dubiis tutior pars est eligenda*, optime conciliari potest, ac debet cum altera juris ejusdem, quae habetur in 6 reg. 65. *In pari delicto et caussa potior est conditio possidentis*. Quam foede abutantur hac regula Probabilistae, norunt omnes, qui eorum scripta legerunt. Sed abusu remoto, haec vera est; nec pugnat ullatenus, sed legitime concordat cum exposita, *in dubiis* etc. Bona fide quispiam agrum possidet. Titulus possessionis, seu dominii sui in dubium ab altero vocatur: ac licite instituta post maturum examen jura deprehenduntur aequalia in utramque partem, nec occurrit jus aliud, quod uni prae altera parte faveat. In hoc casu ipsa possessio agri novum titulum, ac jus praebet, quo dubium tollatur, et ager possessori adjudicetur. Haec itaque regula cum illa optime conciliatur: *In dubiis tutior pars est eligenda*. Siquidem illa pars, quae, ultra aequalitatem juris cum altera parte, possessione gaudet, *tutior evadit*, quia ob possessionem dominium merito praesumitur.

III. *In dubiis negativis*, *quid agendum.*

Quidquid sit de dubio *negativo*, sitne dubium proprie dictum, vel non, quando tamen rationabile non est et fundatum, non minus despici debet ac deponi, quam scrupulus, seu conscientia ex levi et temerario scrupulo concepta, ut dicemus, et constat ex responsione Innocentii III. ad quoddam dubium sibi propositum de conjuge ambigente, an debitum reddere posset alteri conjugi petenti. Si enim ex levi et temeraria credulitate orta fuerit illa ambiguitas, conscientia explosa, debitum reddere, et exigere posse definivit. Similiter ergo si nulla ratio subsit dubii concepti post seriam inquisitionem, vel etiam si levis illa fuerit et nullo solido fundamento subnixa, de pravitate ejus, quod quis agere vellet, dubia conscientia deposita, illud agere potest.

CAPUT IV.

De Conscientia Probabili.

I. *Definitio opinionis.*

Quum conscientia *probabilis* ab opinione probabili derivetur, idcirco antequam ejus definitionem adferam, quid probabilis opinio sit, decernendum est. Quid opinio sit explicat S. Th. 1. p. q. 79. a. 9. ad 4. ubi *opinionis* definitionem assignat dicens: *Opinio significat actum*

intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius. Unde de moralibus actionibus loquendo, qui opinatur, assensum, sive judicium habet absolutum, etsi non omnino firmum; aliquid vere esse licitum, vel illicitum: quod tamen judicium potest esse vel prudenter, vel imprudenter conceptum, ut ex dictis patet.

II. *Probabile, quid et quotuplex.*

Opinio potest esse *probabilis*, et *improbabilis*. *Probabile* spectari potest *objective*, et *subjective*. Primo modo Aristoteles lib. 1. top. c. 1. ea dixit *probabilia esse, quae videntur omnibus, aut pluribus, vel sapientioribus, et iis vel omnibus, vel pluribus, vel maxime notis, et illustribus.* Altero modo illud est, quod *dignum approbatione judicatur tamquam verum, aut verosimile. Improbabile* autem, quam approbatione indignum censetur tamquam falsum. Quum enim objectum intellectus sit verum, approbare nequit nisi quod verum judicat, aut saltem vero proximius; adeoque non potest reprobare falsum, aut quod falsi apparentiam habeat.

III. *Conscientiae probabilis definitio.*

Haec itaque notio *opinionis probabilis* tenenda omnino est, ut sit judicium intellectus non equidem penitus firmum propter carentiam vel evidentiae, vel omnimodae certitudinis; sed talibus motivis nixum, ut ab homine prudenti approbari mereatur tamquam vera. Ex quibus omnibus haec est legitima *conscientiae probabilis* definitio: *Conscientia probabilis est actus, qua intellectus ob motivum quidem absolute fallibile sed prudenti approbatione dignum determinate judicat, actionem hic est nunc exercendam licitam esse vel illicitam.* Positis his, quae praenotata sunt, clara haec definitio est, nec ulla indiget majore explicatione. Hinc quum haec sit notio sicut opinionis, sic etiam conscientiae probabilis, quam tenent omnes *Probabilioristae*, eique totum innitatur ipsorum systema, quod et nos sequimur, in opinionum delectu, quo conscientia tuto dirigatur; ideo illud paullo fusius exponendum est, et propugnandum.

IV. *Systema Probabilioristarum.*

Sententia igitur eorum omnium, qui *Probabilioristae*, sive *Antiprobabilistae* audiunt, non alia est e veteri illa, quae piis omnibus Deum timentibus usitata semper fuit, et adhuc est, qui de actionis qualitate, licita ne sit, incerti, diligenter prius, solutoque praejudiciis animo veritatem exquirunt; momenta, quae utriuque sese offerunt accurate perpendunt, doctosque, si opus fuerit, in consilium adhibent. Hinc si momenta, quae legis obligationem negant, tam valida deprehenderint, ut prudenti falsitatis metu sublato, moralem veritatis certitudinem adferant; eam scilicet, quam supra descripsimus, et quae cum opinione probabilissima, aut longe probabiliore coincidit, eam fidenter amplectuntur. Si autem re sedulo expensa, momenta utriuque aequalia, aut ferme aequalia sint, multoque magis si, quae legi favent, graviora se prodant; tunc eligunt, eligendumque putant, quod tutius est, legi scilicet parendum, et praetermittendam actionem. Haec proborum omnium: qui peregrinorum, recentiumque doctrinarum jejuni salutis viam *in simplicitate cordis, et veritate spiritus* insequuntur, perpetua consuetudo fuit, et adhuc est: nec aliud docent, qui *Probabilioristae* nominantur. Quapropter nonnullorum, si

qui tamen sunt, *Tutioristarum*, aut *Rigoristarum* sententiam, quae jam ab Ecclesia proscripta est, cum ipsis rejicimus, qui ut licita sit operatio, plenam et omnimodam de ejus honestate moralem certitudinem necessariam esse contendunt. Inde enim fluerent absurda plurima, eaque gravissima, quibus tota humana vita, ac civilis societas perturbaretur, quae plerumque ducitur, nec duci non potest, majori similitudine, veri ac probabilitate, quum veritas rerum haud raro clare non appareat *in rebus contingentibus, quae tantam*, ut ait S. Th. *varietatem habent.*

V. *Sententia probabilior, morali certitudine gaudet.*

Qui ita se gerit in actionibus suis, non habet quidem supremam illam certitudinem moralem, qua v. g. certi sumus, Caesarem extitisse; habet tamen moralem certitudinem, quam *imperfectam* vocant, sive *tertii gradus*, quam necessariam diximus, simulque satis esse ad licite agendum; et quae admittit quidem aliquam errandi formidinem, sed plane imprudentem, qualis esse solet formido eorum, qui scrupulis anguntur. Morali hac certitudine in aliis quibusque rebus dirigere se sapientes homines solent: neque enim quaeri alic plerumque potest certitudo in humanis actibus, *qui sunt circa contingentia, et variabilia*, ut ex D. Thoma notatum est.

VI. *Probabilioristarum objectio.*

Nullae revera alicujus saltem momenti sunt difficultates, quae implicant declaratam Probabilioristarum sententiam, quaeque adferuntur civillationes merae sunt, et nugae potius, quam solidae objectiones. Unam ex his praecipuam proferam. Nonnulli eam criminantur dicentes, constitui a nobis humanorum actuum regulam *proprium cujusque judicium*, ex quo innumeri errores, et mala proferant necesse est. Unusquisque enim opinionem quamlibet, quae sibi magis arriserit, veram habere potest, suo marte momenta cudens, quibus flectatur ad ferendum de opinionum etiam laxiorum, et improbabilium veritate judicium. Quod argumentum maxime prosequitur P. Paulus Segnerius Ep. 2. adversus P. Gonzalez, aliique post ipsum; qui propterea *Probabiliorismum*, ut inquiunt, *subjectivum* traducunt ceu pestilentem depravationum fontem.

Verum ad propulsandam hanc calumniam aliis opus non est, quam quae hactenus dicta sunt. Statuimus, certo oportere, ut, qui agit, absolute in ea persuasione sit, veram, nec a Deo vetitam esse benignam opinionem, quam eligit; nunquam tamen prudens et sapiens haec futura persuasio est, si in illam se induci sinat aliquis solis momentis, quae *forte* possunt agenti *in mentem venire*, nulla prorsus ratione habita authoritatis, et momentorum, quibus contraria sententia firmatur: tunc enim non sincere, fideliterque veritatem exquireret, sed illam sibi fingeret ad arbitrium. Immo Christianorum plerique, Agricolae, Mercatores, Mulieres, totque alii Theologicarum rerum ignari non aliter possunt veritatis, de qua dubitant, cognitionem assequi, nisi judicium suum subjiciant alieno judicio aut Pastorum, aut Theologorum. Ceterum si *Probabilismus subjectivus*, sive *privatum judicium*, ut oportet intelligatur, et ut a Probabilioristis intelligitur, nedum repudiari minime potest; sed sustineri ab omnibus debet, si consentiant, ut consentire opus est, propriam cujusque

conscientiam proximam esse humanorum actuum regulam. Innocentius XI. Judicium hoc diserte approbavit, quum jussit P. Gonzalez tradere, ac pro virili probabiliorem sententiam tueri, eosque valde confutare, qui *sententiam minus probabilem in concursu probabilioris sic cognitae et judicatae sequi fas esse docebant.* Quibus non aliud plane significavit, nisi proprium operantis judicium, sive *Probabiliorismum subjectivum*, qui *objectivum* supponit, regulam esse debere actionum nostrarum.

VII. *Systema Probabilistarum.*

Nunc eorum, qui Probabilistae vulgo appellantur exponenda sententia est, tutiusque probabilistici systematis brevis complexio exhibenda. Primum ergo qui Probabilistae dicuntur, docent, quoties de sententiis, aut opinionibus, quae *certae* omnino non sunt, sed inter Authores controversiae, sermo est, eam esse securam actionis, aut omissionis regulam, quae *vere probabilis* est, quamvis pugnet ex adverso cum alia opinione, quae legem sive prohibentem, sive praecipientem existere affirmat, aeque probabili, aut etiam probabiliore, quod perinde est, ac innixa aequalibus, vel etiam gravioribus fundamentis.

2. Etsi ad opinionis probabilitatem opus sit solida ratione, non oportet tamen communiter, ut homines etiam docti nativam rationis soliditatem percipiant, sed satis est *gravis authoritas* Theologorum, qui opinionem tradant vel ut veram: vel si eam ut falsam respuant, *probabilem* tamen esse non inficientur, aut non rejiciant ut penitus *improbabilem*.

3. Si opinio aliqua, gravi authoritate Doctorum probatur, possumus eam licite ad praxim reducere *ut probabilem*, etiamsi quispiam eam *falsam* judicet, etiam ex momentis aeque gravibus, et gravioribus, immo quae sibi etiam decretoria, at invicta videantur: *quia solo suo judicio*, ait Sanchez cum aliis, *non debet aliorum sententiam improbabilem* judicare.

4. Authoritas, qua opinio firmatur ut saltem *probabilis* tunc *gravis* dicenda est, quoties qui opinionem ut *veram* docent, aut *probabilem* putant. Theologi, sunt *docti*, ac *probi* a Sapientibus habiti, rem diligenter excutiunt, nec meri Summistae sunt, aut Excerptores.

5. Opus non est, ut gravis sit authoritas, adeoque opinio *probabilis*, et ad praxim tuto reduci valeat, multorum in ea docenda, aut probabili judicanda conspiratione. Nam *tres, quatuorve* Authores *docti ac pii*, etiam contra *innumeros* ad eam sufficiunt. Quinimmo sufficit *vel unus* tantum, si *classicus* sit, ac *probatae authoritatis*, cujusmodi sunt Sanchez, Vasquez, Suarez, Valentia, Molina, Lessius, Azorius, Navarrus, ceterique hujus Praedicamenti. Quamvis eorum opiniones omnes verae non sint utpote saepe invicem contradictoriae, omnes sunt *probabiles*, et qui juxta eas operatur, etiam contra alias, quae legem affirmant vel aeque probabiles, vel probabiliores, nunquam peccat, aut culpam incurrit, etiam si legem Dei transgrediatur. Haec germana Probabilismi facies est, non illita fucis iis, quibus plerumque lectoribus, aut discipulis illuditur.

VIII. *Falsitas Probabilistarum Systematis.*

Falsitas hujus systematis abunde liquet ex iis, quae praecedenti capite dicta sunt. Nam si non licet in dubio de honestate

actionis, quando nimirum aequalia sunt pro utraque parte momenta, adeoque contradictoriae opiniones sunt aeque probabiles; non licet, inquam, sequi opinionem libertati faventem, ut luculenter inibi probatum est; multo minus licebit opinionem sequi sua opposita minus probabilem libertati faventem, ut manifestum est. Profecto si exponit se periculo peccandi, adeoque peccat, qui in dubio non eligit tutiorem partem; multo magis se exponi periculo peccandi et peccat qui minus probabilem opinionem amplectitur in concursu probabilioris. Si imprudenter agit in re ad salutem pertinente, atque adeo peccat, qui unam partem sibi faventem eligit, quum aequalia utrinque sunt momenta; multo certe imprudentius agit, qui minus probabilem contra legem sequitur, relicta probabiliori pro lege. Hinc supervacaneum duco in re tam clara alia prosequi argumenta, quae tamen videri poterunt in Op. Magno.

IX. *Probabilisticae propositiones ab Ecclesia damnatae.*

Praestat tamen hic subjicere propositiones ab Ecclesia de Probabilitate damnatas. Innocentius XI. Decreto suo edito an. 1679. quatuor, quae de probabilitate erant, propositiones damnavit. Prima est: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, et Episcopalis.* Altera est: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Tertia haec est: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Quarta est: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Hae omnes propositiones surculi sunt plantae probabilisticae, a qua totas vires hauriunt, ob quod dignae sunt anathemate, quo ab Apostolica Sede perculsae sunt.

X. *Probabilismus, virtualiter ab Ecclesia damnatus.*

Ex harum propositionum damnatione facile est argumentum conficere, quo demonstretur, universum probabilisticum systema fuisse ab Ecclesia damnatum. Ut demonstrationem efficacissimam conficiam duo ad memoriam revocanda sunt principia, et axiomata plane inconcussa. Primum est: Ut aliqua doctrina ab Ecclesia reprobata censeatur, necesse non est, ut reprobatio, et damnatio *formalis* sit, ut ajunt, et *expressa*, sed sufficit *implicita*, et *virtualis*; sive, quod perinde est, ut legitima consecutione ex damnatis sententiis inferatur. Hoc inficiari non possunt, sed nec inficiantur Probabilistae, qui ultro fatentur, nonnullas propositiones rejiciendas ut falsas et improbabiles, quia *virtualiter*, et *implicite* damnatae et reprobatae sunt. *Ex regula alias tradita*, ait P. Viva in prop. 54. Innocentii n. 16. *quando eadem ratio, quae militat pro Thesi proscripta, militat pro alia consimili, haec etiam implicite redditur improbabilis.* Quare se omnibus deridendum proposuit nuperus quidam Scribillator, qui in quadam Epistola concessit quidem, damnatum esse, reprobatumque Probabilismum *implicite*, ac *virtualiter*, at nihilominus licitum ipsum in praxi et securum asseruit, quia nondum ab Ecclesia *expressa*, et *formalis* ejusdem

condemnatio manavit. Quid stultius? Principium alterum non minus certum hoc est: Tunc aliqua doctrina *virtualiter*, et *implicite* reprobata dicenda est, quoties necessaria, ac legitima consecutione ex alia *formaliter*, et *expresse* damnata derivatur; *quando* scilicet *eadem ratio quae militat pro thesi proscripta, militat pro alia consimili*, ait idem P. Viva.

His praejactis, ad evincendum, Probabilismum *implicite*, et *virtualiter* fuisse in recensitis propositionibus damnatum, satis est ostendere, rationum momenta, queis dictae propositiones innitebantur, eadem omnino esse, quibus innititur Probabilismus. At vero bona fides, sanusque intellectus requiritur, nihilque praeterea, ut quisque videat intimum nexum inter proscriptas propositiones, et ipsum Probabilismum. Nam revera inficiari ne possunt Adversarii, primam propositionem ideo damnatam, quia ejus usus irreverentiam irrogat Sacramentis? Non equidem arbitror, quum id sponte fateantur ipsi Probabilistae celebriores. Porro nonne eadem plane ratio militat etiam respectu legis divinae, quum Deus non minus suorum praeceptorum Author, quam Sacramentorum sit? Quam etiam paritatem agnovit, et confessus est Sanchez, *Princeps*, ut vocant, *omnium Theologorum moralium*. Similiter negare non possunt, eadem rationis momenta, quae Judici in sententiis ferendis minus probabilis opinionis usum illicitum ostendunt, aequaliter valere in quocunque privato Judice actionum suarum. Quomodo negare possunt confixum anathemate in tertia propositione axioma illud generale probabilisticum: *Licet sequi opinionem vere probabilem:* quandoquidem proscripta propositio de opinione loquitur *vere probabili*, et quae extra limites *verae probabilitatis non excurrit*, ut ex ipsis proscriptae propositionis verbis apparet manifeste? Vis solidissimi, et indeclinabilis hujusce argumenti amplius emicat, si animadvertemus, propositionem desumptam esse ex Tamburino, apud quem conceptis terminis legitur, quique eam legitima consecutione deducebat ex communi illa Probabilistarum doctrina: *Licet cuilibet amplecti opinionem benignam, etiam minus probabilem in concursu, dummodo sit vere probabilis:* quod confirmabat illo apud Probabilistas firmissimo principio: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Demum quomodo inficiari poterunt, ultimam damnatam propositionem niti communibus Probabilismi principiis, et ex iis necessario consequi, testante P. Dominico Viva in Comment. *Quia prudenter operatur quicunque accommodat se opinioni probabili etiam in conflictu probabilioris oppositae; atque adeo, sicut non peccat in aliis humanis actionibus, qui sequitur opinionem minus probabilem, ita nec peccat infidelis, si ductus opinione probabili non deserat sectam suam.* Percussis igitur anathemate praefatis omnibus propositionibus, poenitus corruat necesse est fundamentum, et basis, qua nititur systema probabilisticum in omni alia quacumque materia. Bona fides, iterum dicam, sanusque intellectus duntaxat requiritur, ut quisque videat intimum nexum inter proscriptas propositiones, et ipsum Probabilismum, adeoque concludat, hunc saltem *virtualiter*, et *implicite* ab Ecclesia fuisse damnatum, adeoque poenitus abjiciendum, quibus cordi est negotium salutis aeternae.

Consectaria.

I. *Quinam accensendi sint numero Probabilioristarum, et quaenam sit conscientia vere probabilis.*

Accensendi statim non sunt numero Probabilioristarum, qui duntaxat asserunt, sequi nos posse sententiam libertati faventem, si probabilior sit contraria, quae favet legi, quin determinent ullum gradum majoris probabilitatis. Nam quum excessus talis non est, ut omnem prudentem dubitationem removeat, major quaecunque probabilitas non sufficit, ut licite eam sequamur, quum dubium prudens cum ea componatur. Oportet ergo ad licite agendum, ut probabilitas opinionis libertati faventis tanta sit, ut nonnisi imprudenter de veritate illius dubitare valeamus. Quare totum et integrum Probabilistarum systema existimari oportet ab Apostolica Sede damnatum, dum an. 1761. proscripsit inter alias Avisii propugnatas, Thesim hanc, quae ceterarum basis est, ac fundamentum, tres partes continentem, nempe: *Probabilismus noster versatur circa haec tria. Licet sequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili pro lege. Licet sequi aeque probabilem pro libertate, relicta aeque probabili pro lege. Licet sequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.* Nam quamvis *prima* videri alicui possit innoxia, et talis reapse quibusdam visa sit, quia tamen in censu *Probabilioristarum* quaecunque major probabilitas ad licite operandum nequaquam sufficit, etiamsi levis ille excessus fuerit, damnatione, non minus ac partes aliae, digna est. Ex quo colligas, nullam esse posse *conscientiam vere probabilem*, quae regula sit humanarum actionum, et operantem coram Deo excusare valeat a peccato, si forte a veritate deflectat, nisi judicium mentis conceptum fuerit ex iis motivis, quae licet certa, et explorata omnino non sint, solam tamen probabilem eam partem, sive opinionem efficiant, quae licitam actionem, aut omissionem affirmat, adeout nulla extent pro parte opposita, vel si extent aliqua in contrarium momenta, adeo tamen levia, aut exigui ponderis prudenter reputentur, ut altera longe probabilior maneat, ac nullum prudens, solidumque dubium de ejusdem veritate relinquat. Ita quippe agendo semper homo veritatem sequitur, eamque sibi praefigit ut suarum actionum normam.

II. *Probabilismum sequens, non est tutus in conscientia.*

Ex iis, quae dicta sunt, sponte fluit, tutum non esse in conscientia, qui probabilisticam doctrinam sequitur in agendo, quod adeo evidens est, ut plane supervacaneum videri queat aliquid ulterius addere ad illud amplius explicandum. Nam si probabilistica doctrina nequit esse tuta agendi regula, quum operantem exponat periculo peccandi, ut dictum et probatum est firmissime, qui illam in operando sequitur, contra prudentiae, rectaeque rationis normam operari convincitur, adeoque peccat, et juxta materiae conditionem lethaliter, adeo ut nullam apud divinum Judicem excusationem peccati sui afferre valeat. Lubet tamen rem paulo amplius declarare. Omnes sive Probabilistae, sive Probabilioristae docent, peccare *formaliter*, qui probabili peccandi periculo voluntarie se exponit: hoc enim agendi modo, ut ipsi ajunt, legem contemnit, ac ita se gerit, ac si diceret: *Quidquid sit de honestate, vel turpitudine hujus actionis,*

quam elicio, vel omitto, agere eam vel omittere volo, et nulla mihi de lege cura est. Hinc colligunt, non sufficere judicium, sive dictamen tantum *probabile*, sed *certum* esse oportere, ut dubium prudens abjiciatur. Hac igitur supposita doctrina, quae verissima est, semper peccatum incurrit, qui in agendo probabilisticam sententiam amplectitur: neque enim abigere potest dubium prudens, et rationabile de falsitate ipsius, atque adeo de honestate suae operationis.

III. *Persuasus de certitudine Probabilismi, peccatum non evitat.*

Quamvis aliquis in agendo probabilisticam sententiam sequatur, persuasus de certitudine ipsius, non ideo peccatum evitat. Ratio est: quia quum falsitas probabilisticae regulae demonstrata sit, persuasio illa de Probabilismi *certitudine* non potest esse prudenter inducta, sed ex aliqua culpa profecta sit oportet, nempe ex negligentia in examinanda quaestione, quae ex animi pertinacia, vel ex praejudiciis sine sufficienti ratione formatis, vel ex aliquo inordinato affectu, vel ex nimia adhaesione ad propriam Scholam, aut Magistros, vel demum ex alia prava caussa ignorantiae suae, quae culpabilis est, *nec potest*, inquit Angelicus, *subsequentem culpam excusare.*

IV. *In damnationis periculo versantur Directores Probabilistae; et qui se Probabilistis dirigendos committunt.*

Hinc in aeternae damnationis periculo versantur quotquot ad aliorum conscientias dirigendas probabilistica doctrina utuntur. Directores hujusmodi in eorum *caecorum* numero collocandi sunt, quos Evangelista designat, qui alteri *caeco* manum porrigentes simul ambo in gehennae foveam miserrime prolabuntur: *Caecus autem, si caeco ducatam praestet, ambo in foveam cadunt.*

Hinc demum de aeterna salute periclitantur, qui se Confessariis, aut Theologis Probabilistis dirigendos committunt. Ne autem importunum cuiquam timorem ingeram, aut scrupulos imprudentes, placet praenotare, Christianos ad tres classes posse facile revocari. Alii ita perversi sunt, ut nec Deum timeant, nec ulla propriae salutis solicitudine tangantur. De istis nullus mihi sermo, quum de eorum salute actum esse nemo dubitet. Alii ex opposito sunt, sed pauci, qui de aeterna salute impense solliciti sedulam operam pietati navant, bonisque operibus indesinenter insistunt. De his quoque nihil dicam, quibus timorem incutere mihi non est animus, licet fortasse a Confessariis Probabilistis dirigantur: neque enim hos tam perditae conscientiae futuros credo, ut illos ab arcta, et secura via, qua incedunt, avocent; et in latam, spatiosamque suis opinionibus pertrahere velint. De tertia itaque classe Christianorum loquor duntaxat, media veluti inter hasce duas, quae omnium frequentissima est; illorum scilicet, qui bonam quidem praeseferunt voluntatem, et desiderium aeternae consequendae salutis nutriunt; sed ea non adhibent efficacia media, quae ad arduum opus necessaria sunt: qui caelum vili emere cupiunt, et Deo simul, mundoque servire: qui Sacramentorum frequentiam cum saeculi moribus et consuetudinibus consociant etc. De his, atque similibus loquor, et dico, hos maximo in aeternae damnationis periculo versari. Divini eloquii, Sanctorum Patrum, omniumque Christianae vitae Magistrorum auctoritate fretus; etsi Confessarii Probabilistae aut eos sinant hujusmodi vitam agere ab Evangelii regula alienam; aut a peccatis, quae confitentur, passim absolvant. *Nam si*

caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt. Quae verba expendens Augustinus *lib. de Past.* c. 10. ait: *Terret Dominus non solum caecum ducentem, sed et caecum sequentem. Non enim cadit in foveam caecus ducens, et non cadit sequens: sed caecus caecum ducens, ambo in foveam cadunt.*

At *error poenitentis* (ait Nicolaus Ghetius in suo *lib. de principiis Philosophiae Moralis*) *ductum Confessarii Probabilistae sequentis nullo ipsi detrimento esse potest: quoniam hujusmodi sequendo ducem, ac directorem conscientiae a legis transgressione excusatur beneficio ignorantiae invincibilis.* Quam falsa sit haec doctrina ex iis, quae praecedenti Consectario dicta sunt, satis apparet. Verum ad majorem hujusce rei claritatem quaedam addenda censeo. Et quidem novi ego, ac lubentissime assentior, illis omnibus, qui perito sibi delecto Confessario, sincero corde solam ab eo veritatem exquirunt, ejus dictis et decisionibus acquiescendum, illique fidentes nimias anxietates, et supervacaneos timores abjicere posse. Hoc, inquam, verum puto; modo tamen in Confessarii electione culpabilis error locum non habuerit. At, si in eo deligendo erratum sit, et animae Rector ex illis fuerit, qui juxta Probabilisticas, laxasque doctrinas animarum conscientias moderantur; constanter ajo, non posse hominem tranquillo animo esse, etsi omnem ille promittat securitatem. Hic enim merus minister est, qui polliceri quidem potest, at non conferre securitatem. Audiendus Augustinus in rem nostram praeclare disserens: *Ecce*, inquit Serm. 40. *dat tibi securitatem Procurator: quid tibi prodest, si Pater familias non acceptet? Procurator sum: servus sum. Vis dicam tibi: vive ut vis: Dominus te non perdet. Securitatem tibi Procurator dedit. Nihil valet securitas Procuratoris. Utinam Dominus tibi daret, et ego te solicitam facerem. Domini enim securitas valet, etiamsi nolim: mea autem nihil valet, si ipse noluerit. Quae est autem securitas, fratres, vel mea, vel vestra? nisi ut Domini jussa intente, ac diligenter audiamus?*

CAPUT V.

De conscientia scrupulosa.

I. *Quid sit scrupulus.*

Scrupulus, prout hic sumitur, nihil aliud est, quam quaedam formido peccati, ubi peccatum non est, concepta ex inani, frivoloque motivo, quam plerumque angor quidam animi comitatur. Distingui solet scrupulus a conscientia scrupulosa, sicut distinguitur effectus a caussa. Differt a conscientia *dubia*, in qua ob aequalitatem rationum assensus suspenditur; in conscientia autem scrupulosa presse dicta habetur quidem assensus aliquis, sed conceptus ex momentis levibus, et inanibus; per quod differt etiam a *conscientia probabili*, quae solidis, gravibusque nititur fundamentis. Scrupulus respicere potest vel aliquod praeteritum, vel aliquod futurum. Praeteritum respicit, veluti quum quis ex conjecturis levibus anxius est, num e. g. hunc, vel alium Psalmum omiserit, eo quod post recitationem aliorum non recordetur, se omnes recitasse. Futura scrupulus spectat, quum quis levi ratione ductus timet, ne peccet agendo, quod agendum occurrit. Addi etiam potest, scrupulum esse posse de re praesenti, veluti quum

aliquis absque caussa sufficiente metuit, ne id malum sit, quod judicatur esse licitum.

II. *Mala quae ex scrupulis saepe proficiscuntur.*

Non exigua mala sunt, quae ex scrupulis saepe proficiscuntur. Animae namque tranquillitatem et pacem jugiter perturbant, mentem assiduae excruciant, spiritus libertatem impediunt, ne prompto, expeditoque affectu feratur in Deum; animam ineptam frequenter efficiunt ad percipienda charismata, et consolationes Spiritus Sancti, hominem ab oratione, aliorumque nobilium actuum exercitio vanis terroribus retrahunt, plurimumque ipsi temporis suffurantur, non sine ingenti laedendi cerebrum, et scrupulosum ad insaniam redigendi periculo. Nec dubitare possumus, quin multarum animarum spiritualem in via Dei profectum per injectos scrupulos Daemon impediat; licet negandum minime sit, plurimas quoque animas hac scrupulorum exercitatione Deum ad se vehementius trahere, atque purificare. Quapropter antequam quid pro hoc morbo curando remedii sit adhibendum, determinetur, diligenter ejus caussae investigandae sunt.

III. *Scrupulorum caussae.*

Scrupulorum caussas plures assignat S. Antoninus. 1. p. tit. 3. c. 10. nec sunt in omnibus eaedem, sed aliae atque aliae modo in uno, modo in altero. Prima est naturalis aliquorum complexio admodum disposita ad suspiciones, ac timores; ut est complexio frigida, et melancholica. 2. Infirmitas capitis, qua nonnunquam imaginatio laeditur; et mentis, seu judicii imbecillitas, et inconstantia caussatur, ex qua contingit, ut quis facile conturbetur, si quid in oppositum etiam leve, et inane appareat. Haec autem infirmitas nonnisi remediis corporalibus curari potest. 3. Inordinatum corporis regimen: ob nimias quippe vigilias, abstinentias, aliasque id genus poenalitates non pauci tristes efficiuntur, et melancholici, unde etiam scrupulosi redduntur. 4. Aliquando ipse Daemon animarum profectus inimicus, qui vel humores melancholicos commovet, per quos imaginatio turbatur, et ad timores inordinatos inducitur; vel etiam vires sensitivas interiores agitat, ut mentem confundat: quod tunc praesertim ab eo efficitur, quoties vel sacra Communio sumenda est, vel divinis vacandum. 5. Societas cum iis, qui hac infirmitatae tenentur. 6. Ignorantia, qua quis discernere nescit inter licitum et illicitum. 7. Tandem sapiens dispositio Dei permittentis, aliquem scrupulis vexari ad ampliorem ejus in via spirituali profectum, ut ex his nempe occasionem sumat aliis misericordiae viscera promptius ostendendi, vel ad opem divinam frequentius recurrendi. Varias hasce scrupulorum caussas nosse magni interest, quemadmodum in curandis corporeis morbis prius scire convenit morborum caussas, et origines. Nam saepe remedia, quae aliquibus prosunt, aliis officiunt. His positis, sequentes regulas pro scrupulis laborantium directione trado.

IV. Regula prima. *Distinguere oportet scrupulum, a conscientia scrupulosa in utriusque directione.*

Scrupuli namque nihil pendi, immo contemni debent, quando meros scrupulos esse, sive inanes suspiciones, vanosque timores, compertum est ex experientia propria, ut ex judicio Directoris, vel discretorum, atque sapientum. Non ita vero dicendum de conscientia scupulosa, qua quis firmiter judicat, se hic, et nunc, licet ex moti-

vis levibus, ad aliquid agendum, aut omittendum obstringi. Tunc enim ea conscientia erronea est; atque adeo, sicut dictum est de conscientia erronea, neminem scilicet agere posse, quin prius eam prudenter deponat; ita et de scrupulosa conscientia asseramus oportet, illam nimirum prius esse prudenter deponendam.

V. Regula secunda. *Aliter dicendum de iis, qui in omnibus, aut ferme omnibus scrupulis angi solent: aliter de quibusdam in aliquo actionum genere implicatis.*

Explicatione opus habet haec regula. Sunt igitur quidam qui sedulo invigilant in adimplendis divinae legis praeceptis, et in vita ducenda ab omni peccato pura, et intaminata; sed simul in iis exequendis scrupulis vexantur. Hi benigne tractandi sunt, curandique remediis illis, quae subinde praescribemus. Sunt vero alii, et non pauci, qui scrupulis torquentur, et agitantur in aliquo duntaxat praeceptorum genere, puta in recitandis horis Canonicis. At vero non ita se gerunt in ceteris sui obligationibus adimplendis, quin immo in istis liberiores saepe, laxique sunt. Horum hominum inanes scrupulos Confessarii minus in animarum directione experti audientes, falsa misericordia commoti, eos tanquam scrupulosos benigne tractandos existimant, iisque tanquam vera ac solida pietate praeditis privilegia plura indulgent, et exemptiones ab exacta divinae legis observantia, quae in perniciem spiritualem eorundem cedunt. Nonne v. gr. inter Ecclesiasticos deprehendas, qui quum ad insaniam prope redigantur propter continuos timores, ne forte Divinum officium persolverint ea, qua debuerint diligentia, ne in evagationibus mentis repellendis minus solertes fuerint, parum postea curant, nulloque scrupulo agitantur circa ea, quae vi proprii status adimplere tenentur? Hi non eodem modo dirigendi sunt ac caeteri a perito, ac prudenti Confessario; sed prius docendi, ac cogendi ad illa exequenda, quae majoris momenti sunt; ne, dum in quibusdam levioribus nimium extimescunt, in iis postea deficiant, quae graviora sunt, quorumque praetermissio in grave discrimen animae salutem adducit.

VI. Regula tertia. *Nonnunquam prodest ad salutem, scrupulos permittere.*

Hi potissimum sunt, qui post vitam solutiorem in propriis passionibus exaturandis traductam, divinae tandem gratiae auxilio in semitam Dei revertuntur. Istorum quippe scrupuli, nisi forte immoderati sint, animae purgandae, ac provehendae in statum meliorem plurimum valent. Dixi, *nisi immoderati sint:* nam si timor, et anxietas conscientiae nimium excesserit, quibusdam remediis temperanda est. Quoniam vero horum scrupuli circa peractam confessionem versari saepius solent, num scilicet peccata omnia accurate sacro Ministro aperuerint, et peccatorum circumstantias; praecipuum, ac forte unicum istorum remedium est, ut prudentem, et doctum Confessarium seligant, sub cujus directione generalem confessionem diligenter perficiant. Confessarius patienter eorum confessionem recipiat, ne continuam molestiam perferre cogatur. Confessione generali magna cum diligentia peracta, prohibeat eis, ne deinceps aures praebeant suggestionibus, quibus oblivio alicujus vel peccati, vel numeri, vel circumstantiarum objicitur: nec post hujusmodi confessionem permittat, ut poenitens, qui in scrupulos propensus est, iterum confiteatur.

VII. Regula quarta. *Quamvis Confessarius, multis maximis peccatoribus ad Deum se convertentibus, scrupulos ad tempus permittere queat circa Confessiones; aliter tamen cum aliis se gerat opus est.*

Cum iis namque agens repetere Confessiones non sinat, si post mediocrem diligentiam adhibitam certo non deprehendat defectum. Immo hos monere consultum est, ut a nimis anxio abstineant conscientiae examine, dum praesertim frequentius confitentur.

VIII. Regula quinta. *Adversus scrupulos magna animi alacritate, et firmitate certandum.*

Hanc regulam tradit Ven. Gersonius in considerat. 6. scribens: *Scrupulosae contra scrupulos agendum est, et fixo operis pede certandum. Hac arte usus est ille, qui turbato cuidam super repetitione horarum suarum, si non assidue, et actualiter attenderet ad eas, injunxit poenitentiam hanc ad tempus, ne quomodolibet horas semel dictas iteraret.* Porro contra scrupulos agere quisque debet non intra se disputando de illis, nec intrinsecas rationes opponendo, sic enim facile succumberet aeger; sed per principia extrinseca reluctando, maximeque quia spiritualis Director ita praescripsit.

IX. Regula sexta. *Scrupulosus judicium ferre non debet de peccato; nisi id ipsi certo constet, maxime dum mens tranquilla non est.*

Ratio hujus regulae est: quoniam, quum scrupulosi dubitare soleant etiam de rebus clarissimis, ibique peccatum apprehendant etiam mortale, ubi revera ne venialis quidem umbra peccati interdum est, in perpetua angustia versarentur, ac plane intolerabili, si practice pro peccato aestimare deberent, quidquid sub dubio ipsis tale proponitur, quum de omnibus ipsi ferme dubitent.

X. Regula septima. *Scrupulosi axactam praestare obedientiam debent pio, ac docto animae suae Directori.*

Hanc maxime inculcare Director ipse debet. Istud quippe ferme unicum remedium est pro curando scrupulorum morbo, nec ullum certe majoris est efficaciae, utpote sine quo alia remedia vix profutura sint. Quare si is, qui scrupulis angitur, ad hoc suscipiendum remedium, et obedientiam praestandam animo paratus non sit, dimittendus est veluti curationis incapax.

XI. Regula octava. *Si scrupuli oriantur ex caussis corporalibus, complessione, inedia etc. corporalibus quoque remediis curandi sunt.*

Nempe quia, juxta Medicorum axioma, *contraria contrariis curantur.* Unde si scrupulorum caussa nimia abstinentia sit, utile remedium est victus ratio in cibo, et potu a Medicis spiritualibus praescripta pro ratione complexionis uniuscujusque. Si vigiliae immoderatae, hae temperandae sunt: si complexio melancholica, et meticulosa; honestis recreationibus sublevanda, et omittenda ea, quae tristitiam fovere, et augescere valent etc.

XII. Regula postrema. *Quibus non prosunt praefatae regulae ad scrupulos amovendos, nil superest, nisi ut divinae voluntati humiliter se submittant ad majorem in virtute profectum.*

Haec regula maxime spectat animas quasdam, quas Deus ad gradum altissimae perfectionis sublevat, sicut aliis mediis, ita quoque scrupulorum tribulatione, ac tormento plane incredibili. In istis timor offensae Divinae, qui eas vehementer excruciat, effectus plerumque est ardentissimae charitatis, qua flagrant erga Deum unice dilectum.

His itaque animabus scrupulis ac timoribus conscientiae excruciatis, quoniam remedia alia nihil ad curam prodesse solent, nihil aliud superest, nisi ut illos humili resignatione patiantur, deque manu Domini animo libenti recipiant, inque virtutis materiam convertant, filialem tamen in bonitate Dei fiduciam concipientes, quod post nubila reditura serenitas sit, ac tranquillitas a dulci Domino restituatur, qui *non patitur nos tentari supra id, quod possumus, sed facit cum tentatione proventum.*

CONSECTARIA.

I. *Erronea notio, quam habet vulgus de scrupulosis.*

Erronea notio est, ac idea, quam vulgus, ac sectatores mundi habent de scrupulis, atque hominibus scrupulosis. Scrupulos namque aestimant, quod non aliud est, nisi exacta, et accurata mandatorum Dei observantia; scrupulososque vocare consueverunt, quos solicitos intuentur in aeternae salutis negotio procurando, et peccatis toto studio vitandis. Sed neque scrupulosae conscientiae indicium est trepidatio, quae afficiuntur piorum animae, ne Deo displiceant in iis, quae agunt, et ab ipsis recta existimantur; sed justae potius cautionis officium. Siquidem Scriptura commendat, *beatumque* appellat *hominem, qui semper est pavidus*; pavore scilicet non inquieto, sed moderato, ac tranquillo. Hoc modo trepidare, seu caute se gerere in bonis operibus non est scrupulosi hominis signum, sed veracis, Deum timentis, et in vera humilitate fundati.

II. *Quomodo se gerere debeat, qui scrupulos suos non cognoscit esse scrupulos.*

Qui veris quidem scrupulis laborat, sed tales esse non cognoscit sive scientia propria, sive aliorum judicio, sive alio quocunque modo, tunc adversus eos agere non potest: ageret enim adversus conscientiam suam, id quod nunquam licet. Sed debet suae conscientiae cruciatum, et inquietudinem prudenti viro patefacere, vel oratione, et studio conari, ut intelligat, quaenam ea sint, quae illum cruciatum, et inquietudinem moveant, num fundamento nixa, num eo destituta; et ubi agnoverit, scrupulos esse, contemnat, ac se ad agendum vel omittendum determinet.

III. *Confessarius procedat oportet in spiritu lenitatis cum meticulosis.*

Confessarius in spiritu lenitatis, ac benignitatis procedat oportet cum iis, qui meticulosi sunt, et pusillanimes, illud in memoriam suam revocando Apostoli monitum: *Considera te ipsum, ne et tu tenteris*: et praecavendo, ne propter nimium asperas reprehensiones, aut amara verba in desperationem ruant. Cum iis vero scrupulosis, qui vel elati sunt animo, vel in ceteris, quae amplius curare deberent, nimium incuriosi sunt, durius se habere potest, ac debet, ita tamen ut ad exemplum boni illius Samaritani, cujus Evangelium meminit, nedum vinum, sed et oleum in eorumdem plagas infundat, temperans objurgationes cum blandis admonitionibus. Sed et illud praesertim observent scrupulosorum Directores, ne, quando eis sanum consilium praebent, haesitanter loquantur, aut se opinari dicant; sed animo firmo proferant, quod pro certo habent; quin immo et praecipiant ipsis, ut simpliciter agant, quae eis agenda praescribunt; quia si se dubios, aut ancipites praeseferant, novam inde scrupulosi anxietatis occasionem arripient.

ETHICAE CHRISTIANAE

SIVE

THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS TERTIUS

DE OFFICIIS HOMINUM.

SIVE DE HUMANIS ACTIONIBUS BONIS, AC MALIS.

DISSERTATIO I.

De Principiis et conditionibus generalibus Actuum Humanorum.

CAPUT I.

De Officiis, sive Actibus hominum voluntariis.

I. *Voluntarii definitio.*

» Quum actus humani (verba sunt S. Th. 1. 2. q. 6.) propria di- » cantur, qui sunt *voluntarii*, eo quod voluntas est rationalis appe- » titus, qui est proprius hominis, oportet considerare de actibus, in » quantum sunt voluntarii. Primum ergo considerandum est de vo- » luntario, et involuntario in communi ». Licet autem plures tradi soleant *voluntarii* definitiones, quae tamen colligitur ex D. Th. hic a. 1. et 2. communior est, ceterisque omnibus praeferenda, nempe: *Voluntarium est id, cujus principium est intra, cum cognitione finis.* Hinc duo ad *voluntarium* necessaria sunt; nempe quod proveniat a principio rei, quae operatur, *intrinseco*; et quod ex aliqua procedat *finis cognitione.* Unde *voluntariae* dicendae non sunt actiones illae, sive motiones, quae fiunt per externum duntaxat principium: quemadmodum nec illae, quae ab interno quidem principio eliciuntur, sed citra finis cognitionem; cujusmodi sunt motiones, et operationes omnes, rerum ratione, sensuque carentium, quae propterea voluntariae non sunt, quum potentia quidem agendi intranea sit, non autem cognitio finis, ex qua ad agendum se moveant.

II. *Voluntarii divisio.*

Dividitur voluntarium in *spontaneum, et liberum. Spontaneum* illud est, quod ex propria inclinatione procedit, etiamsi ex necessitate actio, aut motus voluntatis in illud feratur. Sic amor beatitudinis in communi necessarius nobis est, sed spontaneus, quum ad illam ex propria naturali inclinatione rationalis animus pertrahatur. *Liberum* autem voluntarium est, quod quidem cum amore et inclinatione fit, sed cum facultate ad suspensionem actus, vel etiam ad actus oppositos. Priori opponitur necessarium ex *coactione*; alteri necessarium ex *na-*

turali necessitate. 2. Dividitur in *elicitum*, et *imperatum*. Priore modo voluntarii sunt actus omnes, qui immediate ab ipsa voluntate eliciuntur. Alio modo actus illi, qui eliciuntur quidem ab aliis hominum potentiis, aut facultatibus, sed ex imperio voluntatis, cui serviunt, et obsequuntur. 3 In *directum*, in quod directe voluntas tendit, et *indirectum*, quod in se quidem et secundum se non est volitum, volitum tamen censetur in alio directe intento. 4. In *expressum*, et *tacitum*. *Expressum* est, quod aut verbis exprimitur, aut alio signo consensum ex instituto significante: *Tacitum*, quod sine hujusmodi signo ex aliquo facto, vel facti omissione, spectatis circumstantiis, merito colligitur.

III. *Voluntarii* indirecti *explicatio.*

Quum legitima voluntarii *indirecti* cognitio maxime necessaria sit, ex eaque pendeat plurimarum difficultatum solutio, paulo operosius tractanda res est. Non desunt plures Theologi ex Probabilistis praesertim, qui licet voce non rejiciant divisionem voluntarii in *directum*, et *indirectum*, reipsa tamen negant, nec aliud, nisi primum admittunt. At S. Th. eam disertissime adstruit pluribus in locis, et in hac etiam q. 6. a. 3. ubi ait: *Voluntarium dicitur, quod est a voluntate. Ab aliquo autem dicitur esse aliquid dupliciter, uno modo directe, quod scilicet procedit ab aliquo in quantum est agens, sicut calefactio a calore. Alio modo indirecte, ex hoc ipso, quod non agit. Sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore, in quantum desistit a gubernando.* Deinde magis exponens, quando aliquid *indirecte* sit voluntarium, subdit: *Sciendum, quod non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in caussam in agens ex eo, quod non agit, sed solum tunc, quum potest, et debet agere.* Et in resp. ad 3. *Eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut et actus voluntatis, ut scilicet sit in potestate alicujus considerare, et velle, et agere. Et tunc, sicut non velle et non agere, quum tempus fuerit, est voluntarium; ita etiam non considerare.*

Ex hac S. Th. doctrina, cui major, meliorque Theologorum pars ultro suffragatur, sequitur, tria requiri, ut *effectus indirecte* voluntarius censeatur. Primo, ut aliquis advertat, vel advertere queat talem effectum ex tali caussa sequuturum, vel frequentius sequi. 2. Ut quis possit caussam illam non ponere, vel positam removere. 3. Ut quis actionem illam omittere teneatur, aut positam removere; alioqui effectus permissive duntaxat voluntarius reputabitur. Ut hoc amplius declaretur, haec regula generalis magno adjumento esse potest: nimirum *dum justa caussa suppetit non impediendi effectum ex aliqua actione aut omissione provenientem, effectus non censetur indirecte voluntarius, atque adeo nec imputabilis ad culpam.*

IV. *Involuntarii caussae.*

Voluntario opponitur *involuntarium*, cujus quatuor assignantur a Doctoribus S. Th. secutis caussae; nimirum *violentia*, *metus*, *concupiscentia*, et *ignorantia*, de quibus nonnulla dicenda. Advertendum in primis est, duo actuum voluntatis genera distingui oportere cum S. Th. Alii namque sunt ab ipsa voluntate *eliciti*, qui scilicet ab ipsa voluntate eliciuntur, quique ad ipsum *velle* reducuntur; alii a voluntate *imperati*, et mediis aliis facultatibus exerciti, ut ambulare loqui

etc. qui a voluntate quidem imperantur, sed mediante alia potentia exercentur. Quoad actus *elicitos* violentiam pati voluntas minime potest: *Quia*, ait D. Th. hic art. 1., *actus voluntatis nihil est aliud, quam inclinatio quaedam procedens ab interiori principio cognoscente; sicut appetitus naturalis est quaedam inclinatio ab interiori principio, et sine cognitione. Quod autem est coactum, vel violentum est ab exteriori principio.* Verum, si loquamur de actibus a voluntate *imperatis*, in iis voluntatem pati posse violentiam admittendum omnino est. Siquidem, quum hujusmodi actus eliciantur et exerceantur per aliquam potentiam a voluntate distinctam, ea potentia, sive facultas per aliquod agens externum ab his actibus impediri valet etiam tunc, quum voluntas illos imperat; immo et per violentiam compelli potest aliquos exercere, quos voluntas exercere nolit; veluti si voluntes progressionem imperaret, et pedes per externam vim detineantur, ne progredi queant: in hoc et similibus casibus recte dicitur, ipsum hominem cogi, aut violentiam pati. His positis,

V. *Violentia* simpliciter *et* absolute *talis, caussat involuntarium.*

Doctrina est S. Th. ab omnibus recepta, violentiam, quae simpliciter, et absolute talis est, caussare *involuntarium.* Dico, quae *simpliciter*, et *absolute* talis est, juxta definitionem ab Aristotele traditam; nimirum *violentum est id, cujus principium est extra, nihil conferente eo, qui cogitur;* nimirum nihil cooperante, sed renitente potius, ac repugnante. Ut ergo violentia actum involuntarium efficiat, debet esse *absolute*, et *simpliciter* talis, reluctante omni conatu voluntate, adeo ut etiam, quoad licet, facultates exteriores omnino impediat, ne ad actionem, ad quam cogitur, ullo modo concurrat. Quapropter si quis alterius manu alium percuteret, negative illo se habente et non efficaciter repugnante, non ideo ea percussio violenta foret, sed voluntaria dicenda esset.

VI. *Metus definitio, et divisio.*

Metus definiri communiter solet, *instantis, vel futuri periculi mentis trepidatio.* Frequentior divisio illius est in *levem*, et *gravem*. *Levis* dicitur, quo vel leve malum timetur, aut grave quidem, sed ex caussa levi, et improbabili. *Gravis*, qui etiam vocatur *cadens in virum constantem*; seu qui prudentem, et fortem virum movet, aut movere valet, quo ex caussa satis probabili grave malum timetur, ac describi consuevit: *Certa, aut verisimilis expectatio ingentis mali*, uti est mors, membrorum mutilatio, carcer, damnatio ad triremes, bonorum proscriptio, et id genus alia. Ingens malum *relative* etiam dicitur ad personas, quae metu percelluntur. Contingit enim, ut malum aliquod apprehensum, quod respectu viri leve est, grave sit respectu mulieris, vel adolescentis. Uterque metus se habere dupliciter potest ad actionem, vel passionem, *concomitanter* scilicet, et *caussaliter*. Concomitanter se habet quando non est caussa movens ad actionem, vel passionem, sed mere eam comitatur, et tunc actio quidem fieri dicitur *cum metu*, sed non *ex metu*. *Caussaliter* vero *metus* se habet, quum est caussa movens, aut excitans voluntatem ad aliquid agendum, vel patiendum, ut quum quis ex metu naufragii merces in mare projicit, vel latroni districto gladio petenti pecuniam tribuit.

VII. *Quae ex metu fiunt mixta sunt et voluntario, et involuntario.*

Doctrina certa S Th. et Theologorum est ea, quae ex metu fiunt sive *levi*, sive *gravi*, mixta esse ex voluntario et involuntario; sive esse *voluntaria simpliciter*, et *involuntaria secundum quid.* Hinc sequentes statuo regulas. 1. *Nullus metus, quantumvis gravis, excusat a peccato in iis, quae sunt, natura sua, et intrinsece mala.* Neque enim metus quantumvis gravis, et gravissimus ita excusare a peccato valet, quasi opus, quod fit ex metu, vi illius desinat esse malum, quod ex natura sua intrinsece malum est, ut patet. Sed neque illud excusare valet ob defectum voluntarii, quod ad culpam contrahendam requiritur; quum ea, quae ex metu fiunt, *simpliciter* esse voluntaria dictum fuerit. Unde ex nullo capite metus gravis excusat a peccato in iis, quae natura sua prava sunt. Negandum tamen non est, quod culpae rationem saltem imminuat, eoque amplius, qua gravior metus est, eo modo, quo diminuit ipsum voluntarium; non ita tamen, ut ex lethali veniale peccatum efficiat. Quare semper mortaliter peccant, qui gravissimorum etiam tormentorum metu vel fidem Christianam abnegant, vel perjurium, aut aliud simile peccatum perpetrant. Si vero de iis sermo sit, quae non sunt natura sua mala, sed tantum positiva lege prohibita, metus gravis interdum excusat a culpa, interdum non excusat, adeo ut actio ex metu facta lethalis culpa non sit, quemadmodum in Tractatu *de legibus* dictum est.

VIII. Regula secunda. *Spectato solo jure naturae, contractus metu gravi initi validi sunt.*

Siquidem nihil est in jure naturae, quod hujusmodi contractus irritos, aut invalidos reddat. Quid enim est vi hujusce juris, quod eos irritet, aut nullos efficiat? Num defectus consensus voluntarii? Sed jam ostensum est, ea, quae ex metu fiunt, esse *simpliciter* voluntaria. Alia autem caussa nulla suppetit.

IX. Regula tertia. *Si contractus juramento firmati sint, quamvis metu extorti, ad eos servandos tenemur.*

In hac regula minime conveniunt omnes Theologi, at amplectendam censeo D. Th. doctrinam, quam diserte tradit 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. et q. 98. a. 3. ad 1. ubi ait: » Coactio non aufert juramento » promissorio vim obligandi respectu ejus, quod licite fieri potest. » Et ideo si aliquis non impleat, quod coactus juravit, nihilominus » perjurium incurrit, et mortaliter peccat «. Quoties igitur res juramento promissa licita, et honesta est, ut si latroni mortem minitanti, jusjurando pecuniam promittas, in quo nihil pravi continetur, ob reverentiam debitam divino nomini servandum juramentum est, nisi tamen ab habente potestatem obligatio relaxetur. Unde, ut observat in iisdem locis S. D. *Romani Pontifices ab hujusmodi juramentis absolverunt, non quasi decernentes, hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationem ex justa caussa relaxantes.*

X. Regula quarta. *Jure etiam positivo validi sunt contractus metu gravi injuste extorti, et juramento non firmati; iis exceptis, qui vel per Ecclesiam, vel per legem civilem irritati sunt.*

Neque enim de contractibus in communi quidquam definivere leges tum Ecclesiasticae, tum civiles, sed de aliquibus duntaxat particula-

ribus, quos exceptos voluerunt: quae exceptio firmat potius regulam in contrarium. Porro contractus a positivo jure irritati, hi sunt: 1. contractus matrimoniales juramento etiam firmati, quum per metum gravem injuste incussum extorquentur, ut habetur Cap. *Significavit* etc. 2. Promissio dotis, et similiter solutio per metum extorta. Ita l. 4. digest. tit. 2. Lege, *si mulier*. 3. Vota, et votorum solemnes professiones. 4. Bonorum Ecclesiasticorum promissiones, vel traditionas. 5. Absolutio, vel revocatio excommunicationis, suspensionis, aut interdicti per vim, vel metum extorta. 6 Authoritas quoque Tutorum extorta per metum nulla declaratur leg. 1. tit. de Author. 7. Demum, aliis fortasse omissis, invalida est jurisdictio, quam partes litigantes Judici conferunt, cui alias subjecti non sunt, si eam ipsa per metum extorqueat, ex leg. 2. tit. de Jud. lib. 5. ff.

XI. Regula quinta. *Valde probabile est, eos contractus, juramento non firmatos, qui per metum injuste incussum extorquentur, posse quo ad forum conscientiae rescindi, et revocari ab eo qui injuriam passus est.*

Quoniam qui per metum injuste incussum quidpiam ab alio extorsit, huic injuriam fecit, adeoque tenetur hunc in statum pristinum restituere: et qui eam injuriam passus est, jus habet restitutionem illam exigendi. Quapropter emptiones, venditiones, transactiones, concessiones, promissiones, donationes, contractus per metum gravem, seu cadentem in virum constantem extorti possunt in irritum revocari: et is, qui ex aliquo hujusmodi contractu quidpiam consecutus est, tenetur in conscientia restituere, etiamsi non ipse, sed alius metum incusserit.

XII. Regula sexta. *Contractus nonnisi ex levi metu celebrati, tum jure naturae, tum positivo validi sunt.*

Nam qui ex metu *absolute*, et *respective* levi aliquid agit, se habet, ac reputatur veluti qui omnimode in actionem consentit; ac ulterius nulla lex nedum naturalis, sed nec positiva est, quae talem contractum rescindat, aut irritum declaret. Nam omnes positivae leges semper loquuntur de metu *gravi*. Illud solum adnotant Doctores, quod si metus ille, tametsi *levis* per injuriam fuerit ad contractum extorquendum incussus, potest, qui injuriam passus est, illum in foro conscientiae rescindere; ac restitui debet quidquid hoc pacto obtentum sit: tum quia quae per injuriam extorquentur, sunt obnoxia restitutioni; tum quia qui talem metum est passus, injuste privatus fuit sua libertate. Excipitur tamen votum, quod validum est, licet ex levi metu factum; sicut etiam matrimonium, de quo alibi dicendum erit.

XIII. *Quid nomine concupiscentiae intelligatur.*

Tertia *involuntarii* causa *concupiscentia* est. Nomine *concupiscentiae* hic intelligitur motus, sive passio appetitus sensitivi, quo ad aliquid prosequendum inclinamur. Duplex est hujusmodi concupiscentia, alia *antecedens*, alia *consequens:* quae distinctio eruitur ex D. Th. hic q. 77. a. 6. ubi utramque designat, et explicat inquiens: » Passio » est motus appetitus sensitivi. Appetitus autem sensitivus potest se » habere ad liberum arbitrium et antecedenter, et consequenter. *An-* » *tecedenter* quidem, secundum quod passio appetitus sensitivi trahit,

» et inclinat rationem, vel voluntatem. *Consequenter* autem, secundum quod motus superiorum virium, si sint vehementes, redundant in inferiores. Non enim potest voluntas intense moveri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo ». Nulla quaestio est de concupiscentia *consequente*, an sit caussa voluntarii. Manifestum quippe est, hanc involuntarium caussare non posse, quum actionem consequatur, solumque tanquam signum vehementiam voluntatis ostendit in exercenda actione. Unde, ut ait ibidem S. Praeceptor, *non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati.* Superest igitur, ut solum de concupiscentia *antecedente* loquamur.

De hac concupiscentia S. Thom. decernit, quod haec *non causset involuntarium, sed magis facit aliquid voluntarium. Dicitur enim aliquid voluntarium ex eo, quod voluntas in id fertur. Per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id, quod concupiscit. Et ideo concupiscentia magis facit ad hoc, quod aliquid sit voluntarium, quam quod sit involuntarium.* Confundendum tamen non est *voluntarium* cum *libero*: sua quippe in hoc, de quo agimus, inter utrumque diversitas est. Nam voluntarium situm est in inclinatione voluntatis cum cognitione finis, adeoque quo major inclinatio est, eo voluntarium est intensius. Verum si hoc voluntarium consideretur ut *liberum*, quum libertas judicii indifferentiam exigat, concupiscentia antecedens, maxime si vehemens sit, obscurare hocce judicium potest, ac solet, adeoque diminuere libertatem, simulque malitiam. Hanc doctrinam pluribus in locis tradit S. Th. et praesertim q. 3. *de malo* art. 2.

XIV. *An et quaenam ignorantia causset involuntarium.*

Quarta involuntarii caussa ignorantia est. De ignorantia plura a nobis alibi dicta sunt, quae hic repetere non est opus. Quaedam tamen animadvertam, ut D. Th. quam hic tradit, doctrinam, quoad praesens attinet argumentum, exponamus. Primo itaque sapienter notat S. Th., quod *ignorantia non habet caussare involuntarium, nisi ea ratione, qua privat cognitionem, quae praeexigitur ad voluntarium: non tamen quaelibet ignorantia cognitionem privat.* Quaenam igitur est ignorantia, quae tollit cognitionem ad voluntarium requisitam? Triplicem illi ignorantiam distinguit concomitantem, consequentem, et antecedentem. *Concomitans* est, quae ita operi, quod agitur, est conjuncta, ut etiamsi abesset, et cognitio haberetur, actio fieret. Haec neque opus efficit voluntarium, neque involuntarium; sed tale relinquit, quale ceteroqui futurum erat. *Consequens* ea dicitur, quae judicium rationis, ac motum voluntatis consequitur, et a libera voluntate procedit, unde et *voluntaria* appellari solet. Hanc S. Th. dividit in voluntariam *directe* et *indirecte*. Directe *voluntaria* est, in quam voluntas *directe* fertur sicut quum aliquis vult ignorare, sive ut excusationem habeat peccati sui, sive ut ab opere non retrahatur. *Indirecte* voluntaria est, quoties etsi aliquis actu non eligat ignorare, nescit tamen id, quod scire potest, ac tenetur. *Antecedens* demum vocatur, quae voluntatis consensum, aut motum omnino antecedit, adeo ut nullo modo sit voluntaria nec directe, nec indirecte, et tamen est homini caussa volendi, quod alias non vellet.

Ut igitur de proposita quaestione quidpiam dicamus, ignorantia *consequens* (nam de *concomitante* jam diximus), quaecunque ea sit sive non affectata, sive malae electionis, aut crassa, et supina, caussare non potest *involuntarium* simpliciter. Quoniam illud simpliciter voluntarium est, quod consideratis omnibus, hic et nunc aliquis vitare potuisset, ac debuisset. Porro opus, quod ex hac ignorantia proficiscitur, omnibus diligenter inspectis, vitare poterat, ac debebat, qui illud peragit. Solum itaque superest, ut ea ignorantia, quae involuntarium simpliciter caussat, sit ignorantia *antecedens*. Siquidem si adesset cognitio, vel scientia huic ignorantiae opposita, ipsa impediret effectum; ac proinde ignorantia, quae talem scientiam, aut cognitionem removet, est caussa illius effectus, caussa, inquam, eo modo, quo removens prohibens caussa vocari solet. Ignorantia autem consequens licet non causset involuntarium, simpliciter potest tamen diminuere peccatum, quatenus diminuit ipsum voluntarium: quemadmodum enim metus licet *simpliciter* voluntarium relinquat actum, *involuntarium* tamen quadantenus caussat; ita de ignorantia consequente dicendum est. Hinc sequitur, quod ignorantia *indirecte*, aut *per accidens* volita peccatum minuat, quoniam haec est minus voluntaria, quam *directe* intenta, quae ideo potius, sicut auget voluntarium, sic etiam auget peccatum. Reliqua de ignorantia legi, possunt in Tractatu superiore.

Consectaria.

I. *Quando mors infirmi, imputetur medico.*

Indirecte voluntaria censetur Medico vel Chirurgo mors infirmi, vel corpore laesi, si morbum, vel vulnus sibi ad curam commissum ea, qua par est, diligentia, ac sedulitate curare negligant unde mors illius consequatur; quemadmodum et ipsi infirmo voluntaria *indirecte* mors est, si necessariis Medici praeceptionibus saltem communiora remedia praescribentibus parere detrectat. Idem dicendum de damnis temporalibus, quae clienti obveniunt, ex ignorantia, aut negligentia Advocati, vel Judicis; sicut etiam de damnis spiritualibus obvenientibus poenitenti, aut parochiano ex ignorantia, vel negligentia Confessarii, vel Parochi. Idem quoque asserendum de relapsu in priora peccata, qui indirecte voluntarius poenitenti est renuenti se subjicere salutaribus remediis, quae ipsi praescribuntur a prudenti Confessario, qui ea tamquam omnino necessaria puta ad relapsum evitandum. Aliena quoque ebrietas *indirecte* voluntaria dicenda est Cauponibus, qui sine gravi detrimento recusare volentes vinum ministrant iis, quos ebrietate proximos cernunt, atque adeo inebriandos praevident.

II. *In actibus imperatis mere violentis, neque meritum est, neque demeritum.*

In actibus voluntariis, quos in hac vita exercemur, sive sint eliciti, sive imperati, invenitur meritum, ac demeritum; sed in actibus imperatis mere violentis neque meritum est, neque demeritum, ac neutiquam imputantur ad laudem, aut vituperium sicut in foro divino, sic neque in humano, ut manifestum est ex Cap. *Presbyteros*, D. 50. et ex Cap. *Majores*, tit. *de Baptis.* ubi nihil peccasse dicuntur, quorum manus fuerunt violenter attractae, et Idolorum sacrifi-

ciis adhibitae. Ut tamen quod per violentiam efficitur, ad culpam non adscribatur, oportet, quod violentia sit talis simpliciter, et absolute, adeo ut qui vi E. C. compellitur obsequium praestare Idolo, nedum mente adorationi repugnet, sed exterius etiam quoad potest, renitatur. Si enim, quantum in se est, huic actui non resistat, haud violentiam simpliciter patitur. Proinde hujusmodi adoratio tamquam *indirecte* volontaria censetur, et grave peccatum. Idemque judicium ferendum est de Virgine, quae vi opprimeretur, repugnans quidem animo nefario facinori; sed vel clamore, vel etiam viribus non reluctans eo modo, quo posset, ac deberet reluctari.

III. *Quae ex metu fiunt sunt involuntaria* secundum quid.

Quamquam quae fiunt ex metu *simpliciter* et *absolute* voluntaria sint, involuntaria tamen sunt *secundum quid*, ac veluti conditionate, adeo ut, sublato casu illo, non fieret, quod solum ex metu fit: sicut merces in mare non projicerentur, nisi naufragium ex tempestate impendens ad id non urgeret. Unde actiones hujusmodi, ut ait S. Thom., *mixtae sunt ex voluntario,* et involuntario*. Hinc ea, quae ex metu fiunt, quamvis intrinsece mala, minus gravia absolute reputanda sunt, intra tamen limites peccati lethalis, spectata gravitate materiae: minuit enim metus voluntarium, et libertatem, et quamdam secum adfert displicentiam actionis in eo, qui ex illo metu aliquid facit, ceteroquin non facturus.

IV. *Concupiscentiae motus an voluntarii, et culpabiles sint.*

Concupiscentiae motus, quia ordinarie loquendo non auferunt cognitionem, neque consequenter auferunt voluntarium saltem indirectum, atque adeo culpa non vacant; sed si totam omnino corrumperent cognitionem, nulla culpa praecedente, neque voluntarii forent, neque culpabiles. Ita S. Th. art. 7. ad 3. Quoniam vero materies isthaec scitu necessaria permaxime est propter frequentes, qui in nobis exurgere solent, concupiscentiae motus, triplex cum eodem S. D. concupiscentiae motuum genus distingui debet. Alii ex sola corporis dispositione, et qualitate dimanant, quos voluntas impedire nequit, aut in ipsos suum exercere dominium, utpote naturaliter, et necessario insurgentes: et ii tantummodo juxta communem locutionem appellari solent, ac debent *primo primi*, qui idcirco omni culpa carent, quoniam poenitus *involuntarii* sunt; adeoque etiam in viris sanctissimis locum habent. Alii sunt, qui insurgunt in nobis ex apprehensione sensus, seu sentientis appetitus, vocanturque frequentius *secundo primi*, qui non omnino *involuntarii* dici queunt, atque adeo neque culpae omnis expertes, quatenus praeveniunt quidem rationis deliberationem, sed tamen quia poterant a voluntate impediri, si nempe applicuisset animum ad alia objecta spiritualia, et divina, si vigilantior fuisset in custodia sensuum etc. ideo culpa non carent: sed quia hujusmodi motus illecebrosi in solo sistunt sentiente appetitu, nec ad attrahendum voluntatis consensum perveniunt, imperfecte *involuntarii* sunt, adeoque et imperfecte peccata, nimirum venialia. Demum sunt alii motus concupiscentiae, qui *perfecte voluntarii* dicuntur; ac proinde, posita objecti gravitate, peccata lethalia, quibus nempe voluntas consensum praestet, quive ex ipsius voluntatis imperio, aut deliberatione proceduut sive *directe*, sive *indirecte*, ut jam dictum est.

V. *Ignorantia voluntaria duplex peccatum est.*

Ignorantia, quae est voluntaria sive *directe*, sive *indirecte* non solum peccatum est ratione actus voluntatis, sed etiam ratione omissionis diligentiae debitae sciendi, adeo ut utrumque peccatum sit et omissio debitae diligentiae, et ipsa ignorantia consecuta. Id diserte tradit S. Th. hic art. 2. ad 3. *Sicut,* inquit, *in peccato transgressionis peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu volito, qui est imperatus a voluntate; ita in peccato omissionis non solum actus voluntatis est peccatum. sed etiam ipsa omissio, in quantum est aliqualiter voluntaria. Et hoc modo ipsa negligentia sciendi, vel etiam ipsa inconsideratio est peccatum.*

CAPUT II.

De actuum nostrorum oeconomia, deque eorundem bonitate, atque malitia.

I. *Harmonia et ordo actuum humanorum describitur.*

Antequam dicamus de bonitate ac malitia actuum humanorum, admirabilem actuum voluntatis harmoniam, atque ordinem tum *intentionis*, tum *executionis* describendum censemus. De his fuse disserit S. Th. hic 1. 2. a q. 10. ad 18. Primum officium, sive actus est *simplex cognitio finis* allicientis voluntatem, qua ejus amabilitas, et convenientia proponitur. *Nihil* quippe, ut jam est in proloquio, *volitum quin praecognitum.* Huic simplici, finis cognitioni respondet *simplex volitio finis*, quae etiam appellatur *voluntas*, actus nomine potentiae tributo. Haec in sola complacentia sistit, illumque in se a mediis sejunctum diligit; unde et *velleitas* dicitur, sive volitio languida, torpens, et inefficax. Haec, quum sit primus voluntatis fructus, quo voluntas incipit in actum prorumpere, indiget aliquo motivo, quo in lucem emittatur; idque potiori jure ei convenit, quam aliis actibus, qui, quum praecedentium actuum apparatum supponant, habent in illis, a quibus moveri possint. Volitionem simplicem finis comitatur *efficax intentio* illius, quae respuit finem non absolute tantum, et in semetipso, sed in ordine ad media: ex hoc etenim a *simplici volitione* secernitur, quae sola attingentia finis contenta est; intentio vero respicit finem, prout est ratio volendi media, et quatenus per media comparari potest. Quapropter in finis intentione virtualiter, et implicite appetuntur media. Intentionem sequitur *Consilium*, quod est discursus quidam intellectus practici inquirentis media ad obtinendum finem, et de eorum convenientia judicantis. Itaque *consilium* duo significat in homine, *inquisitionem*, et *judicium* de mediis, quae inquisitio supponit, media non esse determinata sed incerta ac dubia: nam quae determinata sunt, sub inquisitione non cadunt. Consilii inquisitioni, et judicio succedit *consensus voluntatis approbans media proposita*, eaque acceptans tamquam utilia, et fini praeintento cousequendo idonea; qui actus distinguitur ab electione unius medii prae alio. Consensui proxima est *electio mediorum*, qui voluntatis actus est versans circa media, quorum unum prae alio acceptat relate ad consequendum finem. Dicitur *actus voluntatis*; quamvis enim electio praesupponat actum rationis ordinantis, confe-

rentis, et mediorum utilitatem ponderantis, in ipsa tamen voluntate consummatur, et ab ipsa elicitur. Electioni comes est *imperium*, cujus munus est intimare mediorum executionem. Hic actus hoc habet peculiare prae ceteris, quos descripsimus, quod hi interiores sunt, et intra intellectum, et voluntatem sistunt; *Imperium* vero, quod est actus intellectus veluti foras erumpit, ceterisque potentiis tum internis, tum externis executionem intimat, ac jubet, quemadmodum pulcre declarat S. Th. hic q. 17. art. 3. ad 1. hunc imperii actum sequitur *usus activus*, quo voluntas applicat facultates exteriores ad executionem juxta exigentiam et difficultatem rerum, et negotiorum, quae occurrunt, et finis praeintenti naturam. Demum omnium nostrorum actuum oeconomiam perficit *executio*, seu *fruitio finis*, qui actus intellectus est, non voluntatis, cujus siculi proprium est desiderare finem possidendum: ita et in ejus possessione quiescere, sive fine jam acquisito, et possesso frui. Haec attigisse sufficiat de mirabili nostrorum actuum harmonia.

II. *Moralitas humanorum actuum, in quo sita sit.*

De bonitate, et malitia actuum humanorum in genere disserit S. Th. tota q. 18. 1. 2. in undecim articulos distributa, ex quibus quae in rem nostram magis necessaria sunt, seligemus. Illudque primo praemittendum existimo, sive potius recolendum. Moralitatem humanorum actuum sitam esse *in ordine, et conformitate, sive difformitate ad regulas morum*, ut perpetuo docet S. Thom. et graviores quique Theologi. Unde si actus humanus conformis sit regulis morum, erit actus moraliter bonus; si autem ab iis dissentiat, moraliter malus. Duae autem, ut ab initio dictum est, sunt morum regulae, *lex* scilicet, et *ratio*. Lex, inquam, *aeterna Dei*, a qua profluunt ceterae quaecunque leges, et *ratio humana*: illa extrinseca est, atque remota, altera proxima, et intima. Quare sicut bonitas, ita et malitia humanorum actuum ex utraque pendet, ac malus semper actus est; dum alterutri non consentit. Porro hisce regulis actio humana conformis non est, aut difformis, nisi mediante objecto, a quo speciem suam depromit, adeoque S. Th. hic a. 2. statuit, humanum actum ex objecto primariam, atque specificam habere bonitatem, vel malitiam; quia *sicut*, inquit, *res naturalis* habet speciem ex sua forma, ita actio habet speciem ex objecto, sicut et *motus ex termino*.

III. *Circumstantiae actuum humanorum.*

Praeter hanc primam moralitatem, quae naturam, sive speciem constituit moralis actionis, aliae sunt sive bonitates, sive malitiae *accidentales*, quae reputantur a circumstantiis. Quid sit circumstantia explicat S. Th. dicens: *Quaecunque conditiones sunt extra substantiam actus, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, circumstantiae dicuntur.* Quaenam autem sunt hujusmodi circumstantiae, quas magna cura considerandas a Theologis esse ostendit S. Th. art. 3.? Quum variae recenseri ciscumstantiae soleant, tum plausibilior est enumeratio, quam ex Philosopho adfert S. Th. art. 3. et hoc versiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

additque, quod sub secunda, quae dicitur *quid*, comprehensa intelligitur ea, quam Philosophus vocat *circa quid*. Prima particula *quis*,

quatenus circumstantia est, non denotat neque caussam effectricem, neque substantiam personae agentis, sed ejus statum, aut conditionem; veluti an is, qui agit, laicus sit, an Religiosus, Praelatus, Episcopus, Matrimonio junctus, solutus, juvenis etc. non autem hic, aut ille homo, Petrus, aut Paulus etc. *Quid* pariter non hic significat substantiam actionis, aut objecti, sed qualitatem, aut quantitatem. Hinc etiam *circa quid* non intelligitur ipsa materia, vel objectum actionis, sed aliqua ipsius conditio qualitatem, vel quantitatem importans; e. g. an detractio levis, aut gravis sit, an de Superiore, Praelato etc. *Ubi*, et *quando* non accipiuntur hic pro nudo loco, vel tempore secundum se spectatis, sed specialem indicant loci vel temporis qualitatem. V. g. an locus, ubi furtum, vel homicidium, vel fornicatio commissa est, sacer sit: an tempus, quo opus servile factum est, *festivum* fuerit: quaedam enim uno loco vel tempore prohibentur, non alio. Quaedam etiam ratione loci vel temporis specialem, aut graviorem malitiam contrahunt. *Quibus auxiliis* circumstantia est designans media, et instrumenta, queis actio humana perfecta est; v. g. an ad malum perpetrandum usus quis fuerit ope Daemonis, vel alterius hominis, an ad pellicendam aliquam in fornicationem auxilium lenonis, an rem sacram ad prophanas res adhibuerit etc. *Cur* denotat finem extrinsecum actionis, aut operantis, qui adjungitur fini, qui vocatur *intrinsecus*, et ab ipso objecto non differt; unde etiam appellari solet finis remotus, ut si quis oret propter vanam gloriam, si quis furetur, ut se inebriet, aut fornicetur. Postremo *quomodo* non insinuat modum, qui est essentialis actui humano, quatenus moralis est, nempe quod bene, vel male in genere fiat: sed aliam quamdam conditionem pertinentem ad qualitatem actus, ut quod actio fiat per insidias, intense, vel remisse, naturaliter, vel contra naturam etc.

IV. *Ordo praeeminentiae inter circumstantias.*

Ordinem autem praeeminentiae considerans S. Thom. art. 4. inter hasce circumstantias resolvit, primatum tenere circumstantiam *cur*, sive *propter quid*, sive *cujus gratia*; sequi deinde in dignitate ipsum *quid*: ceteras autem magis, minusque principales esse, prout ad duas illas propius, aut minus prope accedunt. Duplex porro distinguendus est finis; finis nempe *operis*, et finis *operantis*. Finis *operis*, qui etiam dicitur finis *proximus*, idem est ac *objectum* actionis, adeoque intrinsecus actioni, eidemque tribuens speciem propriam, ac primariam: et de hoc fine modo non loquimur. Loquimur ergo de fine *operantis*, qui actioni extrinsecus est, neque ipsi propriam speciem communicat; sed est circumstantia operis ab operante relata in finem, qui circumstantiarum omnium principalissima est: et ab hoc fine docet S. D., actiones humanas desumere bonitatem, et malitiam *praeter bonitatem, et malitiam absolutam, quae in eis existit* ex objecto.

V. *Non est actio bona, nisi bonitates omnes concurrant.*

Animadvertendum hic est, ad rationem actus simpliciter, et vere boni minime sufficere, ut ex aliqua parte bonus sit; v. g. ex objecto, ex circumstantiis, aut ex fine, nisi bonitates omnes in eo concurrant, adeout si aliqua ex parte malus sit, totus malus dici debeat, ut tradit aperte S. Th. art. 4. ad 3. ubi ait: *Non est actio bona sim-*

pliciter, nisi omnes bonitates concurrant; quia quilibet singularis defectus caussat malum: bonum autem caussatur ex integra caussa.

VI. *Datur actus indifferens in specie, non autem in individuo.*

Verum ad quaestionem aliam convertamus animum, de qua S. Th. pertractat tum 8. tum 9. art. hujus quaest. 18. spectatque actus indifferentes. Et quidem admittendos esse actus indifferentes secundum speciem suam, qui nempe, spectato eorum objecto, nec boni sint, nec mali, certum est, et probat ibidem S. Th. Sed si humani actus considerentur *in individuo*, sive quatenus ab homine fiunt, constans est S. Th., et Thomistarum omnium, quemadmodum et meliorum quorumcunque Theologorum sententia, nullum actum, qui ex deliberata ratione procedit, esse indifferentem, sed aut moraliter bonum, aut moraliter malum. Dico, *actum ex deliberata ratione procedentem*, sive deliberatum, et humanum. Qui enim non ex deliberata ratione proveniunt, sed vel ex quadam imaginatione, aut impulsu naturali, ut motio pedis, vel manus, fricatio barbae etc. nemo negant, nec bonos, nec malos esse moraliter, quum nec ipsi actus humani sint, ac morales. Haec autem S. Thom. sententia pluribus nititur, iisque gravissimis momentis, quorum aliqua attingam.

VII. *Probatur expositum, ex auctoritate Christi Domini.*

Et primum quidem repetitur ex celebri auctoritate Christi Domini apud Matth. 12. ita dicentis: *Omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Ex quibus sic argumentum conficio: De omnibus deliberatis factis in die judicii aeque oportet nos rationem reddere, sive ut justificemur, sive ut condemnemur, ac de omnibus deliberatis verbis. Sed de omnibus deliberatis verbis nobis ratio reddenda est coram supremo judice. Nulla igitur sive facta, sive verba *in individuo* indifferentia sunt, sed omnia vel bona, vel mala. Si qua enim in individuo indifferentia essent ad bonitatem, vel malitiam, ad justificationem, vel condemnationem, forent otiosa verba. Quid namqne verbi *otiosi* nomine intelligendum venit, aut intelligunt Ecclesiae Patres? Haud certe verbum ex se, aut natura sua malum, nocivum, mendax, blasphemum, impium etc. prout juniores aliqui interpretantur. Siquidem nullam vim haberet argumentum, quo eo loci ex verbo otioso probat Christus Dominus potiori titulo reddendam esse in die judicii rationem de verbis nocivis, mendacibus, detractoriis etc. quibus Pharisei ipsum calumniabantur. Hinc S. Ambrosius ita arguit lib. 1. Offic. c. 2. *Si pro otioso verbo ratio poscitur, quanto magis pro sermone impietatis, et blasphemiarum?* Quodnam ergo *otiosum* verbum existimandum est? Iidem SS. Patres nobis declarantur, illud esse, quod non refertur ad aliquem bonum finem. *Otiosum verbum est*, illud perspicue definit S. Greg. Magn. Hom. 6. in Evang. *quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justae necessitatis caret,* adeo ut pro fine quidpiam non habeat ed aedificationem. Immediate namque subjicit: *Otiosa ergo colloquia ad aedificationis studium vertite.* Idem docent Origenes hom. 1. in Psal. 38. S. Hieronymus in cap. 4. Epist. ad Ephes. S. Basilius in Reg. ad inter. 23. et S. Bernardus tract. de Vita solit. Concludendum igitur, ex laudata Evangelii sententia invicte probari, nullum actum, aut verbum ex deliberata ratione profectum indifferens esse, sed aut bonum, aut malum, prout est ejusdem finis.

VIII. *Evincitur etiam S. Thomae rationibus.*

Atque in hoc praecipue consistit ratio, qua S. Th. in hoc art. 9. efficaciter probat positam assertionem, quam, quum clarissima sit, juvat ejusdem verbis afferre. » Oportet, inquit, quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur » ad bonum, vel malum ad minus ex parte intentionis finis. Quum » enim rationis sit ordinare, actus a deliberativa ratione procedens, » *si non sit ad debitum finem ordinatus*, ex hoc ipso, repugnat rationi, et habet rationem *mali*. *Si vero ordinetur ad debitum finem,* » convenit cum ordine rationis; unde habet rationem *boni*. Necesse » est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum, bonum esse vel malum ». Subdit autem apposite, quod initio jam notavimus: *Si autem actus non procedit a ratione deliberativa, sed ex quadam imaginatione: sicut quum aliquis fricat barbam, vel movet manum, aut pedem, talis actus non est proprie loquendo moralis, vel humanus, quum hoc habeat actus a ratione. Et sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens.* Alia plura in eamdem rem proferre argumenta possem, quae lubens praetermitto.

IX. *Omnis actus humanus fieri debet ob finem honestum.*

Praeceptum itaque est, illudque naturale, sive in primis principiis homini inditis fundatum, ut quoties homo deliberate agit, agat ut homo, sive ob finem rationi convenientem, qui alius non est praeter honestum. Et quamquam praeceptum hocce affirmativum sit, semper tamen obligat, quoties deliberate agimus, quia universale est pro actionibus omnibus, adeoque includit *negativum*, quo prohibetur, quidpiam agendum esse nisi juxta finem homine dignum. In hoc conveniunt Theologi omnes, quibusdam exceptis laxioris Ethices patronis: teneri scilicet nos actiones quaslibet nostras, dum deliberate agimus, in aliquem honestum finem referre, adeo ut si nullo modo in eum referant, malae sint, et aliqua saltem veniali culpa infectae.

X. *Omnis actio, ad Deum referenda est.*

Non omnes obligationem referendi easdem in finem ultimum Deum agnoscunt; putantque plures ex iis satis esse, ut in Deum sint *referibiles*, sive quod hujusmodi sint, ut in Deum referri possint, quamvis ab agente non referantur nec *actualiter*, nec *virtualiter*. Sed alii permulti, sin numero, authoritate, meo facile judicio, potiores contendunt, haud sufficere, ut actus nostros referamus in finem honestum, adeoque sint solummodo in Deum *referibiles;* sed obligationem ulterius esse, ut eos in finem ultimum, Deum scilicet, actu, vel virtute referamus ex aliquo amore erga ipsum, aut ex charitate saltem, quam vocant *justificante minorem*, quamque admittendam omnino esse alibi manifestum fiet. Atque hanc sententiam praeter alios plures ex antiquis Theologis, quorum aliqui Concilio Tridentino interfuerunt, tradunt disertissime plures Catechismi in Ecclesia probatissimi, et ipse Catechismus Romanus p. 4. c. 13. tradunt duo Duacensis Academiae splendidissima lumina Estius, et Sylvius, ac tota Lovaniensis Theologica facultas.

Huic sententiae ego quoque lubens accedo, eamque defendo tanquam sacris Libris, et Patrum doctrinae conformiorem, et doctrinae

etiam S. Th., quos ille fidelissime secutus est. Praeceptum ergo admittimus, et admittendum putamus actiones nostras referendo in Deum, quod tametsi *affirmativum* dici queat, *negativum* tamen involvit, adeoque obligat *semper*, et *pro semper*, non quidem sub lethali, sed sub veniali culpa; ut nempe nihil deliberate operemur, quin illud in Deum referamus, tanquam in ultimum finem nostrum: atque haec relatio necesse non est, quod *actualis* sit, sed satis est *virtualis*, eo modo quo plura agimus propter finem, licet de ipso actu non cogitemus.

XI. *Probatur expositum, Scripturis et interpretatione Patrum.*

Haec sententia sic exposita, ut jam dixi, conformior est tum sacrae Scripturae, tum Ecclesiae Patribus. Ex Scriptura unum duntaxat textum profero, aliis praetermissis. Apost. ad Corinth. c. 10. ait: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Plana sunt, atque perspicua hujusmodi verba. Omnes actus nostros comprehendunt, nullumque prorsus excipiunt, ut constat tum ex eo, quod Apostulus ait: *sive aliud quid facitis*; tum ex verbo *omnia*; tum ex eo, quod si vult, ut etiam esum, et potum, quae sunt actiones infimae; et animalium propriae, referamus in Deum, multo magis referendae erunt aliae quaecunque actiones nobiliores, et homini convenientes. Omnes igitur humanos actus jubet Apostolus, ut in gloriam Dei faciamus. *Jubet*, inquam, non merum consilium praebet, ut contendunt adversarii. Nam 1. verbum *facite* imperativum est, *quod*, dum materia patitur, et locutionis circumstantiae non obstant, obvie, et literaliter imperium, seu praeceptum denotat, nec nisi violenter ad merum consilium detorquetur. 2. Deinde textus antecedentes, et consequentes satis coarctant verbum *facite* ad imperium. Nam in contextu immediate antecedente prohibet Apostolus cum infirmorum fratrum scandalo idolothyta comedere; et in immediate subsequente jubet, sine offensione esse Judaeis, Gentibus, et Ecclesiae Christi; adeoque et textum intermedium, *sive ergo manducatis* etc. eodem modo imperativo accipere par est; qua voce *ergo* significatur, documentum istud inferri ex textu praecedente, qui de praecepto loquitur.

Textum hunc de praecepto interpretantur Ecclesiae Patres. Basilius in Reg. fus. interr. 5. ait: » Christianus, si actiones suas omnes, sive » majores, sive minores ad Dei voluntatem direxerit etc. Apostoli » *praecepto* illi satisfacit: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid* » *facitis, omnia in gloriam Dei facite* ». Juxta quod tota Ecclesia graeca in quadam oratione publica relata a Goario in suo Euchologio Deum ita precatur; *Domine, qui per Apostolum tuum Paulum omnia in gloriam tuam nos facere praecepisti* etc. S. Augustinus in eundem sensum saepe accipit Apostoli verba, itaut de ejus mente omnino dubitare nefas sit. Idem sentiunt Origenes lib. 10. in Epist. ad Rom. Hieron. Epist. ad Ctesiphont. et alii Patres.

XII. *Probatur auctoritate etiam D. Thomae.*

Omissis momentis aliis tum ex Scriptura, tum ex Patribus, solum paulisper immorabor in doctrina D. Th. amplius confirmanda, quum ex ea fundamentum hujus sententiae praecipuum eruatur. Itaque principium, ac doctrina D. Th., quam tradit tum hac 1. 2. tum alis

in locis, haec est, quod sicut Deus est ultimus finis hominis, ita in hunc finem dirigenda sit omnis actio hominis operantis, prout homo est, sive ex deliberatione rationis, atque adeo nunquam bona sit voluntas humana, nisi tendat in hunc ultimum finem, ut docet 1. 2. q. 19 art, 9. et 10. Atque hinc q. 21. art. 4. considerando meritum, et demeritum absolute, et in genere, non prout vitae aeternae haec scribit: *Utroque modo actus nostri boni, vel mali habent rationem meriti, vel demeriti apud Deum. Ratione quidem ipsius, in quantum est ultimus hominis finis. Est autem debitum, ut ad finem ultimum omnes actus referantur.* Ex quo subinde in resp. ad 3. colligit discrimen inter ordinem, quem habet homo agens, ad Communitatem et ad Deum inquiens: » Dicendum, quod homo non ordinatur ad » Communitatem politicam secundum se totum, et *secundum omnia* » *sua*; et ideo non oportet, quod quilibet actus ejus sit meritorius, » vel demeritorius per ordinem ad Communitatem politicam. Sed » *totum* (N. B.) *quod homo est, et quod potest, et habet, ordinan-* » *dum est ad Deum. Et ideo omnis actus hominis bonus vel malus* » *habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum, quantum est ex* » *ipsa ratione actus* ». Haec ex S. Th. deducta ratio, et verbis ejusdem firmata plane apodictica pro nostra sententia mihi videtur.

Consectaria.

I. *Circumstantiarum cognitio, Theologis apprime necessaria.*

Perfecta circumstantiarum cognitio apprime necessaria Theologis est, ac praesertim Confessariis, ut populum docere valeant, quas in Confessione exprimere debeant, quas utile tantum sit, et quas etiam nec exprimere oporteat, nec utile sit, quemadmodum saepe contingit in circumstantiis carnalia peccata spectantibus. Necessaria item ea cognitio est, ut poenitentes docere possint, quinam ad restitutionem obstringantur, *quid, ubi, quantum, quo loco, quo modo, quo ordine* illam exequi debeant: ut interim omittamus, quod de iis, qui ad casus conscientiae pertinent, rectum judicium fieri nequeat absque notitia, et distinctione circumstantiarum, quemadmodum nec sana praebere consilia.

II. *Requiritur, ut circumstantiae debeant adesse, ut actui bonitatem, vel malitiam tribuant.*

Requiritur ut plurimum, quod circumstantiae debeant adesse, ut actui bonitatem, vel malitiam tribuant: quod ita explicari potest. Ut actio moralis mala sit, oportet, quod circumstantia, ob cujus absentiae defectum actio mala est, debuerit adesse, ac sufficit vel unam deesse circumstantiarum ex his, quae ex praecepto adesse debebant. Ut autem actio sit bona, non sufficit, quod habeat solas circumstantias ex praecepto debitas, sed necesse est, ut omnes omnino habeat, quae ad actionem ipsam, aut ejus objectum pertinent. His vero si aliqua alia circumstantia adjungatur, quae non ex praecepto debita sit, sed tamen absolute bona, haec bonitatem aliquam addere poterit, sed ejus absentia nullam addet malitiam.

III. *Aliquando circumstantia, tribuit speciem morali actui.*

Etsi bonitas, aut pravitas specifica actionis humanae desumatur ex objecto; aliquando tamen etiam circumstantia constituit moralem

actum in specie boni, vel mali. Quotiescunque enim aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis, sive sit conformis, sive sit dissentanea huic ordini, tribuit speciem actui morali, vel bono, vel malo. Sic *locus* circumstantia quaedam est: sed quia ratio praecipit, non esse inferendam injuriam loco sacro, idcirco furtum in loco sacro specialem malitiam tribuit furto a malitia furti diversam. Atque haec doctrina tamquam dogma catholicum tenenda est, quum in sacro Concilio Tridentino definitum sit, circumstantias, quae speciem peccati mutant, Confessioni Sacramentali subjiciendas esse.

IV. *Sententia asserens, dari actum indifferentem in individuo, virtualiter, et implicite damnata.*

Innocentius XI. duas sequentes propositiones damnavit. Prima in ordine *octava* est: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Altera vero in ordine *nona* sic effert: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa, ac defectu veniali.* In his duabus propositionibus damnatis absolute et generatim dicendum est *virtualiter* et *implicite* contineri damnationem sententiae asserentis, dari actus indifferentem in individuo. Eae enim damnatae non sunt ob aliquam immoderatam voluptatem sive in comestione, sive in opere conjugali quaesitam: nam nemo Theologorum est, qui docuerit, comestionem, et conjugalem voluptatem immoderatam omni etiam veniali culpa carere; rationemque doctrinae suae hanc solam afferebant Theologi illas docentes. Quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. Si ergo nihilominus damnatae ab Ecclesia fuerunt, jam sola voluptas in his actionibus percepta et quaesita damnabilis judicata est, *nec licet appetitui naturali suis actibus frui*, quin eos referat in altiorem finem, et homine dignum. Porro si in hisce actibus non relatis in honestum finem culpa aliqua admittenda est, eadem procul dubio militat ratio de ceteris quibuscunque actibus, si in eis sistat homo, nec referat in honestum finem; adeoque nullus actus deliberatus indifferens est, sed aut bonus, aut malus: bonus si referatur, malus, si non referatur. Quare audiendus non est P. Viva dum num. 13. sui Commentarii scribit: *Ex dictis sequitur, ex condemnatione harum propositionem nullatenus concuti opinionem de possibilitate actus moralis indifferentis in individuo.* Quemadmodum nec alii plures, qui docent, moderatum amorem voluptatum sensibilium propter se volitum licitum esse, solumque immoderatum prohiberi. Nulla enim delectabilia, quae in usum hominis veniunt, in ordine rerum habent rationem *finis*, sed *medii* ordinati ad aliquam vitae necessitatem.

V. *Vigilantia opus est, ne alium finem, quam honestum nobis praefigamus.*

Peculiari vigilantia opus est, ne in actionibus nostris alium finem, quam honestum nobis praefigamus, ut innumeras saltem veniales culpas devitemus, neve loco honestatis solam voluptatem, aut delectationem nostram consectemur. Immo nedum quaerere minime licet solam voluptatem propter seipsam, sed neque finem alium ab honesto diversum, qui rationem finis habere nequit, scilicet utilitatem; aliumve similem. Quare illicitum est amare pecuniam propter

seipsam: haec enim solius *medii* rationem habet; vel temporalem honorem, aut gloriam, in iis sistendo. Quapropter rejicienda doctrina eorum est, qui docent, licitum esse operari praecise ad acquirendam pecuniam; vel cum Excobario tract. 1. Exam. 8. affirmant, ne venialis quidem culpae ream esse mulierem se ornantem *propter naturalem fastus inclinationem.*

VI. *Homo Christianus, agere debet propter Dei gloriam.*

Homo, ut homo est, quoties deliberate agit, agere debet propter finem hominis proprium; ita homo christianus agere debet propter finem proprium Christiani, sive propter Dei gloriam, ita ab ipso exigente vocatione sua. Hinc instruendi sunt a Sacerdotibus, et Confessariis fideles omnes, et efficaciter hortandi, ut statim ac de lecto surrexerint, seipsos, omniaque illius diei opera offerant, et in Dei gloriam, et honorem referant. Ita quippe facile fiet, ut pia illa intentio constanter persistat, saltem virtualiter, per totam diem: ad quod plurimum inserviet, si eam quandoque repetant, maximeque dum novum aliquod opus adoriri oporteat. Illud vero est animadvertendum, satis non esse, ut opera nostra etiam saapissime in Deum referamus, si in Deum referibilia non sint. Quod enim inordinatum, aut aliquo modo culpabile est, in Deum referri non potest. Sic immoderatae delectationes in cibo et potu, in ludis aliisque similibus, sic nimium studium augendi res proprias, et id genus alia, quae culpa non carent, non ex eo, quod referantur etiam actu expresso in Deum, recipiunt bonitatem, et meritum; quoniam in ipsum referibilia non sunt; et quum ea referimus, ipsi Deo potius illudimus, quam quod probari ab illo valeat, offeramus. Vel ergo hujusmodi opera ex se bona sint oportet, vel saltem ex objecto suo indifferentia.

CAPUT III.

De bonitate, et malitia in particulari actuum voluntatis tum interiorum, tum exteriorum.

I. *Complacentia simplex, distinguitur dupliciter.*

Simplex volitio, sive complacentia rei tum bona, tum mala est, sicut ipsum objectum, quod respicit. Si enim objectum bonum sit, et ipsa quoque est bona; ut si quis considerans Deum sibi in ejus bonitate, aliarumque perfectionum pelago complaceat, ac delectetur. Si vero pravum objectum sit, ipsa quoque prava est. Cum hac simplici complacentia confunditur delectatio ab appetitu percepta de ipsa re, sive objecto, quemadmodum et desiderium inefficax ejusdem; quae ab ipso objecto bonitatem, vel malitiam contrahunt. De his, practicae quaedam regulae statuendae sunt, horum actuum malitiam praecipue spectantes: ad quarum clariorem intelligentiam praenotandum est, duplicem distingui a S. Th. q. 31. a. 4. complacentiam, sive delectationem; aliam *quae est in appetitu intellectivo, sive in voluntate, quae dicitur gaudium:* aliam *in appetitu sensitivo;* et vocatur *delectatio corporea. Hoc autem interest inter delectationem utriusque appetitus, quod delectatio appetitus sensibilis est cum aliqua transmutatione corporali; delectatio autem appetitus intellectivi nihil aliud est, quam simplex motus voluntatis.*

II. Regula prima: *Non omnis delectatio, etiam sentientis appetitus, ex se mala dicenda est.*

Id statuit S. Th. 1. 2. qu. 34. a. 1. » Bonum enim, inquit, et » malum in moralibus dicitur secundum quod convenit rationi, vel » discordat ab ea: sicut in rebus naturalibus aliquid dicitur *naturale* » ex eo, quod naturae convenit: *innaturale* vero ex eo, quod est a » natura discordans. Sicut igitur in naturalibus est quaedam quies » naturalis, quae scilicet est in eo, quod convenit naturae, ut quum » grave quiescit deorsum: et quaedam innaturalis, quae est in eo » quod repugnat naturae, sicut quum grave quiescit sursum; ita et » *in moralibus* est quaedam delectatio *bona*, secundum quod appe- » titus superior, aut inferior requiescit in eo, quod convenit rationi; » et quaedam *mala* ex eo, quod quiescit in eo, quod a ratione di- » scordat „et a lege Dei ».

III. Regula secunda. *In appetitu sentiente, nulla potest esse delectatio prava, nisi dependenter a voluntate.*

Ratio evidens est: nullus quippe actus, vel motus hominis potest esse pravus, atque culpabilis, nisi homo caussa sit, aut principium ipsius, *quatenus homo est.* Sed earum delectationum, quae in appetitu sentiente, aut in sensualitate exurgunt independenter a voluntate, homo caussa non est, aut principium, *quatenus est homo.* Ergo pravae, et culpabiles dici nequeunt. Hoc autem intelligendum est juxta ea, quae dicta sunt de voluntario *directo*, et *indirecto.*

IV. Regula tertia. *Delectatio morosa pravi objecti proprie est in ratione.*

Delectatio morosa ea dicitur, qua quispiam suggestione, vel delectatione alicujus peccati: sive rei peccaminosae oblectatur. *Morosa* vero appellatur, *non a mora temporis*; quum peccatum etiam lethale uno quasi momento temporis perfici queat: sed *a mora*, sive *deliberatione rationis*, ex eo scilicet, quod post advertentiam ratio non curat eam repellere: sed vel expresse in illam consentit, vel dissimulanter agit, eam non cohibendo, sicuti potest, ac debet; adeoque consentit saltem *indirecte.* Tunc enim ratio ponitur in mora eo modo, quo dicitur aliquis in mora esse, qui suum officium non exequitur, quando potest, ac debet. Morosa haec delectatio frequentius contingit in cogitatione rerum venerearum; sed et in cogitatione aliorum pravorum objectorum contingere potest, puta furti, homicidii etc. His positis,

Assertio D. Thomae est, eaque certissima, quam tradit hic q. 74. a. 6. illud siquidem peccatum dicitur, quoties ratio deficit in directione passionum, atque motuum interiorum. Hoc autem dupliciter contingit: primo scilicet, *quando imperat illicitas passiones: sicut quando homo ex deliberatione provocat sibi motum irae, vel concupiscientiae. Alio modo, quando non reprimit illicitum passionis motum: sicut quum aliquis postquam deliberavit, quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur, et ipsum non expellit. Et secundum hoc dicitur, peccatum delectationis morosae esse in ratione.* Hinc prava quidem delectatio est in facultate appetitiva tamquam *in proximo principio*, sed in ratione est sicut *in primo motivo*, seu *directivo*, in quo tunc merito dicitur esse peccatum, quoties non movet, ac dirigit, sicut dirigere potest, atque deberet.

V. Regula quarta. *Delectatio morosa in re gravi peccatum lethale est.*

Delectatio morosa, qua quispiam de re illicita delectatur, etiam absque animo perficiendi opus, peccatum lethale est, posita materiae gravitate » Quod enim (ait S. Th. hic a. 8.) aliquis cogitans v. g., » de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex » hoc, quod affectio ejus inclinata est in hunc actum. Unde quod » aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quam » quod ipse consentiat in hoc, quod affectus suus sit inclinatus in » fornicationem. Nullus enim delectatur nisi in eo, quod est conforme » appetitui ejus. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod » affectus suus conformetur his, quae secundum se sunt peccata » mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delecta- » tione peccati mortalis, est peccatum mortale ». Ex objecto ergo, cui afficitur animus tamquam bono delectabili, rationem peccati delectatio desumit. Quare si res, cui afficitur, sit lethaliter prava, ut quum quis delectatur de fornicatione, de morte inimici etc. non potest morosa delectatio non esse lethale peccatum: veniale vero, si objectum ipsum delectationis venialiter malum sit; ut e. g. quum quis de officioso mendacio morose delectatur.

Hac tamen in re illud advertendum, ac discernendum est ex Cajetano, aliisque, num delectatio, in qua quispiam immoratur, objectum ipsum peccati respiciat, an vero duntaxat modum illius. Nonnunquam enim occurrit cogitatio de furto, simulque de modo ingenioso, quo illud commissum est; fierique potest, ut aliquis ita delectetur *de modo*, ut nullatenus de furto ipso gaudeat, quin potius illud detestetur; quemadmodum si quis tibi res tuas auferat ingenioso quodam modo, doles equidem de rebus amissis, sed simul admirari potes furantis ingenium, in cujusque consideratione delectari.

VI. Regula quinta. *Illicitum est negative se habere.*

Quoties imminet probabile periculum expressi consensus in delectationem rei graviter malae, lethaliter peccat, qui hoc advertens negative se habet nec assentiendo, nec dissentiendo. Delectatio de re illicita cogitata variis modis contingere potest. Primo absque advertentia, et ullo rationis consensu; ut si quispiam de re turpi, aut prava delectetur, sed nullo prorsus modo advertat vel ipsam delectationem, vel ejusdem turpitudinem: et tunc fatentur omnes, non esse peccatum, utpote quae voluntaria non est eo pacto, quo supra explicatum fuit. Quemadmodum nec peccat juxta omnes, qui illam quidem advertit, sed ei resistit, et repellit. 2. Si pravam cogitationem, aut motum illicitum sibi imperet, sive deliberate excitet in semetipso: tunc autem peccatum esse juxta objecti gravitatem nemo dissentit. 3. Si eum non imperet quidem, aut excitet; sed delectationem advertens eidem directe, vel indirecte, sive interpretative consentit; atque eo in casu peccare jam supra docuimus. 4. Tandem si dum advertit, neque consentiat, neque dissentiat, sed negative se habeat: et de hoc casu posita regula intelligenda est, quoties nempe subest consentiendi periculum. Itaque facile probatur. Certum enim est, tunc adesse consensum interpretativum, aut indirectum; quemadmodum animadvertit S. Th. q. 15. *de verit.* a. 4. ad 10. inquiens:

Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet (voluntas) *interpretativum consensum, etiamsi non resistat. Sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente, et de nocumento consequente etc. nisi expresse resistat, videtur consentire.*

VII. Regula sexta. *Qui delectationem illicitam repellere negligit, peccat.*

Si quis motum, aut delectationem graviter illicitam, advertens, ita repellere negligat, ut positive neque consentiat, neque dissentiat, sed negative se habeat, peccat lethaliter. Haec regula, quam adversus PP. Salmaticenses, aliosque defendo, tanquam certa saltem in praxi judicanda est, dum nulla subest justa ratio non repellendi positive motum, aut delectationem ex se graviter illicitam. Siquidem juxta doctrinam alibi traditam, qui hujusmodi motum, aut delectationem advertit, neque tamen eidem repugnat, indirecte, aut interpretative in ipsam consentit. Quid enim ad hunc consensum requiritur, nisi quod quis repugnare *possit*, ac *teneatur*? Porro hunc repugnare *posse* non est dubium, quum plena advertentia in eo praesumatur. Quod etiam *teneatur*, liquet, tum quia hujusmodi delectatio turpis est, et in genere peccati mortalis illicita; tum quia ex se animum alicit, eaque est veluti naturalis conditio humanae naturae, ut dum appetitus sentiens se in aliquo oblectatur, simul quoque oblectetur voluntas, nisi haec positive resistat, praesertim quum nulla subsit non resistendi justa ac rationabilis caussa. Quare, ut dixi, haec sententia, quoad praxim saltem attinet, certa judicari debet, quidquid sit de eadem speculative considerata. Medium autem aptissimum ad hos motus compescendos est mentem alio avertere, et ad Deum confugere, si maxime perseverent.

VIII. Regula septima. *Prava est delectatio praesens de re, aut actione modo illicita, licet haec aut fuerit, aut futura sit licita.*

Obvia sunt hujusce regulae exempla in viduis et sponsis: illis namque licita fuit delectatio percepta ex copula maritali; istis vero licita futura est post contractum matrimonium. Si itaque viduus, aut vidua cogitans copulam praeteritam de ipsa se complaceat, ac delectetur; ac similiter sponsus, aut sponsa de futura, lethaliter peccant; quia delectatio desumit bonitatem, aut malitiam ab objecto formali: objectum autem formale hujus delectationis est lethale peccatum, nimirum actus matrimonialis, qui tametsi fuerit olim licitus, aut aliquando futurus sit; modo tamen licitus non est, adeoque nec licita praesens de illo delectatio. Quapropter si vidui, aut sponsi deliberate cogitent opus conjugale, oscula, amplexus, tactusque eo pertinentes, et admittant in se ipsis voluntarias corporis, sive sentientis appetitus libidinosas commotiones, peccant mortaliter; quia tales commotiones, non escusantur a mortali culpa, nisi ratione actus matrimonialis, qui nunc licitus ipsis non est.

Quod si tamen delectatio in sola ratione consistat, in eoque duntaxat posita sit, ut vidui approbent conjugale opus, quod praeteriit, aut sponsi, quod futurum est, neque illud ut praesens concipiant, in eoque sensualem delectationem non hauriant; tunc vel non peccant, vel nonnisi venialiter, si hujusmodi actus otiosus sit, ut esse plerumque solet. Atque idem dicendum videtur de conjuge in absentia compartis: de quo fortasse alibi.

IX. Regula octava. *Desiderium inefficax rei, sive objecti graviter mali, grave peccatum est.*

De hujus regulae veritate nemo dubitare potest, quum hujusmodi desideria expresse prohibeantur in duobus postremis Decalogi praeceptis de non concupiscendis uxore, bonisque proximi nostri. Idque perspicua ratio confirmat. Turpe siquidem, ac inhonestum est velle, ac desiderare quovis modo aliquid turpe, ac illicitum. Unde quod quis, etiam inefficaciter desideret quidpiam, quod graviter divinae legi opponitur, naturaeque rationali dissentaneum est, non potest non esse grave peccatum. Neque enim ad mortale peccatum requiritur, ut consensus in opus efficax sit; sed sufficit etiam inefficax; alioqui qui crimen alterius approbat absque illud committendi voluntate, non peccaret mortaliter; quod falsum esse aperte testatur Apostolus ad Rom. 1. dicens: *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

X. Regula nona. *Desiderium conditionatum rei, sive actionis pravae, nonnunquam malitia caret, saepius tamen peccatum est.*

Haec regula explicatione potius eget, quam probatione. Ac primo quidem si solum quis cuperet delectari de re illicita, posita conditione, si illicita aut mala non esset, nec tamen de illa ullam habeat praesentem delectationem, haud sane peccaret. Siquidem objectum ejusmodi delectationis nullam malitiam continet: quamquam enim res, quam cogitat, secundum se mala sit, objectum tamen oblectationis illius non est res illa simpliciter, sed sub conditione, si licita foret, vel si peccatum non esset. Unde voluntas non fertur in rem illam, quae mala est, sed ab ea potius refugit, et abhorret ideo, quia mala. Si autem is, qui talem cogitationem concipit, de re ipsa mala in praesenti delectetur; peccat, et quidem lethaliter, attenta materiae gravitate. Siquidem delectatio hujusmodi conditionata non est, sed absoluta, ac praesens; de re autem mala nunquam delectari fas est. Si igitur prior ille consensus ab hoc altero sejungatur, non peccat, qui ita cogitat, nisi forte venialiter ratione actus otiosi, et inutilis. Si vero adsit posterior, in re gravi lethaliter peccat. Quapropter si dum quispiam ita deliberat: *occiderem inimicum, nisi peccatum esset*, aut *vellem rem habere cum hac muliere, si non esset contra legem Dei*, in his cogitationibus actualiter oblectetur, mortaliter peccat.

XI. Regula decima. *Si conditio apposita desiderio inefficaci rei vetitae ejusdem malitiam auferat, illud ex se non est mortale peccatum; secus si non auferat.*

Prioris partis ea ratio est; quia hujusmodi affectus non est graviter inordinatus, nec secundum se, nec ex objecto, a quo per conditionem gravis malitia exclusa supponitur: peccatum autem non est illud desiderare, a quo malitia vere sublata est. Id autem semper intelligi debet, si nullum subsit probabile periculum consensus absoluti ex generali ratione, quod nemo se exponere queat probabili peccandi periculo. Ratio vero posterioris est; quia, si per conditionem sublata ab objecto malitia non sit, jam tunc voluntarius actus tendit in objectum absolute malum, a quo proinde malitiam ipse depromit.

Et quidem in iis, quae jure solo positivo prohibita sunt, conditio apposita frequentius ab objecto malitiam removet, ut si quis in Qua-

dragesima, aut die veneris de esu carnium cogitans dicat: *Carnes comederem, nisi jejunium Ecclesia praeciperet; vel optarem, ne jejunium hac die praescriptum foret; ne lex Principis hoc vectigal injungeret etc.* Raro tamen id efficit in iis, quae naturae, jure prohibentur, ac forte nonnisi quum ea, quae sunt hujusmodi, in aliqua circumstantia licita evaderent, si conditio apponatur; ut e. g. *Si Judex essem, hunc hominem homicidam, aut furem ad mortem, aut ad triremes damnarem; sive, vellem uxorem ducere, si Sacerdos non essem etc.* Recte tamen Doctores monent, ejusmodi desideria periculosa esse, ac vitanda; quia saepius in his implicatur delectatio praesens rei vetitae, quae non conditionata, sed absoluta est, adeoque peccatum. Unde Cajetanus haec desideria vocat *fatuas, ac diabolicas tentationes;* quibus janua aperienda non est: et revera plerumque sunt occasiones peccati in materia praesertim venerea, et in aliis etiam, in quibus passione aliqua movemur.

XII. Regula undecima. *Peccatum mortale est delectari de opere ex se, ac natura sua malo, quamvis absque peccato commissum fuerit.*

Quidquid olim senserint aliqui Theologi laxiores, posita regula tamquam certa tenenda est, postquam S. P. Innocentius XI. in suo Decreto sequentem propositionem damnavit n. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.* Ex hac proscripta propositione sequitur, damnatam esse generalem doctrinam, quae asserebat, non esse peccatum mortale gaudere, sive delectari de opere ex genere suo sub lethali culpa prohibito, sine culpa tamen commisso ob defectum voluntarii. Damnata enim propositio non aliud est praeter quoddam exemplum generalis doctrinae quae prohibita fuit ab Ecclesia.

Id evidens ratio confirmat. Tota quippe ratio, cur opus illud secundum se malum culpa vacaverit, dum commissum est, ea erat, quod defuerit voluntas, sive conditio voluntarii ad culpabilem actum requisita. At quum voluntas eo delectatur, aut gaudet, haec voluntarii ratio non deficit, quia voluntati acceptum est: igitur culpabile efficitur; quemadmodum procul dubio culpabile foret, si tale desiderium respiceret objectum futurum; ut si virgo e. g. desideraret corrumpi ab aliquo, dum dormit, aut mentis impos est: tempus enim non mutat rationem peccati, nisi sit circumstantia, unde operis malitia proveniat. Sed ad alium voluntatis actum progrediamur, videlicet intentionem.

XIII. *De intentione finis.*

Quid intentio finis sit, jam explicuimus; eamque unam ex praecipuis esse circumstantiis humanorum actuum ad voluntatem pertinentium diximus. De hac disserit S. Th. a. 7. et 8. q. 19. relate ad bonitatem eorundem actuum; ex quo, quid dicendum sit relate ad ipsorum pravitatem, colligere facile est. Primum itaque docet, intentionem dupliciter se habere posse ad voluntatem, sive mediorum volitionem; nempe *antecedenter*, et causaliter; ita nimirum, ut tempore, vel natura praecedat voluntatem, et caussa sit volendi media: *Et tunc ordo ad finem consideratur ut ratio quaedam bonitatis ipsius voliti; puta quum aliquis vult jejunare propter Deum: habet enim je-*

junium rationem boni ex hoc ipso, quod fit propter Deum. Alio modo intentio finis se habet *consequenter*, et posterior volitioni est, qua scilicet volumus id, quod rationem medii habere potest; ut si quis ambulare velit, nihil de fine cogitans, propter quem ambulat; postea vero hoc ad sanitatem referat. Hoc posito sit

Reg. I. *Quoties intentio finis antecedenter se habet, bonitas voluntatis in iis, quae sunt ad finem, ex ipsa finis intentione dependet.* Ratio est, quia tunc ea finis intentio ad voluntatem se habet ut formalis ratio objecti voluntatis, a quo pendet bonitas voluntatis ipsius. *Quum bonitas*, inquit S. Th., *voluntatis dependeat a bonitate voliti* (sive objecti) *necessum est, quod dependeat ex intentione finis.*

Ut autem aliquae, quae his occurrere difficultates possunt, diluantur, advertere opus est, non eo sensu assertionem esse intelligendam, ac si voluntatis actus circa media semper bonus sit, dum bonus finis intenditur. Liquet enim, hoc esse a veritate alienum, ipsique D. Th. contrarium. Multas quippe actiones, quae ceteroquin ob finem bonum eliciuntur, malas esse indubitatum est; si nempe ad finem illum eligatur medium illicitum, vel aliqua desit circumstantia ad bonitatem requisita. Nam ut actio mala sit, sufficit vel unius circumstantiae defectus juxta illud, quod sexcentis in locis repetit S. D. *Bonum ex integra caussa; malum ex quocunque defectu.* Sed hoc tantum sensu doctrina D. Th. accipienda est, quod actus voluntatis circa media bonus esse non possit, nisi finis, qui intenditur, bonus sit. Et sic bonitas voluntatis circa media ita pendet ab intentione boni finis, ut haec intentio prorsus necessaria sit, quamvis sola minime sufficiat.

XIV. Regula secunda. *Bonitas voluntatis in his, quae sunt ad finem, non pendet ex intentione finis se habente* consequenter, *nisi quatenus iteratus actus cum hujusmodi intentione.*

Ita quoque S. Th. hoc eodem art. 7. Et ratio est, quia intentio, quae actum subsequitur, nec caussat, nec efficit illum; ut si quis ad spatiandum pergat, nullo sibi imposito fine: ac subinde honestum istud animi levamen referat in Deum; aut si quis eleemosinam erogare velit, ac postea hujusmodi voluntatem referat in vanam gloriam. Dixi: *nisi quatenus iteratur voluntatis actus cum hujusmodi intentione.* Eo namque in casu intentio efficitur formalis ratio praesentis volitionis mediorum, ad eamque se habet *antecedenter;* ideoque bonitatem ipsi, aut malitiam conferre valet, prout fuerit boni, vel mali finis intentio.

XV. Regula tertia. *Finis operantis haud semper est circumstantia operis; sed ei aliquando tribuit primam bonitatis vel malitiae speciem.*

Haec regula manifesta est in omnibus actibus ex specie sua, sive ex objecto indifferentibus. Opera namque ex objecto suo indifferentia ex ipso objecto bonitatem, aut malitiam desumere nequeunt; adeoque nonnisi ex fine, in quem referunt, eam depromere possunt. Deinde etiamsi actus ex objecto bonus sit, si quis non attendat ad specificam ejus bonitatem, sed ad solam bonitatem finis extrinseci, actus ille nonnisi ex hoc fine suam bonitatem accersit: ut ex. gr. si quis temperate comedat non attendens ad temperantiae honestatem, sed tantummodo ad sanitatem suam,

quatenus ad Dei servitium conferre valet; tunc temperata illa comestio non habet bonitatem formalem ex proprio objecto, sed ex solo illo extrinseco fine. Tertio demum id, semper contingit, quoties actus ex objecto bonus fit ob finem malum, ut eleemosina collata pauperi ob vanam gloriam: tunc enim primam malitiae speciem ex illo fine recipit.

XVI. Regula quarta. *Non eadem ratio habenda est de intentione boni quoad meritum, ac de intentione mali quoad demeritum.*

Hanc doctrinam tradit S. Th. art. 8. hujus q. et in corp. quidem docet, in bonis quempiam non tantum mereri, quantum mereri intendit; eoquod quantitas meriti non commensuratur quantitati intentionis, sed quantitati, sive perfectioni actus, quem elicimus in ordine ad finem intentum. Certe bona intentio, quamvis sit aliqua caussa bonae voluntatis, sive bonae electionis, non est tamen sola, vel sufficiens caussa: sed requiritur praeterea medium conveniens ad finem intentum, modusque congruus tendendi in illum finem. Unde tametsi quis multum mereri intendat, contingere potest, ac saepe contingit, vel quod bonum medium non eligat, vel si eligat bonum medium, hoc sit longe impar merito, quod intendit.

Non ita res se habet in malis, ut ait S. D. ad 3. In his enim *sola malitia intentionis sufficit ad malitiam voluntatis. Et ideo etiam quantum mala est intentio, tantum etiam mala est voluntas.* Quare qui intendit peccare mortaliter, licet actio, quam eligit, ex se vel nullum peccatum sit, vel solum veniale mortaliter peccat: verb. gr. si quis lapidem projiciat ex intentione occidendi hominem, etiamsi vel non occidat, vel solum leviter laedat. At jam dicamus de bonitate et malitia actuum exteriorum.

XVII. *De actibus exterioribus.*

Actus exteriores juxta ea, quae diximus, sunt vel boni, vel mali, vel indifferentes, quatenus respiciunt objectum vel conforme regulis morum, vel iisdem dissentaneum, vel nullam praeseferens vel conformitatem, vel difformitatem cum iisdem regulis. Haec bonitas, vel malitia, quae in actibus exterioribus invenitur, *objectiva* est. At de hac modo sermo non est, sed de bonitate, vel malitia formali, quae dependet ab ipsa voluntate deliberate agente; circa quod tres sequentes regulas constituo.

Reg. 1. *Quoties actus exterior, et interior respiciunt idem objectum, eundemque finem, ac circumstantiam, simulque conjuncti sunt; una est tum specie, tum numero utriusque bonitas, vel malitia; numero vero diversa, si invicem separentur.* Utraque pars traditur a S. Th. tum in 2. dist. 42. a. 1. tum q. 2. de malo a. 2. ad 11. Ea vero probatur: quia actus interior, et exterior ita conjuncti unum tantum actum in genere moris constituunt: nam nullus actus potest esse moralis, nisi sit voluntarius. Hujusmodi autem actus simul ex eodem principio habent, quod voluntarii sint; adeo ut si exterior sine interiori consideretur, non sit ullo modo voluntarius; ac proinde nec formaliter bonus, nec formaliter malus. Altera vero pars evincitur: siquidem, dum actus interior, et exterior ab invicem separantur, adeout quispiam ex. gr. primo velit aliquod peccatum, et post moralem hujus actus interruptionem illud voluntarie committat, non unus, et idem est

voluntatis actus; adeoque necessum est, quod duo peccata sint numero saltem diversa propter diversitatem duorum actuum voluntatis. At de hoc amplius, quum de peccatorum distinctione.

XVIII. Regula secunda. *Si loquamur de bonitate aut pravitate exterioris actus, quam actus exterior desumit ex fine operantis, actus exterior non addit ad bonitatem, vel malitiam actus interioris.*

Ita S. Th. hic q. 20. a. 4. ubi tamen addit: *Nisi contingat, ipsam voluntatem secundum se fieri meliorem in bonis, vel pejorem in malis.* » Quod, subdit, videtur posse contingere tripliciter. Uno modo secundum numerum; puta quum aliquis vult aliquid facere bono » fine, vel malo: et tunc quidem non facit; postmodum autem vult, » et facit, duplicatur actus voluntatis: et sic fit duplex bonum, vel » duplex malum. Alio modo quantum ad extensionem; puta quum » aliquis vult aliquid facere bono fine, vel malo, et propter aliquod » impedimentum desistit: alius autem continuat motum voluntatis, » quousque opus perficiat; manifestum est, quod hujusmodi voluntas » est diuturnior in bono, vel malo: et secundum hoc est pejor, vel » melior. Tertio secundum intensionem: sunt enim quidam actus » exteriores, qui in quantum sunt delectabiles, vel poenosi, nati » sunt intendere voluntatem, vel remittere. Constat autem, quod » quanto voluntas intensius tendit in bonum, vel malum, tanto est » melior, vel pejor ».

XIX. Regula tertia. *Actus exterior, nullam addit bonitatem, aut malitiam actui interiori, quoties voluntas ita perfecta est, ut ad opus non procedat, nisi aliquo defectu extrinseco, aut impedimento intercedente.*

Ratio est; quam exhibet S. Th. a. 4. quia tunc defectus operis omnino involuntarius est: quod autem involuntarium est, nihil confert ad formalem bonitatem, vel malitiam; quemadmodum nec ad praemium, aut poenam. Suffragantur huic regulae SS. Patres, ac praesertim August. lib. 1. *de lib. arb.* cap. 3. ubi scribit: *Si cui etiam non contingat facultas concumbembi cum conjuge aliena; planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, et, si potestas detur, facturum esse; non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur.* Gemina tradunt alii Patres.

Verum ut in clara luce veritas constituatur, solvanturque aliquae, quae fieri contra possunt, objectiones, illud D. Th. sub oculis habendum in primis est, regulam positam intelligendam esse de ea voluntate efficaci, et perfecta, quae nullam subit propter exteriorem actum mutationem, sed absque illo aeque intensa, ac diuturna est. Si enim in ipsa externi operis executione contingat, ut saepe fit, voluntatem intendi, magisque, vel etiam diuturnius affici ad bonum, vel malum, quod concupiscit, quam antea afficeretur; dubium non est ex actu exteriori augeri bonitatem, vel malitiam actus interioris. Sed tamen augmentum istud exterior actus non praestat nisi ex accidenti, quatenus occasione externi operis contingit, actum interiorem fieri vel intensiorem, vel diuturniorem: atque hoc sensu explicandae sunt quaedam Patrum auctoritates, quae contrariae videntur.

Ulterius doctrinam hanc intelligere oportet de bonitate, et malitia actuum nostrorum relate ad praemium, aut poenam essentialem,

addere tamen ad praemium accidentale consentit, ac docet S. Th. in 2. dist. 40. a. 3. Cujus diversitatis ea ratio est, quia ad praemium essentiale ordinatur actus virtute charitatis, ex qua procedit: ad accidentale vero ordinatur ex bonitate, quae convenit actui exteriori ex objecto; seu specie sua. Atque idem dicas de actu exteriore malo quoad quantitatem demeriti per comparationem ad poenam essentialem, quae in separatione a Deo posita est; quia haec poena malae voluntati respondet: sed quoad poenam accidentalem, sive secundariam magis demeretur, magisque punietur, qui actu et voluntate peccat. De his legi potest S. Th. q. 2. *de malo* a. 2.

Demum et illud animadvertendum est, quod quamvis actus exterior malus nihil addat ad formalem pravitatem actus interioris eo modo sumpto, quo exposuimus; nihilominus illum in Sacramentali Confessione omnino aperiendum esse, non quidem quia secundum se malitiam augeat, sed ob alias caussas; tum quia scilicet praecepto divino adstringimur ad integram peccati confessionem; actus autem externus integrum peccatum cum interno constituit; tum quia occasione actus externi saepe intensior voluntas fit, ea vero crescente, malitia major evadit; tum ob alia gravia incommoda, quae ex exterioribus actibus consequuntur, de quibus dijudicare pertinet ad Confessarios. Unde qui voluntatem furandi, moechandi, occidendi etc. habuit, et eam opere complevit, praecepto Confessionis non satisfacit, nisi externum pravum opus declaret.

CONSECTARIA.

I. *In delectationibus de sola cogitatione, rei pravae, caute quisque se gerere debet.*

Caute se gerere quisque debet in delectationibus de sola cogitatione rei pravae. Quamvis enim delectatio de sola cogitatione, sive cognitione rei pravae non sit ex se peccatum mortale, sed aliquando solum veniale, aliquando etiam nullum omnino; caute tamen quisque se gerere debet in hisce delectationibus, si de rebus venereis praesertim cogitatio sit. Nam interdum delectatio quidem ab initio solum est de cogitatione, ac de cognitione rei; sed paulatim augeri potest, ac de cognitione ad rem, sive actionem ipsam delectatio progreditur, nisi ratio in suis actibus vigilet.

II. *Doctrina S. Thomae, circa desideria inefficacia de malo alterius, vel proprio.*

In desideriis inefficacibus, aut delectationibus de malo alterius, vel etiam proprio doctrina illa sedulo attendenda est, quam habet S. Th. 2. 2. q. 76. a. 1. ubi ait: » Si aliquis imperet, vel optet malum » alterius, in quantum est malum, quasi ipsum malum intendens; » sic maledicere utroque modo erit illicitum ...... Si autem aliquis » imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni; sic est licitum, nec erit maledictio, per se loquendo. Contingit autem aliquid » dici imperando, vel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque » quidem sub ratione justi, et sic judex licite maledicit illum, cui » praecipit justam poenam inferri: et sic etiam Ecclesia maledicit » anathematizando ..... Quandoque vero dicitur aliquid malum » sub ratione utilis: puta quum aliquis optat, aliquem pec-

» catorem pati aliquam aegritudinem, aut aliquod impedimentum, » vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento » cesset ». Ex quibus generalis haec regula sumitur, atque probatur a Theologis, qui sanas doctrinas consectantur: *Quoties bonum illud, propter quod quispiam vel optat, vel delectatur de suo, aut proximi malo, majus est ac praestantius bono, quo quis ex illo malo privatur; toties hujusmodi desideria, aut delectationes licite sunt, et etiam frequenter laudabiles: illicite vero, si bonum minus sit, et inferius.*

III. *Quando liceat optare alteri malum.*

Ex hac doctrina sequitur, licere mortem, aut aliud simile malum optare haeretico falsis suis erroribus pervertenti fidelium animas. Publicae pacis perturbatori exilium, peccatori aegestatem, aut morbum, ut a peccato desistat, moresque suos corrigat etc. quoniam bonum, quod hujusmodi desideria respiciunt, majus, et excellentius est bono, quod damnum desideratum importat. E contra desiderare non licet nec sibi, nec aliis mortem propter aegestatem, aut calumnias, aut persecutiones vitandas; quia mors majus his omnibus malum est; adeoque inordinate propter haec appetitur.

IV. *Propositiones ab Ecclesia damnatae.*

Hinc jure, meritoque proscriptae ab Ecclesia fuerunt sequentes duas propositiones in Decreto Innocentii XI., quarum altera in ordine 13, sic efferebat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Altera vero haec erat: *licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.* Quas propositiones nemo non videt, quam aperte regulae constitutae penitus adversentur. Quod si meritissime proscriptae ab Ecclesia fuerunt recitatae duae propositiones, potiori profecto jure damnari meruit alia, quae sequitur in eodem Decreto n. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio Patris a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.* Nam, praeterquamquod objectum praesens hujusmodi gaudii malum est, et pietati repugnans, ipsa sola propositio sub aspectum cujusque posita talem tantumque horrorem ingerit, ut mirum mihi videatur, extitisse Theologos, qui eam traderent, ac propugnarent.

DISSERTATIO II.

De Virtutibus Moralibus, vitiisque oppositis.

Virtutes, ac vitia principia sunt, et fontes, unde effluunt actus humani sive boni, sive mali. Hujusmodi ergo fontes modo perscrutandi sunt ac de virtutibus, vitiisque, quae illis opponuntur, disserendum. At vero non hic de virtutibus omnibus, quemadmodum nec de vitiis sermo erit, quum plures ad alios tractatus pertineant, ubi congruentius discutientur: sed de virtutibus moralibus, ac praesertim Cardinalibus iisque adnexis, de quibus alibi tractandum non est. Primo itaque de virtutibus generatim loquemur, de iisdem in specie postea locuturi.

CAPUT I.

De Virtutibus in genere, et de Prudentia.

I. *Definitio virtutis.*

Quum multae circumferantur definitiones virtutis, tum illam ceteris omnibus praeferendam puto, quae traditur a S. Th. p. 2. q. 55. a. 4. probaturque frequentius a Theologis; nimirum: *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur; et quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quae ultima particula si auferatur, reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus et acquisitis et infusis. Legatur S. Th. in corp. art. ubi definitionem hanc explicat ex se ceteroquin satis claram.

II. *Virtutis divisiones.*

Prima, eaque universalis virtutum divisio constat ex hac ipsa definitione virtutis; eaque se tenet ex parte principii efficientis earundem: nimirum aliae sunt *infusae* a Deo, quas scilicet *Deus in nobis sine nobis operatur:* aliae *acquisitae*, quas videlicet nostris actibus, sive exercitatione bonorum actuum acquirimus. 2. Ex parte ipsius virtutis, virtus dividitur in *intellectualem*, *moralem* ac *Theologicam*, adeo ut quaecunque virtus assignetur, sub aliqua harum contineri oporteat. *Intellectualis* triplex tantummodo est: scilicet *sapientia*, *scientia* et *intellectus*. Siquidem, ut animadvertit S. Thom. q. 57. a. 2. virtus intellectualis speculativa est, per quam intellectus speculativus perficitur ad veritatis considerationem. Aut igitur ordinatur ad consideranda prima principia, quae sunt per se nota; et virtus haec *intellectus* dicitur: aut ad considerandas conclusiones, quae ex primis principiis inferuntur, et vocatur *scientia*: aut ad considerandas altissimas caussas, et *sapientia* appellatur. Non enim *sapientia* hic sumitur, prout peculiare donum Spiritus sancti est, sed generatim pro habitu quodam, quo quis prompte assequitur veritatibus necessariis, quae ultimo ad humanam notitiam pervenire queunt, hoc est *caussis altissimis*. Virtutes Theologicae tres pariter sunt; nempe *fides*, *spes*, et *charitas*, de quibus peculiari Tractatu a nobis erit agendum. Virtutes morales eae solum dicuntur, quae sunt in facultate appetente, sive appetitiva, aut ab ea dependent. Quatuor praecipue distinguuntur, quae etiam dicuntur principales; nempe *prudentia, justitia, temperantia, fortitudo*, ad quas caeterae virtutes morales revocantur. Hae quatuor virtutes appellari passim solent Cardinales; quia, ut ait S. Th. in Disput. q. de virtutibus Cardin. a. 1. in his *fundatur vita humana.*

III. *Virtutes morales in medio consistunt.*

Virtutes morales in medio consistere commune Theologorum decretum est; unde etiam virtus definiri solet: *Habitus electivus in mediocritate consistens, prout determinaverit prudens.* Medium porro hujusmodi multiplex est, prout exponit disertissime S. Th. Primum illud est, quod *medium rationis* vocatur, et a prudentia praescribitur; cujus munus est humanos actus ad legem, rectamque rationem exigere, eisque certum modum, finem, ac terminum praestituere. Medium hujusmodi submovere perinde est ac virtutem omnem extin-

guere, ut probat S. D. hic q. 64. art. 1. Hinc tametsi quaedam virtutes videantur ad extremum declinare, ut *magnificentia*, quae magnos sumptus exercet; *humilitas*, quae ingenium omne exerit, ut animum dejiciat: re tamen ipsa penitus expensa, in medium sistunt excessum inter et defectum, regulamque rationis praescribentem mediocritatem in sumptibus, in humiliatione etc. adamussim sequuntur. Medium alterum est, quod habetur inter duo officia, duosque actus, et habitus, utrumque malum: ac medium istud quamplures virtutes tenere, non autem omnes, docet S. Th. Sic ergo *liberalitas* mediam sedem tenet inter avaritiam, et prodigalitatem: *fortitudo* inter audaciam, et timorem inordinatum: magnanimitas inter praesumptionem, et pusilanimitatem: *temperantia* inter in sensibilitatem, ac intemperantiam; et aliae plures virtutes mediae dantur, quae animi passionibus, et perturbationibus modum imponunt. At vero vitium omne, quod *justitiae* adversatur in propria materia, in defectu positum est: neque enim contra justitiam peccamus, dum plus reddimus, quam debemus; sed duntaxat dum minus solvimus. Justitia tamen ipsa medio sui non caret; illudque est *medium rei*, quod est aequalitas rerum a rebus ipsis determinata vel secundum quantitatem, ut quum mutuanti decem nummos decem pariter reddendi sunt; vel secundum proportionem, ut quum rependitur cuique, quod ei debetur juxta ejus meritum, ac dignitatem.

IV. *Prudentiae definitio, ejusque officia.*

His paucis de virtutibus generatim praenotatis, ad Cardinales virtutes exponendas descendimus, quarum prima, ut diximus *prudentia est.* De hac virtute plura diximus *tract.* 2. *de secunda regula moralium actionum* proxima, et immediata, scilicet *humana ratione* disserentes. Unde hic pauca addenda, sive potius recolenda supersunt. Eam definit S. Th., quod sit *recta ratio agibilium;* sive, ut alii, *Prudentia est virtus ostendens, judicans, atque praecipiens, quid in qualibet actione particulari agendum sit tamquam honestum, vel fugiendum tamquam turpe, sive morum regulis dissentaneum.* Ejus officia, sive actus sunt 1. rectum de rebus agendis *consilium* quaerere, accipere, vel praebere. 2. De iisdem *recte judicare*, sive juxta regulas communes, sive juxta altiora principia. 3. Recte de rebus ipsis agendis *praecipere*; qui postremus actus prudentiae maxime propius est: alii vero ad virtutes prudentiae adnexas, et affines potius spectant. Hisce actibus, et officiis prudentia dirigit actiones hominum ad fines suos.

V. *Integrales prudentiae partes.*

De integralibus prudentiae partibus ut breviter dicamus, plures recenset S. Th. quae ad perfectum ipsius usum requiruntur, atque egregie explicat 2. 2. q. 49. Harum prima est *memoria praeteritorum*, quae vel sensu, vel etiam intellectu percepimus: quae enim experti quandoque sumus, magno sunt adjumento prudentiae, ut de aliis, quae contingere queunt, recte deliberet. Unde in senibus maxime dicitur esse *prudentia.* 2. *Intelligentia;* sive *intellectus*, qui *non sumitur hic*, ait S. Th. art. 2. *pro potentia intellectiva*, *sed prout importat, quamdam rectam aestimationem alicujus extremi principii*, *quod accipitur ut per se notum.* In Scripturis appellatur *intellectus prudentiae.* 3. *Providentia*, quae, ut ait S. Th., *importat respectum quemdam*

alicujus distantis ad ea, quae in praesenti occurrunt, et ordinanda sunt. Sive, ut alii, ea est, qua futurum aliquod antea videtur, quam actum sit, et idonea media ad finem consequendum assumuntur. 4. *Docilitas* ea est, qua quis paratum, promptumque se exhibet ad aliorum consilia, et monita de rebus agendis capessenda. 5. *Solertia ad hoc pertinet* (verba sunt S. Th. a. 4.) *ut homo bene se habeat in acquirendo rectam aestimationem per se ipsum . . . . . . Solertia autem est facilis, et prompta conjecturatio circa inventionem medii* ut eo invento rectum de actione judicium formari valeat. 6. *Ratio*, sive, uti S. Th. intelligit, *promptitudo ratiocinandi*, inter partes integrales prudentiae, collocatur; quia ad prudentiam necessarium est, *ut homo sit bene ratiocinativus;* nempe quod ex principiis practicis intellectus recte deducat conclusiones practicas, quae in ipsis continentur. 7. *Circumspectio*, idest attenta consideratio circumstantiarum, quae in humanis actionibus occurrunt, et faciunt ad honestatem, vel turpitudinem actus. 8. *Cautio*, quae est malorum, et impedimentorum extrinsecorum, quae finis consecutioni objiciuntur, et adversantur accurata consideratio, ut ea vitentur, vel removeantur.

VI. *Vitia prudentiae opposita.*

Vitia prudentiae opposita haec sunt. 1. *Prudentia carnis*, quae quamdam quidem habet verae prudentiae similitudinem; sed quae proprie dicitur de eo, qui carnis bona ultimum vitae suae finem praestituit; atque adeo peccatum esse; et quidem lethale ex sua natura nôn est ambigendum, quum omnis inordinatio circa finem grave peccatum sit. Non enim in bonis corporis, sicuti nec in aliqua re creata finis ultimus constituendus est, sed in solo Deo. 2. *Astutia*, quae aliquando in Scripturis accipitur in bonam partem, ut quum Prov. 13. legitur: *Astutus non omnia agit cum consilio;* et 2. Cor. 12. *Quùm essem astutus, dolos vos cepi.* Non autem haec proprie dicuntur, sed abusive, ut ait S. Augustinus lib. 4. cont. Julian. Germanam ejus notionem assignat hic a. 3. S. Th. » Peccatum aliquod potest » esse contra prudentiam, habens similitudinem ejus dupliciter: » uno modo, quia studium rationis ordinatur ad finem, qui non » est vere bonus sed apparens: et hoc pertinet ad prudentiam » carnis. Alio modo in quantum aliquis ad finem aliquem consequendum vel bonum, vel malum utitur non veris viis, sed » simulatis, et apparentibus. Et hoc pertinet ad peccatum *astutiae.* Unde est quoddam peccatum prudentiae oppositum, et *a prudentia carnis* distinctum ». Igitur *Astutia*, dum presse accipitur, est *excogitatio ingeniosa mediorum, quae obvia non sunt, apparenter quidem bonorum, sed revera malorum, ac fallacium ad obtinendum finem intentum sive bonum, sive malum cum voluntate ea applicandi.* Adeoque non solum astutia peccatum est, dum mala media ordinat ad finem malum; verum etiam dum ordinat ad bonum: *Non enim sunt facienda mala, ut veniant bona.* Peccatum vero veniale vel mortale est pro ratione medii, quo astutus utitur, vel mali finis, qui intenditur. Ad astutiam pertinet *dolus*, sicut etiam *fraus*, et sunt executio illius: quae si per verba et facta contingat, proprie *dolus* vocatur; *fraus* vero, si per sola facta. Ita S. Th. hic a. 5. Observat autem in resp. ad 2. quod executio astutiae sive per dolum, sive per

fraudem fieri potest mediante aliquo alio vitio: sicut et executio prudentiae fit aliquando mediante aliqua alia virtute: et hoc modo nihil prohibet, quod ea executio pertineat ad *avaritiam, liberalitatem* etc. Tunc autem *astutia* peccatum lethale semper est, si vitium illud, aut executio eo vitio peracta sit lethale peccatum.

VII. *Sollicitudo rerum temporalium, quando vitiosa.*

Inter vitia, quae verae prudentiae opponuntur, licet ejus quandam similitudinem praeferant, reponit S. Th. a. 6. nimiam sollicitudinem rerum temporalium; sicut et a. 7. sollicitudinem futurorum. Priorem explicat primum definiendo qui sollicitudo sit, nempe *studium quoddam adhibitum ad aliquid consequendum.* Tunc docet, quot modis ea illicita fiat; nimirum 1. *ex parte rei*, circa quam sollicitudo versatur: *Si* nempe *temporale tamquam finem quaeramus.* 2. propter *superfluum studium*, quod in temporalibus procurandis impenditur; propter quod homo avocatur a spiritualibus, quibus principalius inservire debet. Et ideo dicitur Matth. 13. quod *sollicitudo saeculi suffocat verbum Dei.* 3. tandem illicita fit *ex parte superflui timoris*; quoties videlicet aliquis timet, ne agendo, quod agere tenetur, sibi necessaria deficiant. Sollicitudo porro de rebus temporalibus moderata minime prohibetur; sed nimiam et immoderatam de rebus hisce gerere vitium est omnino vitandum. Hinc S. Hieronymus ait: *Labor exercendus est*; sollicitudo (nimia scilicet, et immoderata) *tollenda.* Intempestiva quoque, nimiaque de futuris eventibus, et cum defectu fiduciae in divinam providentiam, sollicitudo damnanda est. De imprudentia dictum est loco superius laudato.

Consectaria.

I. *Mens est proprium subjectum virtutis humanae.*

Nulla virtus potest esse in irrationali parte animae, nisi in quantum participat rationem. Et ideo ratio, sive mens est proprium subjectum virtutis humanae. Ita D. Th. 1. 2. q. 55. a. 4. ad 3. Quare facultates irascibilis, et concupiscibilis, ut habet q. 66. a. 4., si considerentur secundum se, quatenus *sunt partes appetitus sentientis, non competit eis, quod sint subjectum virtutis:* sed quatenus duntaxat participant rationem. Unde etiam docet, quod *virtus, quae est in irascibili, et concupiscibili, nihil est, quam quaedam habitualis conformitas istarum potentiarum ad rationem.*

II. *Virtutes non sunt simpliciter tales, nisi cum charitate jungantur.*

Ut virtutes morales acquisitae aliquo modo verae virtutes sint, a charitate non pendent; simpliciter tamen et absolute virtutes non sunt, nisi cum charitate jungantur, et ab ipsa ad finem ultimum, qui Deus est, ordinentur. Ita D. Th. hic q. 65. a. 2. ubi quum necessitatem charitatis ad virtutum perfectionem statuisset, concludit his verbis: » Patet igitur, quod *solae virtutes infusae, sunt perfecte et* » *simpliciter* dicendae virtutes; quia bene ordinant hominem ad finem » ultimum simpliciter: aliae vero virtutes, scilicet acquisitae, sunt » *secundum quid* virtutes, non autem simpliciter: ordinant enim ho- » minem bene respectu finis ultimi in aliquo genere: non autem » respectu finis ultimi simpliciter »; nempe respectu Dei: quod sola charitas praestat, quae Deum respicit velut ultimum finem, ad quem referri debent bonae ipsae actiones, atque virtutes.

III. *Homo opus semper habet oratione, jejunio etc.*

Quantacunque perfectione per Christi gratiam donatus homo sit in hac vita, opus semper habet oratione, jejunio, carnis maceratione, cultuque et exercitio virtutis. Hoc exploratissimum est ex damnatis tum in Pelagianis, tum in Beguardis, et Beguinis, tum etiam in Michaele de Molinos propositionibus. Et profecto fieri minime potest, ut homo, qui juxta vires communes et ordinarias gratiae sanatur quidem quantum ad mentem, carne tamen servit legi peccati, non egeat oratione, qua Dei adjutorium continenter exposcat, nec jejunio, quo corpus castiget, et in servitutem redigat, nec virtutum studio, quibus tamquam fraenis animae perturbationes magis magisque cohibeat.

IV. *Cavere ab hominibus malis, prudentiae proprium est.*

Prudentiae proprium est non solum cavere a vitiis, et a peccati occasionibus, verum etiam ab hominibus, quorum probitas perspecta non est, et explorata. Quocirca Jerem. cap. 9. dicitur: *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam; quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudolenter incedet.* At prae ceteris maxima adhibenda cautio est in diligendis Magistris, Confessariis, aut animae nostre directoribus; ne scilicet ex eorum numero sint, qui doctrinis falsis et blandis conscientias hominum seducunt, et animas per viam latam, et spatiosam ducentes eas in perditionem aeternam praecipites agunt. Hinc Christus Dominus, quum Matth. 7 dixisset: *Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam: quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam!* quum haec, inquam, dixisset, statim immediate subjecit: *Attendite a falsis prophetis.* Quinam sunt hi falsi Prophetae, a quibus cavere jubemur? nisi homines *non per angustam, quae ducit ad vitam,* sed *per latam, et spatiosam, quae ducit ad perditionem, viam* ducunt, quos multi sequuntur, atque adeo *multi intrant per eam?*

CAPUT II.

De virtute Justitiae.

I. *Justitia generalis quid sit.*

De virtute justitiae nonnulla hic dicemus; reliqua in aliis peculiaribus Tractatibus expendenda, et discutienda erunt. Ea duplex est, aut dupliciter distingui potest; scilicet in *universalem*, et *particularem.* Justitia universim considerata est *conformitas vitae nostrae omniumque nostrarum actionum ad divinam legem sive naturalem, sive positivam, aliasque leges omnes humanas, quae ex ea derivantur, eidemque consentiunt;* atque adeo idem est, ac sanctimonia, omnesque virtutes complectitur. Duo ejus officia sunt his verbis Psal. 36. expressa: *Declina a malo, et fac bonum;* et de hac justitia saepe loquuntur sacrae Litterae, ut quum de S. Joseph dicitur: *Joseph autem quum esset justus.* De hac modo sermo non est.

II. *Definitio justitiae specialiter acceptae.*

Justitia specialiter accepta, de qua duntaxat nunc est disputatio, definitur a S. Th. *Perpetua, et constans voluntas jus suum unicuique*

tribuens. Haec definitio, quae a Theologis communiter probatur, quum actum potius, quam habitum designare videatur, paucis immutatis, ita virtuti justitiae aptari potest, si dicamus, *esse habitum, secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit.* Ut hanc definitionem luculenter exponamus, notio *juris*, quod unicuique justitia tribuit, praemittenda est. Praetermissis iis juris acceptionibus, quae nullam lucem definitioni adferunt, tres hoc loco paucis exponendae sunt. Primum itaque *jus* dicitur, quod est *aequale*, ac *debitum alteri*; diciturque *jus proprium uniuscujusque*. Jus praeterea vocatur facultas *agendi, utendi, fruendi aliqua re:* ac demum *lex ipsa*, quae declarat, atque praescribit, quid cuique juris, hoc est facultatis, potestatis, dominii circa aliquid competat.

Alia praeterea est divisio eorundem jurium, illiusque maxime, quod est facultas, in *perfectum*, et *imperfectum*. Appellari istud solet *jus ad rem*, quae nondum habetur: illud autem *jus in re*, quae habetur. Hinc dominium oritur, quod vocant *proprietatis*, quod tum privatis et singulis convenire potest, tum singulorum Communitati. Hoc dividitur in *directum*, *utile*, et *plenum*. Dominium *directum* sola constituitur proprietate rei absque ejusdem usufructu, et commodis, sive utilitatibus, ut patet in *commodato*, *locato*, *feudo*; *emphiteusi*, et similibus. Dominium *utile* in usu, vel fruitione rei positum est, salva ejusdem substantia: hujusce veluti species sunt *usus*, *ususfructus*, *habitatio*, et *servitus*. Denique dominium *plenum* rei proprietatem, ejusque usum, et fruitionem complectitur; quod variis modis acquiritur suo loco declarandis. Haec igitur jura omnia intacta, et integra servare officium justitiae est; ac cuique reddere, quod titulo aliquo suum est.

III. *Bonitas traditae definitionis.*

Exposito, quod praecipuum est in justitiae definitione, nempe propria materia, sive objecto ipsius, quod differentiae locum habet, illamque distinguit a ceteris virtutibus, jam clarescit bonitas definitionis traditae. Nam ceterae, quae praemittuntur, particulae se tenent ex parte generis, easque communes cum virtutibus ceteris habet justitia. Unde cursim eas declaro: nimirum justitia dicitur *voluntas*, sive habitus voluntatem afficiens; nam in voluntate sedem habet. Additur *perpetua*, et *constans tribuendi* etc. perpetua quidem, non quod actus, aut habitus ejus *perpetuo* durare debeat; sed ut conditio indicetur ad perfectae virtutis rationem, quae requirit propositum semper, et in omnibus operandi secundum virtutem. *Constans* vero, ut significetur, quod in illo proposito oporteat firmiter permanere. Neque enim idem est *perpetuum*, et *constans*. Nam *perpetuum* designat tantummodo propositum, et intentionem ita semper operandi: *constans* autem addit ejusdem propositi firmitatem.

IV. *Justitiae species assignantur.*

Partes, sive species justitiae tres communiter assignantur; sive justitia *generalis*, seu *legalis*, *distributiva*, et *commutativa*. Divisionem hanc desumit S. Th. ex triplici comparatione, quae constitui potest in hominum societate, si haec velut quoddam totum partibus constans consideretur, nempe *partis ad totum*, *totius ad partem*, et *partis ad partem*. Quod ad justitiam *legalem* attinet, docet S. Thom. hic q. 58.

a. 6. eam *generalem* appellari, non quod tam late pateat ejus essentia, quam virtus quaelibet, sed ratione officii, et efficaciae: quia ipsa reliquarum virtutum actus ad commune, et publicum bonum referre doceat: *Sicut etiam Charitas potest dici virtus generalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum, ad bonum divinum, licet eadem, quae respicit bonum divinum ut proprium objectum, sit quaedam specialis virtus secundum suam essentiam.* Vocatur vero *legalis*, *quia*, inquit idem S. D., ad legem pertinet ordinare ad bonum commune. Justitiae *distributivae* haec ex doctrina D. Th. tradi solet definitio, quod nempe ea sit, *quae versatur in distributione communium bonorum, officiorum, honorum, praemiorum, et gratiarum, ut unicuique consentanea pro conditione, statu, meritis, et dignitate cujusque tribuantur.* Justitia *commutativa* versatur tota circa res, quae subsunt commerciis, et commutationibus hominum, si tamen voces istae late usurpentur. In his vero redditur aliquid, ut inquit ibidem S. Th., singulari personae propter rem ejus, quae accepta est, ut maxime patet in emptione, et venditione, in quibus primum invenitur ratio commutationis. Unde haec esse potest definitio ipsius, quod nimirum sit *virtus directiva commutationum, quae fiunt inter personas, aequalitate rerum servata.*

V. *Justitia quid sit, et quotuplex.*

Ex notione, et ex divisione justitiae, quam dedimus, colligi facile potest quid sit *injustitia*, quod est vitium ipsi directe oppositum. Hinc S. Th. consequenter ad doctrinam suam 2. 2. q. 59. a. 1. duplicem distinguit injustitiam: quarum altera *illegalis* dicitur, quae nempe *legali* justitiae opponitur; et hanc definit secundum essentiam suam esse speciale vitium, quatenus respicit speciale objectum, scilicet bonum commune, quod contemnit: Sed *quantum ad intentionem*, subdit, est *vitium generale*; quia per contemptum boni communis potest homo ad omnia peccata deduci: sicut etiam omnia vitia, quatenus repugnant bono communi, *injustitiae* rationem habent, quasi ab injustitia profecta.

Altero modo *injustitia particularis* est, sicut et justitia, cui adversatur, secundum scilicet inaequalitatem quamdam ad alterum; prout nimirum homo vult amplius habere de bonis, et minus de malis et damnis. Atque ita considerata injustitia materiam, sive objectum speciale habet: et vitium peculiare est virtuti peculiaris justitiae oppositum vel *distributivae*, vel *commutativae*. Quemadmodum autem justitiae objectum est *aliquid aequale in rebus exterioribus:* ita quoque objectum injustitiae est aliquid inaequale, prout videlicet alicui attribuitur magis, vel minus, quam sibi competat.

VI. *De Justitia distributiva.*

Pauca quaedam hoc in capite ex D. Th. de justitia, prout *distributiva* est, nobis expendenda supersunt. Nam, ut jam monuimus, quae ad commutativam pertinent, speciali tractatione opus habent. Igitur *in justitia distributiva*, inquit S. Th. q. 61. ad 2., *datur aliquid alicui privatae personae, in quantum id, quod est totius, est debitum parti.* Quapropter distributiva justitia considerat dignitatem personae, ut constituat aequalitatem ad se pertinentem, servetque proportionem et rerum distribuendarum, et personarum, quibus illae distribuendae

sunt; ut scilicet tanto amplius bonorum communium uni, quam alteri tribuatur, quanto dignitas unius major est dignitate alterius: aequaliter autem distributio fiat, si aequalis est dignitas. In hoc proinde commutativa justitia a distributiva secernitur. Illa enim respicit aequalitatem rei ad rem; adeoque non est necesse, quod attendat personae dignitatem ad aequalitatem sibi propriam constituendam: nisi id quandoque sit necessarium ad cognoscendam quantitatem damni.

Hinc sequitur, *medium* justitiae non eodem modo accipi in justitia distributiva, et commutativa. In commutativa namque medium sumitur secundum absolutam aequalitatem, quae proportio *arithmetica* appellatur, hoc est secundum aequalitatem rei ad rem. In distributiva vero secundum aequalitatem proportionis, quae *geometrica* dicitur; ut nimirum quemadmodum aliqua persona excedit aliam in merito, vel dignitate, ita etiam res, quae uni confertur, excedat rem, quaa confertur alteri. Ita S. Thom. hic art. 12.

VII. *Quid sit personarum acceptio.*

Jam de praecipuo, quod justitiae distributivae opponitur vitio, dicendum, *Personarum*, scilicet, *acceptione*. Personarum acceptio, quamvis in bonam partem sumi quandoque soleat etiam in divinis Scripturis, hic tamen pro vitio quodam accipitur justitiae distributivae opposito; ac definiri potest: *Peccatum, quo in his, quae juxta justitiam conferenda sunt, non habetur ratio meriti, vel idoneitatis ejus, cui aliquid confertur, sed aliqua caussa attenditur huic impertinens, et extrinseca.* Dicimus primum *de his, quae conferenda sunt secundum justitiam: acceptio* namque *personarum* locum non habet in iis, quae conferuntur ex gratia. Adduntur aliae particulae, quae ex D. Thom. facile colliguntur. Nam in resp. ad 1. hujus q. 63. ait: *In acceptione personarum considerantur conditiones, quae non faciunt ad rem.* Et in corp. *Consistit*, inquit, *aequalitas distributivae justitiae in hoc, quod diversis personis diversa tribuuntur, secundum proportionem ad dignitatem personarum.* Si ergo aliquis consideret illam proprietatem personae, propter quam aliquid est ei debitum, eique propterea confert, secundum distributivam agit: secus autem, si aliam considerat, propter quam res debita non est. Recte autem, ac sapienter monet S. D. contingere, aliquam personae conditionem eam dignam reddere respectu unius rei, non autem respectu alterius: sicut consanguinitas aliquam dignam efficit, ut ea potius haeres patrimonii instituatur, quam alia; non vero ut ipsi Praelatio Ecclesiastica conferatur. *Et ideo eadem conditio personae in uno negotio considerata facit acceptionem personae, in aliis autem non facit.*

Porro *acceptionem personarum* sic expositam peccatum esse jure tum naturali, tum positivo prohibitum, facile convincitur. Et quidem prohibitum esse jure naturae, patet; siquidem justitiae distributivae repugnat. Quemadmodum enim naturale jus justitiam distributivam servandam praecipit, ita et injustitiam ipsi adversantem vetat. Ergo acceptio personarum peccatum est, et quidem ex genere suo lethale, quemadmodum injustitia. Propter tamen materiae parvitatem veniale quandoque est.

VIII. *In spiritualibus dispensandis, personarum acceptio peccatum est.*

In bonis spiritualibus dispensandis peccatum esse personarum acceptionem, et tanto quidem gravius, quam quae in dispensandis

temporalibus contingit, tota art. 2 hujus q. declarat, ac probat S. Th. quia personarum acceptio peccatum est, quatenus justitiae opponitur. Quanto autem in rebus excellentioribus aliquis justitiam violat, tanto gravius peccat; atque adeo, quum spiritualia temporalibus longe praecellant, gravius peccatum est personarum acceptio in spiritualium dispensatione, quam in temporalium.

Peculiari dignum observatione est, quod hic subjicit S. D. inquiens: » Quia personarum acceptio est, quum aliquid personae attribuitur » praeter proportionem dignitatis ipsius considerare oportet, quod » dignitas alicujus potest attendi dupliciter: uno modo simpliciter, » et secundum se; et sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat » in spiritualibus gratiae donis: alio modo per comparationem ad » bonum commune. Contingit enim quandoque, quod ille, qui est » minus sanctus, potest magis conferre ad bonum commune propter » potentiam, vel industriam saecularem, vel propter aliquid hujusmo- » di. Et quia dispensationes spiritualium principaliter ordinantur ad » utilitatem communem secundum illud Corinth. 12. *Unicuique datur » manifestatio spiritus ad utilitatem*; ideo quandoque absque acceptione » personarum in dispositione spiritualium illi, qui sunt simpliciter » minus boni, melioribus praeferuntur ». Quoties ergo ad aliquod spirituale officium eligere oportet, qui dignior, attentis omnibus circumstantiis ad commune bonum pertinentibus, aestimatur, praeferendus omnibus est, adeo ut peccet, qui minus dignum alios anteponit.

IX. *Quaenam requirantur ad idoneitatem alicujus.*

Plura autem necessaria sunt, ut prudens formetur judicium de idoneitate alicujus ad spiritualia recte administranda. Primo requiritur *legitimus torus.* Nam qui ex illegitimo toro nati sunt, nisi dispensatio intercedat, hoc ipso ad obtinendum spirituale beneficium inhabiles judicantur. 2. *aetas legitima*, quae diversa est juxta diversitatem beneficiorum. quae in Ecclesia conferuntur: nimirum ad Episcopatum aetas 30. annorum exigitur; ad dignitates Episcopatu inferiores curam tamen animarum habentes 25. annus saltem inchoatus statutus est, ad alias dignitates, quibus cura animarum non incumbit annus 22. requiritur ex Trid. cap. 12. sess. 24. Ad Praebendam Poenitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus idem Concilium c. 8. exigit, ut quis sit annorum 40. seu qui alias aptior pro qualitate loci reperiatur. Quoniam vero idem Concilium eodem Cap. 12. statuit, ut Canonicatus omnes Ecclesiae Cathedralis adnexum habeant Ordinem aut Presbyterii, aut Diaconatus, aut Subdiaconatus, requiritur saltem, ut annus 21. sit inchoatus, si Praebenda sit Subdiaconalis. Quoad Canonicatus vero in aliis Ecclesiis et alia quaecunque beneficia simplicia, requiritur juxta ejusdem Concilii Decretum Sess. 23. c. 6. et sufficit, quantum ad valorem attinet, annus 14. inchoatus. Reliqua, quae ad hanc materiam pertinent, vide apud Canonistas.

Tertium, quod requiritur ad idoneitatem est *Tonsura clericalis*. 4. *Coelibatus*: nam conjugati Ecclesiastica beneficia consequi nequeunt, aut jam consecuta retinere, ut constat ex Cap. *Si quis*, tit. de Cleric. conjug. 5. Eum, qui beneficium assequitur, nulla esse censura innodatum: Collatio enim facta excommunicatione majore innodato ipso

jure nulla est ex C. *Postulasti* tit. de Cler. Excom. Sicut et ejus electio et praesentatio juxta communem opinionem. 6. Ut irregularis non sit qui recipit beneficium. Hinc bigami, et caeci incapaces beneficii sunt. 7. Ut sit immunis ad haeresi non solum propria, sed etiam parentum. 8. Ut gravibus peccatis deditus non sit, nec propter crimina infamis: quamquam enim beneficii collatio criminoso viro facta valida sit, si crimen haud secum adferat irregularitatem; non tamen conferre licet. Postrema tandem conditio est *litteratura sufficiens*, quae non eadem requiritur in eligendis ad beneficia, sed dispar est juxta beneficiorum diversitatem: aliud enim minorem, aliud majorem exigit, prout dicemus alibi. Illud solum hic adverto, collationem beneficii, quodcunque illud sit, factam homini poenitus illiterato, nullam esse ex C. *Illiteratos*, dist. 36. et ex Conc. Trid. Sess. 22. cap. 4.

Caeterum, ut recta aestimatio fiat de majore alicujus dignitate, ut beneficium ipsi conferatur, satis non est unam vel alteram perpendere conditionem, aut qualitatem, sed omnes accurate considerandae sunt, quae in diversis personis illud petentibus, vel oblatis deprehenduntur, et conferendae cum fine principali status, vel officii vacantis. Neque enim semper est aptior, qui melior est, et doctior, aut eloquentior, sed qui, omnibus ponderatis, utilior est ad finem, ad quem tale officium, vel beneficium ordinatur, ut diximus. Atque inde est, quod saepe merito aliis praeferuntur quidam vel prudentes, vel nobiles, aut Ecclesiae famulatum praestantes; quia majori possunt esse Ecclesiae adjumento vel per consilium sapientiae, vel per auxilium potentiae, vel per majorem in Ecclesiae negotiis obeundis dexteritatem, atque peritiam.

X. *Illicitum est eligere dignum, digniore praetermisso.*

Hactenus tamquam certum posuimus, illicitum esse eligere, aut promovere dignum ad beneficia, digniore respective praetermisso. Verum quoniam haec controversia magni momenti est, ideo certius comprobanda, ac paucis confirmanda. Et hanc quidem apertam esse S. Th. sententiam ex verbis laudatis praeter alia loca apertissime constat; ejusdemque sententiae sunt omnes communiter Theologi, si paucos fortassis excipias. Haec autem evincitur in primis ex Sacrorum Canonum authoritate, qui pluribus in locis id fieri praecipiunt, ut in C. *Licet*, et Cap. *Ut nostrum*. Diserta quoque sunt verba Concilii Trid. Sess. 24. C. 1. *de Reform.* de illis agentis, penes quos potestas est Episcopos eligendi, et asserentis, *eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint.* Et cap. 18. de provisionibus Ecclesiarum Parochialium agens praecipit, ut *Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit. Quod si beneficium juris patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, et non ad alium pertineat; is, quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo praesentare teneatur, ut ab eo instituatur. Quum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda; tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat.*

Id quoque rationes admodum efficaces confirmant: tam quia 1. ut ex D. Th. vidimus, qui promovet dignum, praetermisso digniore, peccatum committit *acceptionis personarum*, adeoque contra justitiam distributivam; quod ex genere suo mortale est. Tum. 2. quia neque collator beneficiorum, neque praesentator, neque alius quispiam dominus est bonorum Ecclesiae, sed duntaxat administrator, et dispensator: dispensator autem *fidelis* esse debet in officio suo, ut ait Apost. 1. ad Cor. 4. fidelis vero dispensator non est, qui quum possit, Dominum suum de meliore ministro non providet. Tum 3. quia beneficia principaliter instituta sunt ad utilitatem Ecclesiae; adeoque qui beneficia dispensandi potestatem habent, ex officio suo tenentur utilitati Ecclesiae consulere tum in aliis, tum in iis, quae ad eam dispensationem pertinent; praeferendo nimirum digniores, magisque idoneos ad utilitatem Ecclesiae promovendam.

Unum hic quaeri potest, scilicet an qui, dignioribus praetermissis, dignos promovent ad Ecclesiasticum beneficium, ad aliquam restitutionem teneantur, quibusque ea facienda sit. Ad quod communior responsio est, eos teneri restituere non quidem dignioribus, sed Ecclesiae. Et ratio utriusque est, quia relate ad digniores sola per hoc justitia distributiva violatur, quae onus restitutionis non inducit. Relate vero ad Ecclesiam etiam commutativa justitia laeditur: sunt enim caussa damni, quod Ecclesia patitur ex eo, quod beneficiario dignissimo culpa ipsorum careat, atque subinde ea utilitate majori propter quam beneficia instituta sunt.

XI. *Personarum acceptio in officiis, et bonis saecularibus locum habet.*

Ea, quae de personarum acceptione dicta sunt, quoad distributionem bonorum Ecclesiae, locum etiam habere quoad distributionem officiorum, et bonorum saecularium dubitandum non est. Par siquidem ratio in utraque concurrit. Verum ut haec veritas clariore in luce collocetur, dupplicis generis publica bona, quae dispensari possunt, distinguenda sunt. Quaedam directe, et immediate in bonum civium ordinantur, ut proventus alicujus Civitatis, aut Communitatis ad hoc legati, ut singulis incolis distribuantur juxta proportionem indigentiae, meritorum, aut dignitati uniuscujusque. Alia directe, et immediate instituta sunt in bonum Communitatis, ut officia publica, et stipendia iis adnexa. Quae prioris generis sunt, ex justitia commutativa illis debentur, quibus distribuenda committuntur; atque adeo qui in eorum distributione a justitia deflectit, conferendo alicui minus quam oporteat, ad restitutionem tenetur, utpote infidelis dispensator. Quae vero sunt generis posterioris, non debentur huic, aut illi ex justitia commutativa, sed tantum distributiva; adeoque qui in his distribuendis minus dignos dignioribus praefert, non tenetur ad restitutionem illis, quos praetermisit, faciendam. Sed si magni momenti officia sint, lethaliter peccat, dum minus dignos dignioribus anteponit: et si qua exinde damna Reipublicae obveniant, resarcire tenetur. Ratio est, quia in re gravi contra fidelitatem Reipublicae debitam operatur; et ex commutativa justitia procurare tenetur Reipublicae bonum, ipsique de melioribus, quantum potest, ministris providere, quum ad hoc stipendia, et tributa recipiat. Hinc cautissime se gerere debet Respublica, quoties officia sua venditioni

exponit: quae ut sit licita, haec conditiones concurrere debent, 1. ut vendens authoritatem habeat vendendi, cujusmodi sunt Reges, et Principes absoluti: 2. ut, quantum fieri potest, digniori vendantur: 3. ut vendantur moderato pretio: 4. ut haec venditio ad publicam utilitatem referatur.

XII. *Peccatum*, acceptionis personarum, *locum habet etiam in exhibitionis honoris, et reverentiae.*

Nedum in officiis temporalibus, sed etiam in exhibitione honoris, et reverentiae locum habere peccatum *acceptionis personarum*, docet S. Th. a. 3. hujus q. 63. Quum enim sola virtus propria, vel ejus, cujus aliquis personam, vel similitudinem gerit, caussa sit honoris et reverentiae, si quispiam honoretur, ubi nulla similis ratio invenitur, sed tantum propter aliquid, quod eum honore dignum non efficit, ut si dives e. g. honoretur solummodo propter divitias, acceptionis personarum peccatum est; mortale quidem si fiat cum gravi contemptu pauperum, aut aliorum, quibus potius debebatur honor, qui diviti defertur: veniale autem, si in rebus levioribus dives honoretur prae paupere, atque ita humano affectu respectus ad divitias habeatur.

XIII. *In judiciis quoque locum habet personarum acceptio.*

Acceptionem personarum habere locum in judiciis, eamque criminosam esse, probat S. Th. a. 4. et ultimo hujus q. tum authoritate Scripturae Prov. 18. dicentis: *Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate judicii*, tum brevi hac, et solida ratione: *Judicium*, inquit, *est actus justitiae, prout Judex ad aequalitatem justitiae reducit ea, quae inaequalitatem oppositam facere possunt. Personarum autem acceptio inaequalitatem quamdam habet, in quantum attribuitur alicui personae aliquid praeter proportionem suam, in qua consistit aequalitas justitiae. Et ideo manifestum est, quod per personarum acceptionem judicium corrumpitur.*

Hujus doctrinae occasione inquiri a quibusdam solet, num, quoties opiniones inter duos litigantes pro utraque parte sunt *aeque probabiles*, Judex caussam alteri adjudicare valeat citra personarum acceptionem. Qua in quaestione Probabilistae plures affirmantem sententiam tuentur. Caeterum haec sententia reprobanda omnino est, aliaque tenenda, quae docet, minime licere Judici, dum opiniones litigantium utrinque probabiles sunt, nec una altera probabilior apparet, pro hac potius parte sententiam pronunciare, quam pro altera; sive de jure agatur, sive de facto: sed tunc ex justitia teneri ad rem, sive pretium ipsius ex aequo dividendum inter partes; quoniam Judex ad jus dicendum constitutus est: in proposito autem casu aequale jus est in utraque parte. Neque reponas, Judicem tunc esse liberum ad eligendam opinionem, quam maluerit. Non enim hac libertate fruitur, quoties agitur de praejudicio alterius; atque adeo, sicut liber non est, ut neutri litigantium adjudicet rem, de qua agitur, ita quoque non est liber, ut rem totam adjudicet alteri, uti placuerit: sed curare debet, ut res dividatur, aut certe partes invicem componantur.

CONSECTARIA.

I. *Justitia vindicativa, pertinet ad commutativam.*

Justitia vindicativa, quae est in Judice non solum respectu boni communis, sed etiam relate ad bonum particulare partis laesae non

pertinet ad justitiam *distributivam*, sed *commutativam*. Ita expresse docet S. Thom. hic q. 80. art. un. ad 1. *Vindicta*, inquit, *quae fit auctoritate publicae potestatis, pertinet ad justitiam commutativam: sed vindicta, quam quis facit proprio motu, non tamen contra legem, vel quam quis a Judice requirit, pertinet ad virtutem justitiae adjunctam*; quia scilicet, quamvis justum requirat, non tamen exigit ex debito saltem legali.

II. *Doctrina D. Thomae, circa collationem beneficiorum consanguineis.*

Quoad consuetudinem attinet Praelatorum, quorundam dignitates, aut beneficia Ecclesiastica suis consanguineis conferendi, diligenter ponderanda est S. Th. doctrina, quam habet hic q. 63. a. 1. ad 1 ubi sic ait: » Circa consanguineos Praelati distinguendum est: quandoque » enim sunt minus digni et simpliciter, et per respectum ad bonum » commune. Et sic si dignioribus praeferantur, est peccatum *acce- » ptionis personarum* in dispensatione spiritualium, quorum Praelatus » Ecclesiasticus non est dominus, ut possit ea dare pro libito; sed » dispensator secundum illud ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut » ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Quandoque vero » consanguinei Praelati Ecclesiastici sunt aeque digni, ut alii: et sic » licite potest absque personarum acceptione consanguineos suos » praeficere: quia saltem in hoc praeeminent, quod de ipsis magis » confidere potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiae tractent. » Esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui » exemplum sumerent, etiam praeter dignitatem, bona Ecclesiae » consanguineis dandi ».

III. *Minus dignus concurrens cum manifeste digniore, excusandus non est a lethali culpa.*

Si minus dignus cum eo concurrat, qui certe ac manifeste est dignior, a lethali culpa excusandus non videtur. Siquidem quantum de se est, ex una parte digniorem impedit, ex altera caussam Examinatoribus aut patronis praebet peccandi mortaliter in sui promotione. Dixi tamen *certo et manifeste:* quoniam si alterius major dignitas, aut idoneitas obscura, vel dubia fuerit, putetque minus dignus, posse Examinatores quidpiam in altero agnoscere, ob quod eum judicent vel aeque vel minus dignum, non peccat, bona fide Examinatoribus, aut Praelati judicio se subjiciens, ut ipsi judicent de sua dignitate.

IV. *Quid dicendum, quando excessus dignitatis alterius levis est.*

Tametsi graves Authores doceant, non peccare, nisi ut summum leviter Electorem, qui confert beneficium minus digno, quoties excessus dignitatis alterius levis est: quia tamen haec materia confinia praefinita non habet, et res est plena periculi, ne levis nobis inter utrumque dignitatis disparitas videatur, quae ceteroquin gravis facile potest esse saltem relate ad Ecclesiae utilitatem, quae maxime spectanda est; ideo in hoc judicio quoties aliquis absolute, aut relative dignior constat; licet excessus dignitatis modicus esse videatur ad alium comparatus, illum semper praeferendum putarem, nec a gravi peccato absolverem, qui aliter se gereret.

V. *Quid dicendum, quando negando suffragium, nihil te profuturum cognoscis.*

Quoties major eligentium pars in alicujus promotionem concurrere cernitur, nihilque te profuturum cognoscis, si illi suffragium denegas, tunc distinguere oportet. Vel enim qui promovetur indignus a te judicatur; et tunc suffragium omnino denegare debes: quoniam nunquam licet indignum eligere, nec in ejus electionem concurrere, quamvis nihil suffragio tuo proficias. Vel suffragium digno praebeudo, indigni electionem impedire potes; tunc vero suffragium licite praebes: quia sic Ecclesiae bono consulis eo meliori modo, quo vales, et, quantum in te est, digniorem in hac circumstantia eligis. Quod si suffragia videas praevalere pro persona quidem digna, sed digniore praetermissa; non excusaris suffragium tuum pro ea ferendo, quia iniquae aliorum electioni consentis.

VI. *Sententia P. Lessii improbanda.*

Improbanda est sententia Lessii, aliorumque, quos sequuntur etiam Salmaticenses, resignari posse beneficium digno, etiam praetermisso digniore. Quandoquidem etsi resignans Collator non sit, vel Patronus beneficii, caussa tamen est, cur beneficium illud minus idoneo conferatur; adeoque sive cognati sint, sive amici, qui ejusmodi resignationem procurant, graviter delinquunt, nisi rationabiles caussae concurrant. Hinc reprobari debent permutationes illae, sive renunciationes beneficiorum, quibus aliqui senes magna et pinguia beneficia resignant in favorem nepotum, et amicorum exiguae eruditionis, ac virtutis, huc spectantes, tum ut ipsis ante mortem provideant, tum ne hujusmodi beneficia extra suam familiam, aut amicos conferantur.

VII. *Ad quid teneantur examinatores ad beneficia.*

Examinatores ad beneficia tenentur proponere Episcopo, aut suffragiis approbare quem ex Candidatis, et examinatis digniorem putaverint. Ideo enim instituti sunt, ut illorum cura major, minorve concurrentium habilitas ad beneficia deprehendatur. Sicut enim Episcopus investigare tenetur majorem concurrentium dignitatem, aut idoneitatem, et huic assequendo fini utitur Examinatorum opera, et industria; ita hi debent ingenue veritatem manifestare per examen deprehensam, ut meliorem eligat. Quare in Bulla *Quum illud*, edita a Benedicto XIV. praescribit Pontifex, *in concursu teneri Examinatores Judices esse non tantum doctrinae, sed et caeterarum dotum, quae necessariae sunt ad parochiale officium.*

VIII. *Quando restitutio fieri debeat, injuste praetermisso.*

Quoad restitutionem faciendam ei, qui injuste praetermittitur in concursu ad beneficium, attendenda est S. Th. doctrina 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. ubi sic ait: » Aliquis potest impedire aliquem, ne habeat » praebendam multipliciter. Uno modo juste, puta si intendens ho» norem Dei, vel utilitatem Ecclesiae procuret, quod detur alicui » personae digniori: et tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, » vel ad aliquam recompensationem faciendam. Alio modo injuste, » puta, si intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, » vel vindictam, aut aliquid hujusmodi: et tunc si impedit, ne prae» benda detur digno, consulens, quod non detur, antequam sit fir» matum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam compensationem,

» pensatis conditionibus personarum, et negotiis secundum arbitrium » sapientis; non tamen tenetur ad aequale, quia illam nondum fuerat » adeptus, et poterat multipliciter impediri: si vero jam firmatum » sit, quod alicui detur praebenda, et aliquis propter indebitam » caussam procuret, quod revocetur, idem est, ac si jam habitam » ei auferret; et ideo tenetur ad restitutionem aequalis, tamen secun- » dum suam facultatem.

IX. *Magna cura adhibenda, in electione ad beneficia Ecclesiastica.*

Magna cura adhibenda est in electione sive ad beneficia Ecclesiastica, quaecunque ea sint, sive ad officia, aut dignitates saeculares tum ab iis, qui eligunt, aut conferunt dignitates, tum ab iis, qui suffragia sibi, vel alteri conquirunt. Si enim in hac re utilitatem propriam, vel alterius duntaxat spectent; si carnem, et sanguinem respiciant, non autem majorem utilitatem, aut commodum sive Ecclesiae, sive Communitatis, indubium est, quod seipsos gravi culpa obstringant. Quapropter oportet semper inspicere finem, propter quem illud beneficium, aut officium, sive dignitas conferatur; ac juxta illum, omni privato affectu semoto, definire coram Deo, quaenam ad ipsum persona sit aptior, ac dignior, circumstantiis omnibus spectatis, quae occurrere possunt, ac solent: eumque eligere, vel eidem suffragia conferre.

CAPUT III.

De Judicio prout est actus justitiae.

I. *Judicii, de quo agitur, definitio.*

Quum multiplici in sensu sumi judicium possit, ac soleat, hic q. 56. illud sumit S. Th. pro actu ad justitiae virtutem pertinente. Unde ex S. D. doctrina, quam tota quaestio tradit, judicium de quo agimus, ita definiri potest, quod nimirum sit. *Recta determinatio ejus, quod justum est; sive illa fiat per judicem cogentem partes ad aequalitatem servandam; sive per privatas personas ferentes de alicujus probitate sententiam.* De hoc secundo judicii genere dicemus suo loco, nempe agentes de octavo Decalogi praecepto. De primo duntaxat hic sermo est. Tradita porro definitio colligitur quoad 1. p. ex a. 1. et 2. quoad alteram vero ex a. 3, et 4. Primum itaque ostendit S. Th., *judicium* esse actum justitiae hac ratione, quod scilicet » Judicium proprie nominat actum judicis, in quantum judex est: judex » autem dicitur, quasi *jus dicens*. Jus autem est objectum justitiae, » ut supra habitum est. Et ideo judicium importat secundum primam » nominis impositionem *definitionem*, sive *determinationem justi*, sive » *juris*. Quod autem aliquis bene definiat aliquid in operibus virtuosis, proprie procedit ex habitu virtutis: sicut castus recte determinat ea, quae pertinent ad castitatem. Et ideo judicium, quod » importat rectam determinationem ejus, quod justum est, proprie » pertinet ad justitiam ».

II. *Conditiones ad justum judicium requisitae.*

Ut occasionem sumat S. Th. agendi de conditionibus, quae ad justum judidicium requiruntur, inquirit a. 2. *utrum sit licitum judicare*; docetque, tres esse conditiones necessarias, *ut judicium sit actus*

justitiae: quarum prima est, ut ex *inclinatione justitiae procedat*: altera, *ut procedat ex authoritate Praesidentis*: tertia, *ut secundum rectam rationem prudentiae proferatur*. Qualibet ex his deficiente, judicium vitiosum est. Si prima desit, *perversum* erit, aut *injustum*; si secunda, erit *usurpatum*: si tertia, *temerarium*. Quoad primam ex his conditionibus attinet; sensus non est, quod judicium, ut actus justitiae sit, procedere debeat ex *habitu justitiae*: certum quippe est, hoc habitu carere posse judicem, neque tamen *injustum*, aut *perversum* ferre judicium, si regulam justitiae, et prudentiae dictamen servet: sed hoc sensu est intelligenda, tum quod judicium ferri debeat non contra justitiam; tum quod ex affectu, et amore justitiae proveniat; tum demum quod non ex aliqua privata affectione feratur. Uno verbo quod feratur juxta leges, et justitiae regulas. Quod si desit, judicium dicitur *iniquum*, et est mortale peccatum adversus justitiam. Circa alteram, adnotandum est, *authoritatem* Principis, sive Praesidentis non ad omne judicium necessariam esse. Sicut enim privata persona virtute justitiae gaudere potest, ejusque actum exequi aliena restituendo, aut debita solvendo; ita quoque judicando, quod hoc vel illud fieri debeat juxta regulas justitiae. Sed haec conditio ad *publicum* duntaxat *judicium* exigitur, cujusmodi est, quod in tribunalibus sive saecularibus, sive ecclesiasticis exercetur. Circa tertiam hoc requiritur, ut qui judicium profert servet leges, ac rectitudinem prudentiae, habita scilicet ratione loci, temporis, personarum, aliarumque circumstantiarum. Alioquin quamquam quod justum est, constituerat, si tamen id non praestet quando, ubi, et quomodo oportet, judicium ipsius vel suspectum erit, vel temerarium.

III. *An Judex in peccato mortali judicans, peccet lethaliter.*

Ex his, quae docet S. Thom. in hoc art. ad 3. quaestio suboritur haud levis momenti, an scilicet peccet Judex lethaliter, dum judicat in peccato mortali existens. Et quidem ejus responsio istiusmodi est: » Dicendum, quod illi, qui sunt in gravibus peccatis, non debent » judicare eos, qui sunt in iisdem peccatis, vel minoribus, ut Chry- » sostomus dicit super illud Matth. 7. *Nolite judicare*. Et praecipue » hoc est intelligendum, quando illa peccata sunt publica: quia ex » hoc generatur scandalum in cordibus aliorum. Si autem non sunt » publica, sed occulta, et necessitas judicandi immineat propter of- » ficium, potest cum humilitate, et timore vel arguere, vel judicare. » Unde Augustinus dicit *de serm. Domini in Mont.* lib. 2. c. 19. *Si* » *invenerimus eos ex eodem vitio esse, congemiscamus, et ad pariter* » *conandum invitemus*. Nec tamen propter hoc homo seipsum conde- » mnat, ut novum condemnationis meritum sibi acquirat; sed quia » condemnans alium ostendit se similiter condemnabilem esse propter » idem peccatum, vel simile.

Ex hac S. Th. doctrina nonnulla erui queunt quoad propositam quaestionem. 1. scilicet; Judicem in peccato mortali ex officio judicantem non ideo peccare, quasi authoritatem ad judicandum per peccatum amiserit. Nam S. Petrus fideles admonet, ut Dominis obediant *non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*. 2. Judicem sive saecularem, sive ecclesiasticum existentem nedum in occulto delicto, verum etiam in publico, sed scandalum non praebente haud

peccare lethaliter, immo ne venialiter quidem, si peccatum occultum sit, et ex officio judicium exerceat, non ex odio, aut superbia, aut aliquo alio pravo affectu. Id colligitur ex verbis illis: *Si peccata non sint publica* etc. Quod ex aliis etiam locis constat. Unde dicendum, S. D. correxisse, quod antea scripserat in 4. dist. 19. a. 2. q. 2. peccare nimirum, qui existens in peccato mortali *etiam occulto*, praelationis utitur officio alterum corripiendo, vel quidpiam aliud proprii officii exequendo.

3. Colligitur, Judicem existentem in peccato mortali non solum publico, sed etiam scandaloso, si in eo statu judicium ferat, peccatum committere ex genere suo mortale. Hujusmodi enim Judex scandalo aliis est: praebet enim occasionem conquerendi, vel quod Judex in ceteris puniat eadem, quae ipse committit; vel quod justitia vim non habeat eamdem in Judice, ac in aliis, atque ita justitia comtemptui exponitur. Negari tamen haud posse videtur, hoc Judicis peccatum, licet ex se grave sit, veniale nonnunquam esse posse ob materiae levitatem, aut si peccatum illud vel nullum, vel exiguum scandalum praebeat, veluti si scandalosum non fuerit relate ad sententiam, quam Judex profert, neque ipsum contemptui exponat.

IV. *In judicio publico, judicandum juxta leges scriptas.*

In judicio publico, quod in Tribunalibus sive saecularibus, sive ecclesiasticis exercetur, semper juxta leges scriptas judicandum est. Ita S. Th. hic a. 5., ac luculenter probatur his verbis: » Judicium » nihil aliud est, quam quaedam definitio, vel determinatio ejus, » quod justum est. Fit autem aliquid justum dupliciter: uno modo » ex ipsa natura rei; quod dicitur *jus naturale*: alio modo ex quo- » dam condicto inter homines, quod dicitur *jus positivum*. Leges » autem scribuntur ad utriusque juris declarationem; aliter tamen, » et aliter. Nam legis scriptura, jus quidem naturale continet, sed » non instituit. Non enim habet robur ex lege, sed ex natura. Jus » autem positivum scripturam legis et continet, et instituit dans ei » authoritatis robur. Et ideo necesse est, quod judicium fiat secun- » dum legis scripturam: alioquin judicium deficeret vel a justo na- » turali, vel a justo positivo.

Advertendum tamen, ut advertit etiam S. D., distinctione aliqua opus esse inter leges naturales, et humanas, quod illae, utpote quae jus naturae continent, quod nulli mutationi obnoxium est, sed immutabile semper manet, ita Judices obligant, ut juxta ipsas judicare semper debeant: Humanae vero, quae mere positivae sunt, nec jus naturae implicant, casus aliquot admittunt, in quibus secundum ipsas judicare non oporteat, prout exponit in resp. ad 1. et 2. argument. Et quidem in resp. ad 1. docet, quod si scriptura legis humanae aliquid contineat contra jus naturale, secundum eam judicandum non est. Ad 2. vero ait, quod leges humanae, quae sunt recte positae, in aliquibus casibus deficiunt, in quibus si lex scripta servaretur, esset contra Legislatoris mentem, et ideo in his casibus docet non esse judicandum juxta litteram legis, sed potius juxta mentem Legislatoris. Vide quae dicta sunt *in Tract. de Legibus.*

V. *Num sententia judicis injusta, valorem habeat in foro conscientiae.*

Hic vero institui a Theologis quaestio solet, num sententia Judicis *injusta* valorem habeat in foro conscientiae, quum nempe injusta est

ex natura rei, quae per errorem secundum allegata, et probata, contra facti veritatem aliquis re, vel jure suo privatur. Quo in quaestione nonnulli distinguunt inter caussas saeculares, et ecclesiasticas; ac de prioribus quidem affirment, injustam sententiam non esse validam *in foro conscientiae*; secus autem de posterioribus. Mihi vero videtur, tum in caussis saecularibus, tum in Ecclesiasticis, eamdem militare rationem, adeoque Judicis sententiam, quae citra dubium injusta est, quaecunque ea sit, declarativa, sive privativa, tametsi *secundum allegata, et probata* pronuncietur, nullam habere vim *in foro conscientiae*, hoc est neque aliquem privare re, vel jure suo, neque alteri jus verum conferre.

Assertum hoc in eo principio S. Th. fundatur; quod habet hic, q. 70. a. 4. ad 2. scilicet *injustum judicium non est judicium:* adeoque res in eodem statu relate ad conscientiam *se habere debet, ac si nullum judicium secutum fuisset.* Quod principium amplius explicatur, ac roboratur ex definitione ipsius *judicii*, quam ex ipso tradidimus, quod nimirum *nihil aliud sit, quam quaedam definitio, ac determinatio ejus, quod justum est.* Porro *injusta* sententia determinat id, quod reipsa *est injustum*, ideo namque *injusta* vocatur. Igitur nullum in foro conscientiae valorem obtinet, cui lata non esset. Et sane sententia Judicis quid aliud est, nisi quaedam quasi lex in aliquo particulari facto: lex autem injusta non est vera lex, caretque virtute obligandi conscientiam, adeoque neque *injusta* sententia Judicis talem vim obtinere potest.

VI. *Perversitas judicii, propter judiciariae potestatis usurpationem.*

Ex iis, quae docuit art. praec. hujus q. 60. subinfert S. Th. resolutionem circa judicium per usurpationem authoritatis redditum, quod definiri potest, *illud esse, quod exercetur absque legitima authoritate in personam, quae vel judicanti subjecta non est, vel saltem non in iis caussis, in quibus ab eo judicatur.* Igitur hocce judicium *perversum esse* hac ratione declarat. Judicium namque in Tribunalibus, ut rectum sit, juxta leges scriptas ferendum est. Ille autem, qui judicium pronunciat, legis edictum quodammodo interpretatur, ipsumque applicat ad hoc, vel illud particulare negotium. Ejusdem porro authoritatis est legem interpretari, et legem condere; adeoque, sicut lex condi nequit, nisi publica authoritate; ita nec nisi publica authoritate vel Principis, vel illius, cui eam Princeps commisit, judicium ferri potest, quae quidem se extendit ad omnes, qui communitati subjiciuntur. Unde concludit: *Et ideo sicut injustum esset, ut aliquis constringeret alium ad legem servandam, quae non esset publica authoritate sancita, ita etiam injustum est, si aliquis compellat aliquem ferre judicium, quod publica authoritate non fertur.*

VII. *Dirimitur controversia de legibus, ac judiciis Tyrannorum.*

Verum occasione hujus resolutionis controversia subnascitur quoad judicia, et leges Tyrannorum, num haec ipsa perversa censenda sint, ut iisdem populus obtemperare minime teneatur. Cui quaestioni ut satisfaciamus, duo in primis Tyrannorum genera distinguenda sunt. Alii namque sunt Tyranni in solo *regimine*, sive in administratione regni, cujus domini sunt aliquo legitimo jure: quatenus illud administrant non secundum jus, et aequitatem sed inique guber-

nant, et non ad populorum commune bonum, sed ad bonum, utilitatem, et cupiditatem propriam referunt omnia. Alii dicuntur Tyranni *in titulo*; utpote qui regnum, seu principatum nec jure haereditario, nec populi electione, nec alio justo titulo sibi competentem, vi aut dolo vel usurparunt, vel usurpare conantur. Hi duplicis generis esse queunt: alii siquidem regnum tyrannice usurpatum jam possident, et in eo pacifice imperant, republica non amplius reluctante, sive propter defectum, virium, sive propter aliam quamcumque caussam: alii vero regnum nondum pacifice obtinent, sed obtinere conantur, republica vel adhuc contradicente, vel armis etiam se illi opponente. Quibus positis,

Dicendum primo est: justa judicia, sicut etiam justae leges illius, qui *solo regimine* Tyrannus est, haud propterea *perversa* sunt, sed populum obligant, ut hisce judiciis et legibus sese subjiciat. Tyrannus quippe hujusmodi verus Princeps est, ac legitima authoritate ferendi leges justas, et secundum eas, judicandi potitur. Idemque dicendum de legibus; et judiciis secundum allegata et probata editis ab eo Tyranno, qui tyrannice quidem regnum usurpavit, at, cessante jam violentia paceque fruente Republica, imperat: tunc enim saltem tacite in hujusmodi leges et judicia consentit Respublica, suoque consensu his authoritatem, et robur attribuit. Atque haec profecto D. Th. sententia est, qui *in 2. sent. dist. 44. quaest. 2. a. 2.* docet, *Eum, qui per violentiam dominium surripit, non effici verum dominum, nisi postea dominus efficiatur vel per consensum subditorum, vel per authoritatem Superioris.* Si autem verus Princeps est verusque Dominus, jam leges legitime rogare potest, ac ferre judicia, queis populi ex conscientia subdantur, eisque obediant.

Dicendum est secundo: Si Tyrannus, qui nondum Principatum, aut regnum obtinet, sed illud invadit, ut eo potiatur, resistente legitimo Domino, aut Republica, judicia ferat, quantumlibet juxta allegata, et probata ferantur, *perversa sunt*, nullamque proinde habent obligandi vim. Evidens ratio est: quia nec in illo est authoritas gubernandi, nec in populo parendi necessitas propter Reipublicae bonum, quod hoc non requirat. Hinc D. Th. loc. laud. scribit *Qui per violentiam praelationem accipiunt, non sunt veri Praelati: Unde nec eis obedire tenentur subditi.* Vide plura de hoc argumento in libro, quem edidi pro *Defensione doctrinae S. Th. circa Tyrannicidium.*

CONSECTARIA.

I. *Licet agere in judicio contra raptorem, quin Christi sententiae repugnemus.*

Quum Dominus Matth. 5. ait: *Ei, qui vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium;* non prohibet in judicio agere sive pro rebus nostris aut conservandis, aut recuperandis, sive pro damno, si quod illatum est, resarciendo: sed monet tantummodo, debere ita esse animo comparatos, ut quamcunque injuriam potius sustinere velimus, quam aut privata authoritate ulciscamur, aut aliter charitati injuriam faciamus: atque adeo, si quis in judicio, aut extra, nobis vellit auferre tunicam, etiam pallium,

abaque bona amittere parati potius esse debemus, quam litigando salutem animae nostrae in discrimen adducere.

II. *Error Wiclephi damnatus.*

Error fuit Wiclephi in Concilio Constantiensi damnatus asserere, Judicem in peccato mortali existentem authoritatem hoc ipso judicandi amittere sicut et Principem, ac Praelatum dominium, aut jurisdictionis potestatem. Repugnat enim sententiae tum Christi Domini: *Super cathedram Moysis sederunt Scribae, et Pharisaei, omnia ergo* etc. tum Apostoli Pauli jubentis ad Rom. 13. ut *omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit;* tum etiam Petri praecipientis, ut obediamus Dominis *etiam dyscolis.*

III. *Bona fides actoris, non suffragatur, si sententia sit injusta.*

In omnibus caussis tum civilibus, tum Ecclesiasticis bona fides actoris, et testium non suffragatur in foro conscientiae, si sententia deprehendatur injusta. Haec enim valorem, quo caret sententia, non confert, quum in falsa praesumptione fundetur, neque justam efficiat illam, dum constat esse injustam: sed praestat tantummodo, ut a peccato excusetur, nec restituere teneatur, qui v. g. fundum, aut beneficium ex illa sententia consecutus est, expensas, aut fructus bona fide perceptos, et consumptus. Hinc sequitur, illum, qui per injustam sententiam re sua spoliatus est, eam posse recuperare omni licito modo, quo potest, dummodo scandalum absit, aut periculum inferendi alteri damnum; nec qui eam possidet, jam legitime praescripserit. Quod si actor, qui sententiam sibi favorabilem obtinuit, litem mala fide intentaverit, nunquam potest rem sibi adjudicatam praescribere.

CAPUT IV.

De Fortitudine, et adjunctis virtutibus, vitiisque oppositis.

I. *Fortitudinis definitio, ac materia.*

Tertia inter virtutes, quae *cardinales* appellantur *fortitudo* est, de qua fuse agit per plures quaestiones D. Th. ex quo pauca tantum decerpam, quae ad institutum nostrum pertinere queunt. Haec dupliciter sumi potest; scilicet prout absolute importat quamdam animi firmitatem: atque ita inspecta generalis quaedam est conditio virtutum omnium; ad omnes quippe requiritur firmiter, et immobiliter operari. 2. vero accipitur, prout exprimit duntaxat firmitatem in sustinendis, et repellendis iis, in quibus maxime difficile est firmitatem habere, scilicet in gravibus periculis. Unde haec est ex Tullio tradita, et a S. Th. probata 2. 2. q. 123. art. 2. ejus definitio: *Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio.* Haec definitio clara satis est; et ex ea constat, ipsam nedum esse virtutem, sed etiam virtutem specialem, utpote quae materiam habet, sive objectum determinatum. Hanc fortitudinis determinatam materiam dividit S. D. art. 3. in *mediatam*, et *immediatam*. Posteriorem constituit in *timoribus*, et *audaciis*: priorem autem in *periculis*, et *laboribus*; quia *res periculosae, et actus laboriosi non retrahunt voluntatem a via rationis*, nisi vel nimium incutiendo timorem, quo plus aequo

formidamus, vel audaciam exaltando, qua immoderate, et imprudenter in eosdem labores, ac pericula insurgimus. *Et ideo*, inquit ad 2., *oportet, quod fortitudo sit immediate circa timores, et audacias, mediate autem circa pericula, et labores, sicut objecta praedictarum passionum*; ne videlicet vel oimirum timeodo, vel nimium audiendo a rationis regula deflectamus.

II. *Fortitudinis actus, et finis.*

Duo numerantur fortitudinis actus, nempe *aggredi*, et *sustinere*: quorum prior honorabilior quidem, ac splendidior apparet: sed alter, utpote difficilior, reipsa praestantior est. Rem demonstrat S. Th. q. laud. art. 6. Pericula, quae fortitudo aggreditur, vel sustinet, sunt prae caeteris pericula mortis. Hinc S. Th. art. 4. ad 1. ait: *Fortitudo bene se habet in omnibus adversis tolerandis: non tamen ex toleratione quorumlibet adversorum reputatur homo simpliciter fortis, sed solum ex hoc, quod bene tolerat etiam maxima mala. Ex aliis autem dicitur homo fortis secundum quid.* Eadem nempe est fortitudo, quae omnia omnia difficilia vel aggreditur, vel sustinet. Quae vires exerit contra minora mala, parva est: major, perfectiorque efficitur, quum majoribus se malis opponit. Tunc vero perfectissimum gradum attingit, quae parata est malis ipsius mortis sustinendis, quae malorum omnium terribilius est.

Caussa, sive *finis*, cui servire debet fortitudo periculorum aggressione, et perpessione malorum, maximeque mortis omnium terribilium, in bono rationis, seu in honestate et virtute posita est. Id namque exposcit generalis conditio virtutis, quae rationalem animam bene disponit ad honestatem. Id sibi vindicant proprii fortitudinis, sicut etiam temperantiae characteres, quorum munus est, ut sentientis appetitus impetus cohibeant, ne superior animae pars a bono rationi conveniente declinet. Fortitudinis enim materia seipsa indifferens est. Unde vel perpeti mortem, ut advertit S. Th. hic q. 124. a. 3. *non est laudabile secundum se*, solaque honestate, veluti fine, praestituta virtutis opus efficitur. Ac demum quum bonum duntaxat rationis sit vita pretiosius, nemini licet nisi illius caussa aggredi, aut sustinere pericula mortis, quae vitam eripit. Hinc fortitudo dicenda non est, quae servit iniquitati, aut bonis delectabilibus nocillatur; solamque ut summum speciem, aut similitudinem fortitudinis habet, sed re caret, ac splendore virtutis.

III. *Fortitudinis partes.*

Quaenam sint *fortitudinis partes*, assignat idem S. D. hic q. 128. primumque statuit, nullas esse hujus virtutis partes *subjectivas*, prout est specialis virtus, *eo quod non dividitur in multas virtutes specie differentes, quia est circa materiam valde specialem.* Non aliae ergo partes assignari valent, nisi *quasi integrales, et potentiales*: » *Integrales* quidem (inquit) secundum ea, quae oportet concurrere ad » actum fortitudinis: *Potentiales* autem, secundum quod ea, quae » fortitudo observat circa difficillima, scilicet circa pericula mortis, » aliquae aliae virtutes observant circa quasdam alias materias minus » difficiles: quae quidem virtutes adjunguntur fortitudini, sicut se» cundariae principali. Est autem, sicut supra dictum est, duplex » fortitudinis actus; scilicet *aggredi*, et *sustinere*. Ad actum autem

» aggrediendi duo requiruntur, quorum primum pertinet ad animi » praeparationem, ut scilicet aliquis promptum animum habeat ad » aggrediendum. Et quantum ad hoc ponit Tullius *fiduciam.*
» Secundum autem pertinet *ad operis executionem*, ne scilicet ali- » quis deficiat in executione illorum, quae fiducialiter inchoavit, » et quantum ad hoc ponit Tullius *magnificentiam*. . . . Haec ergo » duo si coarctentur ad propriam materiam fortitudinis, scilicet ad » pericula mortis, erunt quasi partes integrales ipsius, sine quibus » fortitudo esse non potest. Si autem referantur ad aliquas alias » materias, in quibus est minus difficultatis, erunt virtutes distinctae » a fortitudine secundum speciem suam; tamen adjungentur ei, sicut » secundarium principali: sicut *magnificentia* a Philosopho in 4. Ethic. ponitur circa magnos sumptos; *magnanimitas* autem, quae videtur idem esse, fiduciae, circa magnos honores ».

Pergit subinde ad alium actum fortitudinis, qui est *sustinere*, ad quem duo requiruntur: » Quorum primum est, ne difficultate im- » minentium malorum animus frangatur per tristitiam, et decidat a » sua magnitudine. Et quantum ad hoc ponit *patientiam*. Unde dicit, » quod *patientia est honestatis, aut utilitatis caussa, rerum arduarum,* » *aut difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio*. Aliud autem est, » ut ex diuturna difficilium passione homo non fatigetur usque ad » hoc, quod desistat, secundum illud Hebr. 12. *Non fatigemini ani-* » *mis vestris deficientes*. Et quantum ad hoc ponit *perseverantiam*. Unde » dicit, quod *perseverantia est in ratione bene considerata stabilis ac* » *perpetua permansio*. Haec autem duo si coarctentur ad propriam » materiam fortitudinis, erunt partes quasi integrales ipsius. Si autem » ad quascunque materias difficiles referantur, erunt virtutes a forti- » tudine distinctae: et tamen ei adjungentur sicut secundariae prin- » cipali ». Ex hac praeclarissima doctrina habes partes *fortitudinis* tum prout eam integrant, tum prout eidem adjunguntur.

IV. *Martyrium est praestantissimum fortitudinis actus.*

Inter omnes Christianae fortitudinis actus praestantissimum esse martyrium, tenendum omnino est. Equidem non desunt ex Theologis, qui negent, illud esse fortitudinis opus; ac virtutis illius actum constituunt, cujus gratia mors ipsa sustinetur: sed adversa S. Th., meliorumque Theologorum sententia est, quibus suffragatur SS. Patrum authoritas. Eam probat S. Th. q. 124. a. 2. inquiens: » Ad fortitu- » dinem pertinet, ut confirmet hominem in bono virtutis, et maxime » contra pericula, et praecipue contra pericula mortis, et maxime » ejus, quae est in bello (quod supra jam demonstrat.) Manifestum » est autem, quod in martyrio firmiter homo confirmatur in bono » virtutis, dum fidem, et justitiam non deserit propter imminentia » pericula mortis, quae etiam in quodam certamine particulari a » persecutoribus imminent ». Nemo haec omnia negaverit; adeoque manifestum est, quod martyrium sit fortitudinis actus, et quidem praecipuus. Fateor tamen, alias quoque in martyrio emicare virtutes, charitatem, fidem, patientiam, eusque omnes, quae ab improbis hominibus impugnari valent: sed illas omnes vel comites fortitudinis esse, vel se habere tamquam fines, quibus fortitudo servit, docet S. Th.

V. *Conditiones ad martyrium requisitae.*

Ad martyrium conditiones requiruntur, nonnullae. Prima est status gratiae, vel idonea, et sufficiens ad gratiam dispositio, scilicet *charitas*. Ut enim docet Apostolus: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 2. est perpessio mortis ob professionem fidei, vel alterius virtutis Christianae. Id declarat S. Th. loc. cit. ad 1. Quum enim sibi objecisset, *Christianum* aliquem ex eo vocari, quod fidem Christi profitetur; adeoque solum Christi fidem conferre martyrii gloriam, respondet, quod » Christianus dicitur, qui Christi est. Dicitur autem aliquis esse » Christi non solum ex eo, quod habet fidem Christi; sed etiam » ex eo, quod spiritu Christi ad opera virtuosa procedit, secundum » illud ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est* » *ejus.* Et etiam ex hoc, quod ad imitationem Christi peccatis moritur » secundum illud ad Gal. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifi-* » *xerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Et ideo ut Christianus patitur » non solum qui patitur pro fidei confessione, quae fit per verba, » sed etiam quicunque patitur pro quocunque bono opere faciendo, » vel pro quocunque peccato vitando propter Christum; quia hoc » totum pertinet ad fidei professionem ». 3 est poena mortis a persecutore illata. Equidem multiplici poena carceris, exilii, proscriptionis bonorum, tormentis inchoari martyrium concedendum omnino est, sed illud sola morte consummari asserimus cum D. Th. dicente hic art. 4. » Ad perfectam rationem martyrii requiritur, quod aliquis » mortem sustineat propter Christum ».

VI. *Plures martyrii gradus.*

Martyrium morte consummatur. Sed quoniam poenae, quae propter Christi fidem inferuntur, multiplici modo ad mortem perducunt, plures martyrii gradus distinguere oportet magis, minusque perfectos. Primus, ac supremus est, quum poena ob Christi confessionem illata mortem infert, eamque sustinet Martyr. Gradus alter partes duas complectitur, quas declarat S. Th lib. 4. Sent. dist. 49. quaest. 5. a. 3. his verbis: » Si aliquis propter fidem vulnus mor- » tale accipiat, et supervivat; non est dubium, quod aureolam me- » retur; sicut de B. Cecilia patet etc. Et alter, si ex vulnere lethali » suscepto moriatur. Lethale namque vulnus, quod necessario mor- » tem infert, pro morte ipsa computatur; quippe sustinet lethale » vulnus nedum desiderio, sed opere externo mortem pati dicitur, » quamquam eadem suspenditur ad aliquos dies, aut divino miraculo » impeditur ». Tertium gradum tenet martyrium eorum, quibus applicata sunt instrumenta, quae vi sua inferunt lethalem morbum, ac lethale vulnus, demumque mortem. Quamvis non solum mors, sed etiam lethales dispositiones divinitus impediuntur. Hoc martyrii genus in Joanne Evangelista in olei ferventis dolium immisso, et in aliis a Deo specialiter protectis commendant SS. Patres. Denique quartus gradus eorum est, qui propter Christi confessionem coram Tyrannis aeditam, plagis, cruciatibus, carceribus, bonorum spoliatione affecti, in iisdem vita demum functi sunt: de quibus ait S. D. *Qualitercunque afflictio propter Christum illata usque ad mortem continuetur, sive mors inde sequatur, sive non, aliquis martyr effici-*

tur, et *aureolam moeretur.* Sunt et alii, qui licet in nullo ex his gradibus martyrii inveniantur, a Patribus tamen martyrum nomine sed minus presse accepto celebrantur. Unde nec aureola martyrii a Deo insigniuntur.

VII. *Non aggresione, sed tolerantia martyrium perficitur.*

Ex dictis sponte fluit, non aggressione, sed passione martyrium perfici. Quotquot enim martyrii presse dicti gradus recensuimus, passionum tolerantiam exhibent, non pugnam, non resistentiam contra Tyrannos. Hinc Canon. 60. Concilii Eliberitani prohibet, eos in numero Martyrum recenseri, qui ultro, et non lacessiti idola destruentes occidebantur. Hoc tamen intelligere oportet *citra specialem Spiritus Sancti inspirationem.* Legimus namque de multis sanctis viris, ac foeminis, quorum exempla nefas est in suspicionem adducere, quod ultro, sed ad martyrium obtulerint, ex impulsu videlicet Spiritus Sancti, qui aliquando animum movet supra ordinariam operandi regulam. Occurrere pariter queunt aliquando circumstantiae quaedam, in quibus se ultro offerre martyrio laudabile sit: 1. nempe ad erigendum animum Martyrum in passione deficientium; 2. ut ingentem ruinam fidelibus alioquin imminentem avertamus; 3. dum infideles ex hoc convertendos praevidemus, vel fideles alioqui a fide defecturos confirmandos; 4. ut Tyranni audaciam, feritatem, ac persecutionis impetum compescamus; 5. demum quoties id exiget Dei gloria, et caussa publica magni momenti.

VIII. *Vitia fortitudini opposita.*

Vitia fortitudini opposita exponit S. Th. hic. q. 125. et duabus sequentibus: nos autem cursim attingemus. Primum vitium, quod immediate fortitudini opponitur, *timor* est, sive *timiditas*, quae posita est in metu quodam animi inordinato, quo quispiam ea mala refugit, quae recta ratio praescribit esse sustinenda; adeo ut illicitum aliquid committere malit, quam ea sustinere. Peccatum esse duntaxat veniale timorem, si consistat in solo appetitu sensitivo, definit S. Th a. 3. Si autem ad appetitum rationalem pertingat, tunc veniale esse, vel mortale docet juxta qualitatem delicti, quod ex eo timore homo committit, vel paratus est committere. Hinc qui ex tormentorum timore fidem, quum debet, non profitetur coram Tyranno, graviter peccare dubium non est.

Vitium alterum fortitudini oppositum vocatur a S. Th. *intimiditas*; et vocari etiam solet *vacuitas timoris:* qua nempe quispiam mortis, aliorumve malorum pericula non timet, ubi, quando, vel quomodo timere oportet, quod procul dubio est contra rectam rationem. Sicut enim vitam temporalem, eaque, quae illi conservandae necessaria sunt, amare debemus; ita quae his adversantur, fugere, ac timere, quoties, et quomodo fugienda sunt.

Tertium vitium est *audacia:* quae non hic sumitur, prout simpliciter quaedam passio est, sed quatenus importat excessum passionis illius, qua aliquis nimirum sibi praesidit in periculis invadendis, aut aggrediendis. Unde quum rectam rationis regulam excedat, procul dubio vitiosa est, atque adeo peccatum; quumque importet immoderantiam circa materiam fortitudinis, ad quam pertinet moderari audacias, consequens est, quod eidem opponatur. *Intimiditas* quoque

peccatum est, et quidem mortale, si aut ex caussa mortaliter peccaminosa proveniat, aut propter illud magno se periculo mali incurrendi exponat sine justa caussa: peccatum tamen non est distinctum ab eo, unde provenit, vel cui se temere exponit.

IX. *Virtutes fortitudini adjunctae.*

Quatuor esse virtutes fortitudini adjunctas jam ex D. Th. notavimus, quas ipse pluribus quaestionibus declarat, atque illustrat, nempe *fiduciam*, sive *magnanimitatem* (hanc enim *fiduciae* nomine intelligit), *magnificentiam*, *patientiam*, et *perseverantiam*; ex quibus pauca, quae ad legitimam eorum notionem hauriendam conferri queunt, delibabimus.

X. *De Magnanimitate, vitiisque oppositis.*

» *Magnanimitas*, inquit S. D. hic q. 129. a. 1. ex suo nomine » importat quamdam extensionem animi ad magna ... Aliquis autem » actus potest dici dupliciter *magnus*. Uno modo secundum propor- » tionem: alio modo absolute. *Magnus* quidem potest dici actus se- » cundum proportionem, etiam qui consistit in usu alicujus rei » parvae, vel mediocris: puta, si aliquis illa re optime utatur. Sed » simpliciter, et absolute *magnus* actus est, qui consistit in optimo » usu rei maximae. » Res autem, quae in usum hominis veniunt, » sunt res exteriores, inter quas simpliciter maximum est honor; » tum quia propinquissimum est virtuti, utpote testificatio quaedam » existens de virtute alicujus, tum etiam quia Deo, et optimis exhi- » betur; tum etiam quia homines propter honorem consequendum, » et vituperium vitandum alia omnia postponunt. Sic autem dicitur » aliquis *magnanimus* ex his, quae sunt magna absolute, et simpli- » citer. Et ideo consequens est, quod magnanimitas consistat circa » honores ». Haec ille magnanimitatis notionem exponens. Eam autem esse virtutem, et quidem specialem ostendit art. 3. et 4. quia magnanimitas *modum rationis* constituit circa *materiam determinatam*, nempe circa *magnos honores*.

Vitia, quae huic virtuti opponuntur per excessum, sunt *praesumptio*, quae est nimia confidentia, qua quis ea aggreditur, quae vires suas excedunt: *Ambitio*, quae consistit in appetitu inordinato honoris, quum scilicet aliquis honores nec oblatos, nec debitos appetit, vel ad eos mediis illegitimis pervenire nititur, aut etiam illegitime oblatos, aut minime debitos affectat, ac suscipit: *Inanis gloria*, scilicet immoderata gloriae cupiditas contra rationis, legisque divinae ordinem, de qua alibi. Per defectum autem opponitur *pusillanimitas*, quae vitium est, quo quis res magnas, quibus gerendis est aptus, aut magnos honores, quibus dignus est, legitime oblatos, ex animi parvitate, et nimia dejectione refugit, vel authoritatem suam, dignitatem, honorem, privilegia tueri negligit, quatenus ad Dei gloriam, et commune bonum id necessarium, et utile est.

XI. *De Magnificentia, vitiisque oppositis.*

Proxima magnanimitati virtus, *magnificentia* est, quae ad magna opera in exteriori materia magnis sumptibus perficienda juxta rationis, ac divinae legis regulam animum inclinat. Haec duplex est, publica scilicet, et privata. *Publica*, quum ad publicos usus magni sumptus conferuntur, idque sive ad usus pios, sive politicos. *Privata*,

quum magnifica munera alicui privato tribuuntur, vel magnifice fiunt, quae ad proprium usum, vel dignitatem pertinent, quatenus id exigit gradus proprius, vel conditio. Et quia, ut ait S. Th. a. 2. ad 3. *Nullus finis humanorum operum est adeo magnus, sicut honor Dei; ideo magnificentia praecipue magnum opus facit in ordine ad Deum. Unde Philosophus* 4. *Ethic. dicit:* Honorabiles sumptus sunt maxime qui pertinent ad divina sacrificia. *Et circa hoc maxime studet magnificus: et ideo magnificentia conjungitur sanctitati; quia praecipue ejus effectus ad religionem, sive sanctitatem ordinatur.*

Huic virtuti vitium per defectum opponit S. Th. q. 135. quod *parvificentiam* vocat: qua pecuniae nimis amator deficit a recta proportione, quam ratio decori exigit inter sumptus, et opus, quod peragendum est; aut minus elargitur, quam personae, vel ejus dignitati conveniat. Hoc vitium, ut animadvertit S. D., veniale plerumque peccatum est. Fieri tamen ex aliqua circumstantia potest mortale; puta, si aliquis ratione voti, aut juramenti etc. ad magnum sumptum faciendum obstrictus fuerit. Vitium autem, quod ei opponitur per excessum, appellatur ab eodem S. Th. *consumptio*, quae aliud non est, nisi indecora, et inepta, sive nimia sumptuum profusio; et in eo consistit, quod quispiam excedat proportionem, quae debet esse, sumptuum ad opus decore perficiendum. Quod vitium ex genere suo veniale peccatum est, sed non raro mortale evadit; ut quando quis deberet vel creditoribus pro solutione debitorum, vel pauperibus in necessitate existentibus sua bona tribuere: sicut etiam quando ab hoc grave aliis detrimentum infert.

XII. *De Patientia, vitiisque oppositis.*

Inter virtutes fortitudini adjunctas ceteris eminet *patientia.* Quum enim duplex sit fortitudinis actus, *aggredi* scilicet, et *sustinere*, hic utpote altero difficilior, ita quoque nobilior est, atque praestantior. Ea definitur a Tullio *honestatis, aut utilitatis caussa rerum arduarum, et difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio. Patientia* a S. Gregorio M. hom. 15. in Evang. vocatur *radix*, et *custos omnium virtutum;* quatenus removet tristitiam, quae impedit, ne virtutes in nobis caussentur, et conserventur. S. Augustinus, qui *de patientia* integrum librum edidit, aliqua observat scitu admodum necessaria: ac inter alia veram, et christianam patientiam, quae sola virtus est, docet cap. 6. esse distinguendam a falsa ex caussa patiendi. *Quando caussa,* inquit, *bona est; tunc ista,* patientia scilicet, *vera est: quando illa non polluitur cupiditate, tunc a falsitate ista distinguitur. Quum vero illa tenetur in crimine, tunc hujus multum erratur in nomine. Non enim, sicut omnes, qui sciunt, sunt participes scientiae, ita omnes, qui patiuntur, sunt participes patientiae: sed qui passione recte utuntur, hi patientiae veritate laudantur, hi patientiae munere coronantur.* Unde Christus non omnes, *qui persecutionem patiuntur*, beatos praedicat: sed qui *patiuntur propter justitiam.* Patientiam vero hanc, quae vere christiana patientia est, haberi non posse sine gratiae auxilio probat S. Th. hic art. 3.

Patientiae duo vitia opponuntur, sicut et ceteris virtutibus, per excessum, et per defectum; nimirum *insensibilitas*, et *impatientia.* Vitiosa quippe *insensibilitas* est, humanaeque rationi dissentaneam

nec propriis malis tangi, nec alienis; quum id duritiei indicium sit, veraeque amicitiae, et vitae politicae indecorum. Vitiosa quoque *impatientia*, qua quis nimium dolet, aut quaeritur de malis, quae ipsum circumveniunt, vel etiam propter ea sive a fide Christi, sive a recto virtutis tramite deflectit, quod saepe contingit in iis praesertim, qui hujus vitae bonis nimio amore affecti sunt.

XIII. *De Perseverantia, vitiisque oppositis.*

Quarta tandem fortitudini adjuncta virtus *perseverantia* est, quae dupliciter accipitur a Theologis cum S. Th., scilicet prout virtus, et prout peculiare donum Spiritus Sancti. *Virtutis* perseverantiae definitio haec esse potest: *habitus, per quem homo firmum propositum gerit persistendi in opere bono ad usque illius consummationem; ac reipsa persistit, non obstantibus molestiis, ac difficultatibus ex actus diuturnitate provenientibus.* Hanc esse specialem virtutem constat ex speciali objecto, quod inspicit ipsa; nempe boni operis peragendi diuturnitatem, et timorem defatigationis, quem moderatur, et cohibet; tametsi pro materia respicere possit quarumlibet virtutum actus, in quibus eligit constanter permanere.

Duo vitia perseverantiae sunt opposita; alterum per *defectum*, scilicet *animi mollities*: alterum per *excessum*, scilicet pertinacia, seu *pervicacia*. Mollities vitium est, quo quis ex amore voluptatis, seu vitae mollis, et delicatae consuetudine, labores, ac difficultates bonorum operum sustinere refugit; quod vitium frequentissimum est inter homines, adeoque pauci sunt, qui in bono opere perseverent. Pertinacia est vitium, quo quis contra regulam rationis in sententia propria, rebusque susceptis firmiter persistit, nulla habita ratione difficultatum, aut etiam consilii, vel Judicii prudentum virorum, quae ab earum prosecutione prohibere merito deberent. Quod profecto fatuae superbiae argumentum est.

Consectaria.

I. *Sistere in honore, vitiosum est.*

Audiendi non sunt aliqui Casuistae, quos inter Burgaberius, qui sicut docent, agere posse hominem propter voluptatem in ea sistendo; ita etiam propter honorem cum debita moderatione quaesitum. Sicut enim appetitus voluptatis, et divitiarum propter se illicitus est, ut jam demonstravimus; ita quoque appetitus honoris, et gloriae; docetque S. Augustinus lib. 5. de Civit. Dei c. 13: *sanius videre, qui et amorem laudis vitium esse cognoscit.* Nec dubium est, appetitum honoris propter se *ad ambitionem* pertinere; magnanimitatemque eo ipso desinere esse virtutem, quo magna operatur propter honorem tamquam finem. *Neque enim est vera virtus,* ut ait idem S. Pater cap. 12. *nisi quae ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est.*

II. *Magnanimitati non adversatur humilitas.*

Non est ullo modo putandum, magnanimitatem, et humilitatem sibi invicem adversari: quin potius amico foedere consociantur. Quod facile constat, si utriusque virtutis notiones, et characteres apprime considerentur. Nam, ut egregie observat S. Thom. q. 129. a. 3. ad 4. » In homine invenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei

» possidet; et aliquis defectus, qui competit ei, ex infirmitate naturae. Magnanimitas ergo facit, quod homo se magnis dignificet secundum considerationem donorum, quae possidet ex Deo. Humilitas autem facit, quod homo seipsum parvi pendat secundum » considerationem proprii defectus. Similiter etiam magnanimitas, » contemnit alios secundum quod deficiunt a donis Dei: non enim » tantum alios appretiatur, quod pro eis aliquid indecens faciat. » Sed humilitas alios honorat, et superiores aestimat, in quantum » in eis aliquid suspicit de dono Dei . . . . Et sic patet, quod magnanimitas et humilitas non sunt contraria, quamvis in contraria » tendere videntur; quia procedunt secundum diversas considerationes ».

III. *Non est confundenda magnanimitas, cum praesumptione.*

Ne *magnanimitatem* quae virtus est, cum *praesumptione*, quae est vitium ipsi oppositum, ut saepe fieri solet, confundamus, prae oculis habeamus oportet S. Th. doctrinam, quam tradit hic q. 130. a. 2. his verbis: » Magnanimitas consistit in medio; non quidem secundum » quantitatem ejus, in quod tendit, quia tendit in maximum: sed constituitur in medio secundum proportionem ad propriam facultatem. » Non enim in majora tendit, quam sibi conveniant. Praesumptuosus » autem quantum ad id, in quod tendit, non excedit magnanimum: » sed multum quandoque ab eo deficit. Excedit autem secundum » proportionem suae facultatis, quam magnanimus non transcendit. » Et hoc modo opponitur praesumptio magnanimitatis per excessum.

IV. *Vitium magnanimitati oppositum*, ambitio *est.*

Inter vitia, quae magnanimitati opponuntur, ac peculiari digna consideratione sunt, *ambitio* est, quae late vagatur, ac sub specioso virtutis velamine plurimos fallit. Ut itaque ejus deformitas, atque inordinatio clare detegatur, perpendenda sunt, quae luculenter tradit S. Th. q. 131. art. 1. » Tripliciter, inquit, appetitum honoris contingit esse inordinatum: uno modo per hoc quod aliquis appetit » testimonium de excellentia, quam non habet, quod est appetere » honorem supra suam proportionem.. Alio modo per hoc, quod » honorem sibi cupit, non referendo in Deum. Tertio per hoc, quod » appetitus ejus in ipso honore quiescit, non referens honorem ad » utilitatem aliorum. *Ambitio* autem importat inordinatum appetitum » honoris. Unde manifestum est, quod ambitio semper est peccatum ». Ex quibus patet, facile in peccata prolabi, qui honores quaerunt ob aliquam ex his inordinationibus, quae in eorum appetitu inveniuntur. Verum de hoc argumento infra latius dicemus.

V. *Non quivis honoris contemptus, laudabilis est.*

Non quivis honoris contemptus ex doctrina ejusdem S. Th. laudabilis est, sed ille duntaxat, qui recta ratione regulatur. Merito enim vituperantur ii, qui ita honorem contemnunt, ut nihil ipsum omnino curent, etiam quoties honorem servandum esse ratio praescribit. Quapropter honorem suum cordi habere unusquisque debet ubi, quando, et quomodo id exigit proximi salus, vel alia ipsius utilitas: item quoties proprii officii conditio hoc requirit, et maxime honor, et gloria Dei. Cavendum tamen est, ne quis ita honorem quaerat, ut vel bona faciat, vel mala omittat solum, aut praecipue propter honorem, qui expectatur ab hominibus.

CAPUT V.

De Temperantia, ac virtutibus adjunctis.

I. *Definitio, et indoles temperantiae.*

Quarta, ac postrema virtutum moralium, quae *cardinales* dicuntur, *temperantia* est, quae latiore quadam significatione usurpata definiri solet *virtus, quae juxta legem divinam, et rectam rationem passiones humanas moderatur, ac regit.* Verum sic accepta specialis virtus non est. Pressius autem sumpta, ac prout est quaedam specialis virtus definiri potest ex D. Th. 2. 2. q. 141. a. 3. *Virtus praecipue consistens circa passiones tendentes in bona sensibilia, scilicet circa concupiscentiam, et delectationem: ex consequenti autem circa tristitias, quae contingunt ex absentia talium delectationum.* Munus ergo temperantiae virtutis, est concupiscentias comprimere, ac praeterea contra nimias tristitias animum munire.

Experimento proprio compertum habemus, sensus omnes concupiscentia, ac delectatione aliqua affici, animumque ex omni sensu haurire voluptatem. Sic *aures* delectantur cantu, *oculi* rerum pulcritudine, et elegantia, *nares* odoribus, *lingua* sapore, et *tactus* cibi potusque deliciis, et blanda tactilium sensatione. Num ergo circa has omnes delectationes virtus temperantiae versatur? S. Th. de hac qu. agit art. 4. docetque, temperantiam proprie versari *circa delectationes ciborum, et circa delectationes venereorum*, quibus tactus et gustus afficiuntur; adeoque ejus principale munus esse eas regere, ac moderari. Circa autem concupiscentias, et delectationes aliorum sensuum, ut visus, auditus, et odoratus haud proprie temperantia versatur, si sensibilia eorum spectentur, quatenus delectabilia sunt propter sui convenientiam: quia scilicet sunt vel pulcra, vel sonora, vel odorifera; non vero quoad oblectationem, sive delectationem tactus. Sed si ad hujusmodi tactus delectationem referantur, ad amorem nimirum, vel desiderium alimenti, aut venereorum, circa illorum sensibilium delectationes, et concupiscentias temperantia quoque versatur, sed secundario, et ex consequenti, non autem principaliter.

II. *Temperantiae objectum, et officium.*

Ex dictis intelligi facile potest, quodnam sit temperantiae objectum, et quodnam ejus officium. Temperantiae scilicet objectum aliud *materiale* est, et *remotum*, quod consistit in usu earum rerum, quae ad naturae, conservationem, et propagationem necessariae sunt, ac etiam in ejusmodi rebus. *Formale* vero, et *proximum* est talium rerum amor, et voluptas, sive delectatio ex ipsarum perceptione proveniens: atque inde officium temperantiae est hujusmodi cupiditates, ac delectationes moderari, sive comprimere, ne a mediocritate, aut regula per legem Dei, ac rationis praescripta recedant. In his autem temperantia, quum omnia haec ordinentur ad sublevandam aliquam hujus vitae necessitatem, non aliam regulam sequi debet nisi ipsam necessitatem vitae; ut scilicet iis delectabilibus utatur quando, et juxta modum, quem necessitas vitae requirit. Necessitatem vero non eam solam intelligere oportet, sine qua res aliqua nullatenus esse potest; sed eam etiam, sine qua convenienter non

est, spectatis nimirum omnibus circumstantiis status, officii, opulentiae, sanitatis etc.

Porro sicut alius finis est in usu alimentorum, qui alius non est, nisi conservatio individui; et alius in usu venereorum, qui est conservatio speciei per propagationem; idcirco alia pariter est regula temperantiae in usu utrorumque. Quatenus enim versatur in esculentis, et potulentis ejus regula ordinaria est bona corporis valetudo, et mentis ad operationes suas dispositio: ad hunc enim finem sumi debent alimenta; adeoque nec amplius, nec minus, nec alio modo, quam secundum rectam rationem ad hunc finem expediat. Quatenus vero versatur in venereis, temperantiae regula est extra quidem matrimonium penitus ab eis abstinere; eoquod solum matrimonium ad propagationem prolis institutum sit: in matrimonio autem eatenus illo uti, quatenus procreatio prolis consequatur.

III. *De partibus temperantiam integrantibus, scilicet de verecundia, et honestate.*

Tria veluti genera partium cujusque cardinalis virtutis distinguit S. Th. quarum alias vocat *integrales*, alias *subjectivas*, alias *potentiales*. Partes *integrales* dicuntur quaedam conditiones ad virtutem requisitae. Partes subjectivae sunt diversae ejusdem species. Partes demum *potentiales* sunt virtutes accessoriae, sive adjunctae, quae non versantur circa materiam virtutis principalis, sed quodam simili modo alias materias respiciunt. Itaque duae sunt partes veluti integrales temperantiae, *verecundia*, et *honestas:* quoniam hae due conditiones sunt illam complentes. Verecundia est *timor*, *et horror turpitudinis*, *et vituperii intemperantiam comitantis:* quae quidem proprie loquendo virtus non est, sed perfectio virtutis, licet quandoque a SS. Patribus *virtus* appelletur.

Verecundiae opponitur inverecundia, de qua S. Ambrosius lib. 1. de Off. c. 18. et 43. ait: *Inverecundum est sensim ambulando imitari histrionicos gestus .... Multo magis inverecundum est, si quid turpe ore exeat ..... Haec enim vulgo pudori sunt .... Partes corporis, quas natura tegere jubet, detegere, aut spectare. Si casu aperiantur, confunditur verecundia: si studio, impudentia aestimatur* etc.

Quoad *honestatem* attinet, quae est pars altera integralis temperantiae, docet S. Th. q. 145. a. 1. et 2., eam idem esse cum *virtute*, et *decoro*; illamque attribui potius temperantiae, quam ceteris virtutibus: *Quia*, inquit, *honestas est quaedam spiritualis pulcritudo: pulcro autem opponitur turpe; opposita autem maxime se invicem manifestant. Et ideo ad temperantiam specialiter honestas pertinere videtur: quia id, quod est homini turpissimum, et indecentissimum, repellit; scilicet brutales voluptates. Unde et in ipso nomine temperantiae maxime intelligitur bonum rationis, cujus est moderari, et temperare concupiscentias pravas. Sic ergo honestas, prout speciali quadam ratione temperantiae attribuitur, ponitur pars ejus non quidem subjectiva, sed sicut virtus adjuncta, sive pars integralis ipsius, sicut quaedam ejus conditio.* Huc spectant, quae habet Apostolus 1. Corinth. 14. *Omnia vestra honeste, et secundum ordinem fiant.*

IV. *Virtutes temperantiae subjectae.*

Quatuor sunt species temperantiae scilicet *abstinentia*, *sobrietas*, *castitas*, et *pudicitia*. Quum enim virtutes ab objecto speciem reci-

piant, temperantiae species distinguendae sunt juxta materiae, sive objecti varietatem. Quia vero temperantia versatur circa delectationes gustus, et tactus; sive cibus, et potus, ac venereorum, *abstinentia* moderatur delectationes, quae percipiuntur in cibo: *sobrietas* delectationem potus: *castitas* delectationem conjunctionis carnalis: *pudicitia* delectationem amplexuum, aliorumque tactuum ad carnalem conjunctionem disponentium. De his pauca adnotare lubet.

Abstinentia juxta nominis sui significationem nihil aliud exprimit, nisi *subtractionem ciborum.* Duplici ergo in sensu sumi potest nomen *abstinentiae;* nimirum primo, quatenus absolute ciborum subtractionem designat. Et hoc modo abstinentia non importat neque virtutem, neque actum virtutis, sed aliquid indifferens. 2. Sumitur pro subtractione cibi juxta rectam rationem regulata. Tunc vero significat vel habitum virtutis, vel actum; ad virtutem quippe pertinet, ut homo a cibis abstineat, *prout oportet*, inquit S. Th. hic q. 146. a. 1. *pro congruentia hominum, cum quibus vivit, et personae suae, et pro valetudine, sive necessitate.* Hinc haec abstinentiae potest esse definitio; quod nempe sit *subtractio cibi facta secundum dictamen rectae rationis, ad spiritualem animi utilitatem.*

Varios abstinentiae gradus divina Scriptura commemorat. Primus est, quando ab omni cibo abstinetur ad tempus, ut fecit Moises, ac deinde Christus Dominus ad usque dies quadraginta. 2. Quando a quibusdam cibis perpetuo abstinetur, ut Hebraei. 3. Quando abstinetur ad tempus, ut Apostoli jusserunt Gentiles abstinere *a sanguine, et suffocato.* 4. Quando semper, vel ad tempus abstinetur a certo genere potus, ut Samson, Judith etc.

V. *Jejunium et variae ejus partes.*

De jejunio, quod peculiaris quaedam abstinentia est q. 147. agit S. Th., circa quod illud in primis observandum est, quatuor jejuniorum genera distingui: *metaphoricum* scilicet, *naturale*, *morale*, et *ecclesiasticum. Metaphoricum*, sive spirituale idem est, ac abstinentia a quibuslibet vitiis, et peccatis. *Naturale* importat omnimodam abstinentiam post mediam noctem ab iis, quae gustari possunt; adeo ut qui ita jejunant nihil omnino a media nocte sumpserint cibi, potus, medicinae, aut cujuslibet alterius rei, quae per modum cibi, vel potus sumatur. *Morale* est illa cibi, ac potus temperantia, quae servatur juxta dictamen rectae rationis. Tandem *ecclesiasticum* ab Innocentio IV. cap. *Quum ex* eo de observat. jejun. describitur *abstinentia victus, seu victualium secundum ordinationem Ecclesiae sive scripto, sive consuetudine approbata.* De hoc quum de praeceptis Ecclesiae.

Generatim loquendo jejunium esse actum virtutis ostendit a. 1. S. D. ex eo, quod ad haec tria honesta principaliter assumatur, nempe *ad concupiscentias carnis reprimendas:* ad hoc; quod *mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda:* et *ad satisfaciendum pro peccatis.* Ob salutares hosce fines planeque necessarios homini in hac vita degenti, jejunium cadere nedum *sub praecepto Ecclesiastico*, verum etiam *sub praecepto juris naturalis*, certa est nedum S. Th., sed etiam omnium Patrum, ac meliorum Theologorum sententia. Et de praecepto quidem ecclesiastico res est omnibus exploratissima; illudque suo loco explicandum erit. Sed et sub praecepto naturali conti-

neri, diserte affirmat S. Th. hic a. 3. dicens: *Jejunium in communi cadit sub praecepto legis naturae;* cujus fundamentum ex eo sumitur, quod naturalis ratio praescribit, ut unusquisque, qui remedio indiget, illo uti debeat: jejunium autem remedium est admodum opportunum ad plures fines spirituales, maximeque ad comprimendam rebellionem carnis nostrae adversus spiritum.

VI. *Sobrietas, sive abstinentia a potu immoderato.*

Sobrietas, prout generatim sumitur, significat animi moderationem, sive statum mentis sibi praesentis, nullaque passione, aut perturbatione a mensura deflectentis. Quia vero temperantia a potu nimio praecipue inservit ad statum mentis integre conservandum, idcirco temperantia a potu nomen *sobrietatis* sibi peculiariter vindicavit. *Specialiter*, inquit S. Th. q. 149. a. 1. *sobrietas attenditur circa potum, non quemcunque, sed eum, qui sua famositate natus est caput conturbare; sicut vinum, et omne, quod inebriare potest.* Ex hoc autem consequitur, ipsam specialem esse virtutem, quia speciale objectum respicit, nempe moderationem in potu, qui inebriare potest.

VII. *Quid sit castitas, ejus excellentia, maxime virginalis.*

Partem illam temperantiae, quae *castitas* appellatur, definit S. Th. 2. 2. q. 151. a. 1. et 3. *quae concupiscentiam castigat, utiturque moderate licitis delectationibus, quae venereae dicuntur.* Ea dividitur in castitatem *conjugalem*, quae abstinet ab illicitis voluptatibus, licitasque admittit in conjugio ob finem procreandae prolis: in castitatem *vidualem*, quae cohibet animum, ne delectationes, quarum experimentum in conjugio habitum est, imposterum quaerat: in castitatem *communiter dictam;* cujus est affectum continere a venereis delectationibus extra conjugium: ac demum in castitatem *virginalem;* in qua, ut inquit S. Th. q. 152. a. 3. *id, quod est formale, et completivum, est propositum perpetuo abstinendi a delectatione venerea; materiale autem est integritas carnis absque omni experimento venereae delectationis.*

Quamvis tres priores castitatis partes suo decore, et eximio quidem fulgeant; maximam tamen pulchritudinem prodit *virginitas* inter omnes sicut difficilior, ita quoque praestantior. Hanc sub oculos ponit S. Thom. q. 152. a. 1. facta comparatione ad ea, quae sunt in venerea completa delectatione, qua prorsus abstinet virginitas. Tria in ea contingunt. Primum est, quod accidit in corpore, scilicet carnis integritatis violatio, seu reseratio sigilli virginalis in foeminis, quodcunque demum illud sit, quod virgines a maritatis, et corruptis distinguit: non enim de virginitatis sigillo conveniunt inter se artis medicae, sive anatomicae professores. Aliud autem est, *in quo conjungitur id, quod est animae, cum eo, quod est corporis, scilicet resolutio seminis delectationem sensibilem caussans.* Tertium denique se habet ex parte animae duntaxat, scilicet *propositum perveniendi ad talem delectationem.* Horum primum *per accidens se habet ad moralem actum* (inquit S. Th.), *qui non consideratur per se, nisi secundum ea, quae sunt animae.* Unde neque in maribus apparet, et potest in foeminis contingere sine voluntaria corruptela. Alterum *materialiter se habet ad actum moralem;* idest materia est, ac objectum illius actionis, quae dicitur *moralis:* quia *sensibiles passiones animae sunt materia moralium actuum*, qui vel eisdem utuntur, vel abutuntur. Tertium

tandem se *habet formaliter*, et *completive: quia ratio moralium in eo, quod est rationis, completur.*

» Quia autem, subdit, virginitas dicitur per remotionem praedi» ctae corruptionis, consequens est, quod integritas membri corpo» ralis *per accidens* se habeat ad virginitatem: ipsa autem immunitas » a delectatione, quae consistit in seminis resolutione, se habet *mate*» *rialiter;* ipsum autem propositum perpetuo abstinendi a tali delecta» tione se habet *formaliter*, et completive in virginitate ». Hinc respondens ad 3. docet: *Si contingat, quid per alium modum aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis praejudicat virginitati, quam si corrumpatur manus, aut pes.*

VIII. *Pudicitia, in quo consistat.*

Pudicitiam, quae postrema est inter virtutes temperantiae subjectas, ad castitatem specialiter pertinere, non quasi virtus sit a castitate omnino distincta, sed quia quamdam exprimit castitatis circumstantiam, docet S. Th. hic q. 151. a. 4. cujus ea ratio est: » Quod » nomen *pudicitiae* a pudore sumitur, in quo verecundia significatur. » Et ideo oportet, quod pudicitia proprie sit circa illa, de quibus » homines maxime verecundantur. Maxime autem verecundantur » homines de actibus venereis, ut Augustinus dicit lib. 14. *de* » *Civit. Dei* cap. 18. in tantum quod etiam concubitus, qui honestate » nuptiarum decoratur, verecundia non careat: et hoc ideo, quia » motus genitalium membrorum non subjicitur imperio rationis, sicut » motus aliorum exteriorum membrorum. Verecundatur autem homo » non solum de illa commixtione venerea, sed etiam de quibuscum» que signis ejus etc. Et ideo pudicitia attenditur proprie circa ve» nerea, et praecipue circa signa venereorum, sicut sunt aspectus » impudici, oscula, et tactus. Et quia haec magis solent deprehendi, » ideo pudicitia magis respicit hujusmodi exteriora signa: castitas » autem magis ipsam veneream delectationem. Et ideo pudicitia ad » castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut » exprimens castitatem quamdam. Interdum tamen unum pro alio » ponitur; » castitas scilicet pro pudicitia, et pudicitia pro castitate, ut etiam posuere plures Ecclesiae Patres, ac praesertim S. Augustinus.

IX. *De Virtutibus temperantiae adjunctis, scilicet de Continentia, Clementia, Mansuetudine, Modestia, et Taciturnitate.*

De partibus temperantiae *potentialibus*, sive virtutibus ipsi adjunctis fuse pertractat S. Th. q. 155. et seq. De quibusdam ex ipsis pauca nos agemus, potiusque earundem solas notiones assignabimus. Prima est *continentia*, quae hoc loco non sumitur pro virtute, qua quis ab omni abstinet venerea delectatione, et cum ipsa confunditur castitate virginali, aut viduali; sed pro virtute quadam, qua homo strenue obsistit pravis delectationibus, quae vehementer ipsum ad malum sollicitant. Ita tamen continentia, inquit S. Th., virtus est, ut quanto *strictius* accipitur, tanto sit major, ac perfectior virtus. Dum simpliciter, et absolute sumitur, circa concupiscentias delectationum tactus versatur tanquam proprium objectum, quia illae maxime impellunt ad aliquid prosequendum adversus rationem. Circa concupiscentias autem pravas aliarum rerum non absolute dicitur

continentia; sed cum adjecta expressione certae materiae, veluti *continentia irae*, *continentia avaritiae*, *continentia honoris*, quemadmodum docuit Aristoteles. Secunda est *clementia*, quae virtus est, qua animus ad lenitatem in exigenda poena propendet, prout id patitur justitiae ratio, spectatis circumstantiis facti, caussae, personae, aliisque. Nec tantum poenas reis debitas moderatur; sed quandoque etiam justis de caussis praestat, ut omnino remittantur: sicut fecit Christus cum adultera muliere, cui poenam juxta legem debitam remisit. Tertia *Mansuetudo* clementiae affinis, eaque definiri potest virtus, quae moderatur iram juxta dictamen rectae rationis, ut scilicet homo non irascatur, nisi quando, quoties, quam ob caussam, et quomodo oportet. Quarta *Modestia*, quae interiores, et exteriores hominis actiones, in quibus modum servare non adeo difficile est, moderatur. Externos corporis motus componit, ut nihil in eis sit, quod cujusquam offendat aspectum. Circa alia quatuor modestia quoque versatur; nempe circa appetitum celsitudinis, quem refraenat *humilitas*: circa amorem sciendi, quem moderatur *studiositas*, ne nimium excedat: circa apparatum exteriorem, qui fit in vestibus, supellectili, et aliis hujusmodi: et circa ludos, et jocos. Quinta *Taciturnitas*, quae sermones regulat, ac moderatur juxta illud Psal. 38. *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam.*

X. *De vitiis temperantiae oppositis, scilicet de Insensibilitate et Intemperantia.*

De aliquibus vitiis temperantiae oppositis hic agendum est: de aliquibus, inquam, quoniam de quibusdam, et quidem praecipuis opportunius alibi disserendum erit. Ac primum quae temperantiae generatim inspectae opposita sunt exponimus D. Th. secuti, qui de hoc argumento disserit 2. 2. qu. 142. a. 1. Duo itaque sunt vitia, quae temperantiae generatim consideratae opponuntur, *intemperantia* scilicet, et *insensibilitas*. Illa opponitur per excessum, ista per defectum. Insensibilitas tunc dicitur, quando aliquis ita delectationes gustus, et tactus refugit, et aversatur, ut nolit eis uti quando, ubi, quomodo, vel quando iis utendum esse recta ratio praescribit. Adversus quippe naturalem ordinem delinquit, qui renuit eas operationes exequi, quae ad vitam necessariae sunt; adeo ut si quis ad vitandam delectationem, quam in sumendo cibo experitur, hunc sumere penitus nollet, peccaret mortaliter, suaeque ipsius mortis, quae inde consequeretur, reus esset. Sed hoc vitium valde rarum est inter homines.

Frequentius longe est vitium *intemperantiae*, quo videlicet delectationes sensiles, ac praecipue gustus, et tactus appetuntur, aut quaeruntur *plus quam oportet*, vel *quomodo non oportet* juxta rectae rationis regulam. Prae ceteris quibusque vitiis intemperantiam esse maxime exprobabilem ostendit S. Th. a. 4. tum quia maxime derogat dignitati, et excellentiae humanae, quum voluptates sensibiles communes sint brutis animalibus, et propter eas homo *comparetur jumentis insipientibus*, *et similis illis* efficiatur; tum quia in actibus intemperantiae nihil, sicut in aliis quibusdam vitiis, elucet ingenii, nihil virtutis, nihil, quod hominem deceat, quin potius ex hoc vitio

abjiciatur ad inferiora, servusque reddatur rerum vilissimarum juxta illud 2. Petri c. 2. *A quo quis superatus est, hujus et servus est.*

XI. *De Incontinentia.*

Quum de vitiis, quae opponuntur abstinentiae, et castitati, *gula* scilicet, et *luxuria* sermonem alibi simus habituri, idcirco ad illa progredimur, quae sunt opposita virtutibus temperantiae adjunctis; ac primum ad vitium continentiae oppositum, nimirum *incontinentiam*. Vitium hoc ad animam proprie pertinet, quae proprie. et per se incontinentiae caussa est. Siquidem quantumlibet vehementes sint passiones in appetitu concupiscibili, sufficiens tamen incontinentiae caussa non sunt: potest enim homo, dum viget usus rationis, iis passionibus semper resistere, ne voluntas consentiat. Haec autem *incontinentia* proprie, et simpliciter sumptà, quae nempe versatur circa illicitas delectationes tactus, peccatum est ex duplici capite; scilicet tum quia per eam deserit homo rectae rationis judicium; tum quia incontinens sensualitati obsequens se ipsum turpibus, atque homine indignis voluptatibus immergit. Minus tamen grave peccatum esse docet S. Th. hic a. 3. peccatum ex incontinentia, quam ex intemperantia commissum. Quoniam ubi major est inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi majus peccatum est. In eo autem, qui intemperatus est, est major inclinatio voluntatis ad peccandum, quam in incontinente: incontinens enim non peccat, nisi ab aliqua passione tentatus, et abreptus; intemperans vero etiam passionem praevenit, elegitque peccare; unde ejus voluntas longe corruptior est. Hujus discriminis signum in eo se prodit, quod qui per incontinentiam peccat, statim peccati sui poenitere solet; non autem is, qui peccat per intemperantiam, quum hic potius ex eorum numero sit, qui, ut Scriptura loquitur, *laetantur, quum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.*

XII. *De Curiositate.*

Studiositati, quae virtus est temperantiae adjuncta, et appetitum sciendi, vel cognoscendi moderatur, opponitur per excessum vitium *curiositatis*, quae si generaliter consideretur, pro objecto respicit quaecunque fieri possunt, vel cognosci, vel acquiri, immo et ea, quae haud licet agere, cognoscere, vel acquirere: atque adeo sic accepta denotat superfluam curam circa res aliquas cognoscendas. Si vero pressius accipiatur, definiri potest *nimius, aut superfluus appetitus sciendi*; habetque pro objecto cognitionem, seu cognitionis desiderium, et curam, quae rectae rationis mensuram praetergreditur.

Quamquam autem curiositas, dum ex objecto suo tantummodo consideratur, peccatum veniale sit; non raro tamen mortale peccatum esse potest. Et primo quidem *ratione materiae*; ut si res, vel cognitio ipsius de se graviter illicita sit, vel admodum noxia, aut periculosa; vel si facultatem ingenii longe excedat, neque Deus eam revelaverit, et tamen eam quis ingenio suo comprehendere nitatur. Ita lethaliter peccant, qui pacto inito cum Daemone vel expresso, vel tacito quaerunt aliqua cognoscere: item qui libros de amoribus tractantes legunt cum periculo consentiendi turpibus delectationibus, qui fidei mysteria naturae viribus assequi conantur etc. 2. Ratione *formae*, seu *modi*: ut quando interdictum ab aliqua lege est legere,

videre, vel audire aliqua; et nihilominus iis legendis, videndis, aut audiendis intenditur. Hinc lethaliter peccant, qui legunt libros prohibitos. 3. *Ratione medii illiciti*, quod ad sciendum quidpiam adhibitur: veluti si quis alium ad peccatum mortale, aut ad detegendum naturale secretum inducere velit, ut eam, quam quaerit, cognitionem assequatur. Demum *ratione gravis detrimenti*, aut pravi affectus consequentis: ut si pro studio rerum, quae necessariae non sunt, negligat aliquis, quae sub mortali scire tenetur, ut quae fidem spectant, vel proprium statum, et officium: aut si ex appetitu immoderato sciendi quodcunque peccatum mortale committat.

XIII. *Quo pacto, ludus accipiatur.*

Quemadmodum modestia moderatur, ac regit corporis motus; ita quidquid inordinatum, et incompositum est in bisce motibus modestiae opponitur. Quia vero de hoc genere modestiae agens S. Th. q. 168. sermonem praesertim habet *de ludo*, et vitiis ejusdem; ideo nos quoque de hoc argumento agemus. Hic autem advertere opus est, quod tametsi *ludus, jocus*, et *lusus* saepe invicem confundantur, differunt tamen inter se. Nam *ludus* proprie dicitur in factis; *jocus* in verbis, et *lusus* ad voluptatem referri solet: quia solius voluptatis caussa fit, non aliqua lucri spe, aut periculo damni; quod tunc frequentius appellatur *ludus*, de quo sermo erit in Tract. *de justitia.* Quidquid autem sit de nominis acceptione, ludus prout ad honestam voluptatem ordinatur, et modestiam, quae in externis motibus servanda est, revocat S. Th., sicut ad vitium eidem oppositum, si modum, aut mensuram excedat, aut alio fine assumatur.

Ludum esse posse virtutis actum ostendit a. 2. inquiens: » Sicut » homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, qnia non » potest continue laborare propter hoc, quod habet finitam virtu- » tem, quae determinatis laboribus proportionatur; ita etiam est ex » parte animae, cujus etiam est virtus similis ad determinatas ope- » rationes proportionata .... Sicut autem fatigatio corporalis solvitur » per corporis quietem; ita etiam oportet, quod fatigatio animalis » solvatur per animae quietem .... Quies autem animae est dele- » ctatio .... Hujusmodi autem dicta, vel facta, in quibus non quae- » ritur nisi delectatio animalis, vocatur *ludrica*, vel *jocosa*. Et ideo » necesse est talibus interdum uti, quasi ad quamdam animae » quietem ». Igitur interdum laudabile est, et moraliter etiam naturae nostrae necessarium, ut hisce jocis, aut ludis utamur. Et tunc hujusmodi moderati joci, vel ludi ad eam modestiae partem revocantur, quae graece vocatur *eutrapelia*, *quam nos*, inquit Angelicus, *possumus dicere jucunditatem*, *vel urbanitatem*, *aut comitatem*.

Ex notione virtutis fas est facile intelligere, quid sit vitium ipsi oppositum, quod propter affinitatem saepe a multis cum virtute confunditur, in quod vitium incurrunt ii, qui conditiones non servant ad honestum jocum, vel ludum necessarias. Primo nempe, dum animi relaxationem, aut delectationem quaerunt verbis, aut operationibus turpibus, aut alteri injuriosis, vel quomodolibet nocivis; dum scilicet vel obscoena, vel alteri damnosa in materiam lusus, aut joci vertuntur. 2. Si per jocos, aut ludos animae gravitas omnino resolvatur; neque enim ludricis, aut jocosis vacare licet amplius,

quam oporteat. Quare peccant, qui ita ludis, vel jocis intendunt, ut in ea delectatione finem ultimum constituere videantur: quorum sane non paucos invenire est, qui totum nempe, aut fere totum in ludis vitae tempus consumunt. 3. Peccant, qui ludis, et jocis, quamvis secundum se moderatis, honestis, et personae, loco, ac tempori congruentibus ita utuntur, ut non omnino observent alias circumstantias, quae ad actum virtuosum generatim consideratum desiderantur; quas vix, aut nunquam observant, qui huic voluptati studere solent. 4. Quum animi recreatio, aut solamen sit finis, ad quem ludus ordinatur, consequitur, non sine culpa esse, qui ludit principaliter propter lucrum; vel lucrum in ipso ludo nimium avide quaerit. Est enim in hoc quaedam ordinis perversio, dum quod ad aliquem finem suapte natura ordinatur, ad alium detorquetur. Damnandi tamen non sunt, qui ludentes praeter honestum animae solamen exiguum aliquod lucrum adjiciunt, quod tamquam finem non intendunt. Ceterum caute in hoc se gerere oportet; quoniam experientia satis frequenti constat, nihil minus saepius intendi, quam animi levamen, quoties lucrum proponitur, maxime si lucrum pecuniarum sit. Videmus quippe tunc ludentes tanto mentis ardore in ludum incumbere ad victoriam assequendam, ut nihil aliud cogitent, quam evadere victores. Hinc in his, qui ita ludunt, admodum raro ludus actus virtutis est: quod si virtutis actus non est, non potest non esse nisi actus aliqua vitii labe corruptus. Sed de ludo lucratorio alibi dicemus.

XIV. *Exterior apparatus, si sit moderatus, laudabilis est, et actus virtutis.*

Exterior quoque apparatus ad modestiam spectat. S. Th. q. 169. hujus 2. p. a. 1. definit, in exteriori cultu *virtutem esse posse, et vitium.* Nimirum corporis ornamenta instituta sunt nedum ad naturam fovendam, ac a temporis injuriis protegendam, sed etiam ad statum, conditionem, ac sexus distinctionem indicandam. Unde sicut in corpore physico membrorum distinctio est, et dispositio cuique parti corporis conveniens; ita quoque congruum fuit, ut corpus politicum suis membris constet, quae signis et ornatibus distinguantur, ut ex partium varietate, et idonea dispositione utriusque corporis physici, atque politici pulcritudo consurgat. Hinc membra, quae nobiliora sunt, ornatiora ceteris esse rerum naturae conforme est; adeoque ut viri nobiles, et Magistratus cultioribus prae aliis vestibus induantur, ut sui status, aut officii dignitas demonstretur.

At vero si exterior apparatus virtutis actus est, dum, spectata conditione, ac dignitate cujuscunque, moderationem servat: ita vitiosus efficitur propter hujus defectum: quod ex duplici capite contingit. *Uno quidem modo*, inquit S. Th., *per comparationem ad consuetudinem hominum, cum quibus aliquis vivit.* Ut si quis erigeret magnifica aedificia, et ea ornaret pretiosiore supellectili, vel majore servorum comitatu uteretur, quam sui status conditio, vel hominum consuetudo ferat. *Alio modo potest esse immoderantia in usu talium rerum ex inordinatu affectu utentis.* Porro inordinatum hujusmodi affectum tripliciter contingere notat S. D. Primum ex hoc, quod *aliquis ex superfluo cultu vestium hominum gloriam quaerit, prout*

scilicet vestes, et alia hujusmodi pertinent ad quemdam ornatum. 2. *Quatenus homo per superfluum cultum vestium quaerit delicias, secundum quod vestis ordinatur ad corporis fomentum.* 3. *Prout nimiam solicitudinem apponit ad nimium vestium cultum, etiamsi non sit aliqua inordinatio ex parte finis.*

Quemadmodum autem vitiosa inordinatio per excessum esse potest in cultu vestium, aliorumque, quae ad externum apparatum pertinent; ita pariter esse posse per defectum, hoc eodem art. docet S. Th. *Uno quidem modo*, inquit, *ex negligentia hominis, qui non adhibet studium, vel laborem ad hoc, quod exteriori cultu utatur, secundum quod oportet* ... *Alio modo quod ipsum defectum exterioris cultus ad gloriam ordinat. Unde dicit Augustin. lib. 2. de serm. Dom. in Monte, non in sola rerum corporearum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam, et eo periculosiorem, quod sub nomine servitutis Dei decipit.*

XV. *Doctrina S. Thomae, de mulierum ornatu.*

De ornatu mulierum disserit S. Th. q. cit. 2. 2. ex cujus doctrina plura habemus, quae faciem veritati praebent in hac materia satis implexa. Habemus primo, licere mulieribus conjugatis, se studio aliquo ornare ob hunc finem, qui rationis ordini consentaneus est, ut placeant viris suis, eosque avertant ab alienarum mulierum amore. 2. Idem licitum esse puellis, quae matrimonio jungi volunt, ut sibi honestum amorem concilient, dummodo in ornatu non excedant, neque periculum sit, ut alios ad peccandum alliciant, aut ille sit immoderatus, et meretricius. 3. Mulieribus, quae nec viros habent, quibus placere debeant, nec habere volunt, vel in statu non sunt habendi, ut virgines; quae Deo se manciparunt, nullo modo convenire nimium corporis ornatum: et, si illum adhibeant, *et placeant virorum aspectibus*, ad concupiscentiam in illis excitandam, aut immoderato cultu corporis sui incentivum peccandi praebeant, semper mortaliter peccare. 4. Mulieres se superflue ornantes, non intentione provocandi alios ad venerem, sed vel ex quamdam vanitate mulieribus familiari, ut nempe de pulchritudine, et corporis sui elegantia laudentur; *quandoque solum peccare venialiter*, ut ait S. Th.; qui consulto usus est hac limitatione *quandoque* quoniam saepe contingit, ex alio capite esse peccatum mortale.

Profecto saltem frequenter grave peccatum esse vanum, et immoderatum mulierum ornatum, sive Scripturas, sive Patres consulamus, affirmare necesse est. Quam facile ad lasciviam attrahant ornatae mulieres, insinuat Sapiens *Ecclesiastes* cap. 9. dum ait: *Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam.* Et cap. 42. *In medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* Alia praetereo; sicut etiam Sanctorum Patrum sententias, quorum duntaxat indicabo loca, Tertull. *De cultu foeminar.* cap. 11. Cyprian. Lib. *de Discipl. et Hab. Virginum*, S. Aug. lib. 3. *de Doctr. Christ.* cap. 12. S. Joan. Chrysost. hom. 17. *in Matth.* S. Greg. Magn. *hom.* 40 *in Evang.* Qui omnes ita vituperant, ac damnant superfluum mulierum ornatum, ut satis manifestent, illum a gravi peccato immunem, generatim loquendo, non existimasse.

Verum hac in re cum S. Antonino extrema devitanda esse censeo, adeo ut nec mulieres ob excessum ornamentorum praecipit judicio

lethalis peccati fontes arguamus, nec etiam nimia facilitate a peccato absolvamus. Malitia namque sive gravis, sive levis hujusce criminis colligenda est ex pluribus circumstantiis, quae subesse solent; nempe ex foeminarum statu, conscientia, morum integritate, aut pravitate, ex expensis, quae propter ornatum fiunt, ex conditione familiae, aliisque.

Consectaria.

I. *Jejunium naturale, quando frangatur.*

Jejunium naturale non frangitur, nisi aliquid sumatur, aut saltem in via sit, ut trajiciatur ad stomachum, quod vel nutriat, vel ad nutriendum idoneum sit; uti sunt quilibet cibus, potus, medicinae, et quidquid sumitur per modum cibi, vel potus, quemadmodum tradit S. Th. in 4. dist. 8. et Adrianus pariter in 4. dicens· *Jejunium naturale est carentia cibi, et potus suscepti in stomacho, vel in via ad stomachum.* Unde si quis vel casu, vel data opera deglutiret glandem plumbeam, vel partem ferri, videtur non fregisse naturale jejunium.

II. *Jejunium in communi, cadit sub praecepto legis naturae.*

Quoniam ex doctrina S. Th. *Jejunium in communi cadit sub praecepto legis naturae;* siquidem ex naturali ratione tenetur quisque ad ea media adhibenda, quae necessaria sunt triplici fini jejunii exposito, maximeque ad cohibendas concupiscentias carnis nostrae; ex hoc colligere oportet, quod jejunio, etiam praeter tempora ab Ecclesia statuta, uti debeamus eo modo, tempore, et quantitate, qua ad illum praesertim finem obtinendum necesse est. Qui carnem magis effraenem experitur, majore, aut frequentiore jejunio opus habet, ut eam comprimat. In hujusmodi autem jejunio non requiritur, ut eam formam, et modum servet, qui in jejunio Ecclesiastico praescribitur: sed formam illam, modumque jejunandi observare debet, qui carni in officio continendae magis idoneus est, ab iisque potissimum cibis abstinere, qui ejusdem rebellionem fovere possunt. Haec doctrina a Confessariis, et directoribus animarum diligenter advertenda est.

III. *Ludi frequenter illiciti, ob carentiam circumstantiarum.*

Tametsi joci, et ludi moderati liciti sint, ac honesti; frequentius tamen illiciti evadunt ob carentiam circumstantiarum, quae ad eos honestandos necessariae sunt. Quare a peccato non sunt immunes, qui plures diei horas in jocis, et ludis etiam citra aliorum damnum insumere solent: eo praesertim, quod hi vix indigeant hoc remedio ad levamen animi seriosis studiis defatigati; ac ludo non propter finem levandi animum, sed propter ludum ipsum, ac delectationem, quam in eo percipiunt, duntaxat utantur. Ludere autem propter lucrum principaliter intentum non est sine aliquo peccato saltem veniali (non loquor modo de ludis violentis, in quibus magna pecuniarum summa sorti exponitur; sed de ludis ordinariis). Finis namque ludi sola animi recreatio est, non lucrum; adeoque pervertit ordinem, et ludum a suo nativo fine detorquet, qui lucrum principaliter intendit.

IV. *Ornatus muliebris, ad luxuriam provocans, semper peccatum lethale.*

Muliebris ornatus, si hujusmodi sit, ut de se ad luxuriam alliciat, et provocet, semper est peccatum mortale. Talis esse solet ornatus,

qui *meretricius* dicitur, ex eo quod illo utantur meretrices ad pertrahendos homines ad turpem sui amorem. Quare si ornatus similem adhibeant etiam aliae mulieres honestae, licet eamdem pravam intentionem non habeant, nihilominus graviter peccant: quia scandali occasionem proximo praebent. Immodicus quoque mulierum ornatus non infrequenter lethale peccatum est ob gravia, quae ex illo proficiscuntur, incommoda. Neque absque peccato fucis, aut pigmentis mulieres vultum suum adulterant, ut pulcritudinem ementiantur. Ita D. Th. hic q. 169. a. 2. ad 2. ubi ait: *Mulierum fucatio est quaedam species fictionis, quae non potest esse absque peccato . . . . . Non semper tamen,* subdit, *talis fucatio est cum peccato mortali; sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum . . . . . Sciendum tamen,* addit statim, *quod aliud est fingere pulcritudinem non habitam, et aliud occultare turpitudinem ex aliqua caussa provenientem, puta aegritudine, vel aliquo hujusmodi;* quod permittere videtur. Ceterum ad solam majorem pulcritudinem conciliandam, etiamsi alius desit pravus affectus, pingere fucis, aut coloribus vultum semper aliquod peccatum esse juxta doctrinam S. Th. dicendum omnino est, utpote *quamdam fictionis speciem.* Hinc tamquam falsa repudianda est aliquorum Casuistarum sententia, qui fucare pigmentis vultum ad pulcritudinem ementiendam, nullum esse peccatum pertendunt, sed actionem indifferentem.

V. *Quod mulier virili, vel vir muliebri veste utatur, peccato non caret.*

Peccato non caret, quod mulier virili, vel vir muliebri veste utatur. Ut enim docet S. Thom. hic a. 1. et 2. ad 3. » Cultus » exterior debet competere conditioni personae secundum communem » consuetudinem. Et ideo vitiosum est, quod mulier utatur veste » virili, aut e converso: et praecipue quia hoc potest esse caussa » lasciviae, et specialiter prohibetur in lege . . . . Potest tamen » quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel » caussa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius » vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi ». Quod si absque simili caussa haec habitus mutatio fiat, sed solum ex quadam levitate animi, et absit tam scandalum, quam intentio, periculumque libidinis, non excedit culpam veniale.

VI. *Cautio adhibenda in directione mulierum, vanis ornamentis utentium.*

Caute se gerere Confessarius debet in directione mulierum vanis, ac superfluis ornamentis utentium, ne imprudenter aut in nimium rigorem, aut laxitatem declinet. Si cultus, aut ornatus hujusmodi sit, vel ex se, vel ex circumstantiis ad libidinem provocet, licet hac inteotione careant, absolutionem negare ipsis debent, dum ab illo abstinere abnuunt. Similiter si expensae, quas in hisce ornamentis faciunt, aut superent domus facultates, aut propter eas debita non solvant, aut ea non restituant, quae gravis peccati materia sint, deneganda ipsis absolutio est. Quod si nullum ex his damnum intersit, sed sola vanitatis, aut levitatis culpa locum habeant in hisce, quae adhibent, ornamentis, etiam atque etiam hortetur, ut tales deserant vanitates, quae minime decent Christianas mulieres, quarum proprius decor debet esse modestia in omnibus suis actibus, maxi-

meque in vestitu. Quod si tamen eas deserere nolint, non propterea a Sacramentis arceat, sed ad frequentem Communionem non esse admittendas existimarem.

DISSERTATIO III.

De Peccatis.

Quemadmodum virtutibus vitia, ita virtutum actibus opponuntur peccata. Propterea, quum de virtutibus, vitiisque oppositis sermonem habuerimus, statim de peccatis agendum esse mihi visum est in genere *primum consideratis, ac postmodum* in specie, *prout scilicet ea complectitur peccata, quae* capitalia *appellari solent.*

CAPUT I.

De peccatis definitione, ac divisione.

I. *Peccati definitio.*

Plures traduntur ab Ecclesiae Patribus, et a S. Th. peccati definitiones juxta varios respectus, sub quibus illud spectari potest. Ceteris omissis, eam affero, quam ex D. Augustino desumpsit, probavitque S. Th. 1. 2. q. 71. a. 6. nimirum. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam.* Optimam esse hanc peccati definitionem ex eo facile constat, quod et peccata omnia complectitur, et peccati naturam manifestat. Complectitur enim nedum omne peccatum mortale *oris*, *cordis*, et *operis*, quum dicitur *dictum*, *factum*, vel *concupitum*; verum etiam quodcunque veniale peccatum: quod quum vere sit contra inhibitionem legis, vere est contra legem. Siquidem lex ex. gr. non furandi non tantum furtum vetat unius, vel plurium aureorum, sed etiam unius, aut paucorum assium. Facillime quoque aptatur peccato omissionis. *Affirmatio* quippe, et *negatio*, inquit S. Th. ad 1., *reducuntur ad idem genus*; adeoque ad factum contra legem reducitur *non factum*, *non dictum*, et *non concupitum* ad dictum et concupitum contra legem eamdem. Complectitur demum ea etiam peccata, quae committuntur contra leges humanas: quaequnque enim contra leges humanas, fiunt etiam saltem mediate contra legem aeternam. Sed et optime naturam declarat peccati generatim sumpti, dum dicitur, peccatum esse dictum etc. *contra legem aeternam: quod est*, inquit S.D., *quasi formale in peccato.*

II. *Peccatum Deum offendit.*

Haec peccati contrarietas ad legem aeternam Dei eidem omnino essentialis palam quidem facit turpitudinem ejus; sed haec amplius elucet, si alium observemus peccati characterem ex illo manantem, quod scilicet Deum offendit, ipsique injuriam irrogat; non equidem *effective*, quod nempe ipsi Deo in se noceat: hoc enim est impossibile; sed *affective*, sive in affecto peccantis. Unde in Sacris Litteris peccata saepe vocantur *offensiones*, *injuriae*, *injustitiae*: idque satis aperte fluit ex ipsa tradita peccati definitione. Si namque peccatum essentialiter est contra legem aeternam, plane est contra ipsum Deum Legislatorem, et contra ejus voluntatem; adeoque non potest non esse injuria et offensa ipsius.

Augetur offensae ratio, quae in peccato est, ex aliis capitibus. Peccator enim nedum offendit Deum ut Legislatorem, sed etiam ut justum judicem, nihil pertimescendo poenas, et supplicia, quae legis suae trasgressoribus comminatur. Offendit ut testem, non reverendo praesentiam, ac majestatem ejus, in cujus oculis peccat. Offendit ut summe bonum, cui necesse est, ut malum omne culpae displiceat, et cui magna infertur injuria, dum ipsi bonum creatum proponitur. Offendit etiam Deum ut ultimum omnium finem: quoniam per peccatum a Deo avertitur, et convertitur ad commutabile bonum. Offendit quoque Deum ut benefactorem et amicum, cui nefas est ingratum se exhibere. Demum offendit Deum ut supremum, et universalem Dominum creaturae praesertim intellectualis, cui jure servitutis debita est omnis actio ejusdem.

III. *Peccati divisio.*

Peccatum primo dividitur in *originale*, et *personale*. Originale dicitur, quod ex culpa primi nostri parentis Adam in nos derivatur. Personale est, quod propria peccantis voluntate committitur. Hoc duplex est, nempe *actuale;* actus scilicet inordinatus et regulis morum dissentaneus: et *habituale;* macula nempe ex peccato actuali in anima relicta, postquam prava ejus voluntas tam actu, quam virtute desiit. 2. In *mortale*, et *veniale*. Mortale vocatur, ex eo, quod animae mortem inferat, hoc est privationem gratiae santificantis, quae animae vita est. Veniale vero, quod *veniam* facile meretur, nec animae mortem infert, nec divinam amicitiam dissolvit. 3. In peccatum *commissionis*, quod in transgressione praecepti negativi consistit, illud agendo, quod prohibetur: et in peccatum *omissionis*, quo transgredimur praeceptum affirmativum, ea non agendo, quae praecipiuntur. 4. In peccatum *cordis*, *oris*, et *operis*. Dictum contra legem est peccatum oris: concupitum contra eamdem *cordis:* et factum eidem repugnans est *operis*. 5. In *proprium*, et *alienum*. Proprium dicitur, quod peccans ipse committit: alienum vero, quod committunt alii nostro consilio, jussu, exemplo, patrocinio, adulatione, dissimulatione, vitioso silentio, omissione correctionis, aliisque modis. Postremo in peccatum *ex ignorantia*, *ex infirmitate*, et *ex malitia*. Peccata *ex ignorantia* sunt, quae ex culpabili cognitionis, et advertentiae defectu proveniunt: de quibus alibi disseruimus. Peccata *ex infirmitate* appellantur, quae committuntur ex gravi aliqua tentatione insurgente, aut ex commotione antecedente sentientis appetitus voluntatem ad consensum trahentis. Peccata ex *malitia* vocantur, quae voluntas nullius antecedentis passionis impulsu, sed seipsa deliberate movente committit.

IV. *Peccata ex fragilitate, et ex malitia quid sint, exponitur.*

Quoniam de ceteris peccatorum divisionibus vel dictum alibi satis est, vel postmodum dicendum erit; juvat hic paullo attentius immorari in explicanda, et tradenda legitima notione peccatorum, quae ex *fragilitate*, aut *infirmitate*, et ex *malitia* perpetrantur, de quibus infra sermo non redibit. De utroque disserit S. Th. p. 2. ac de peccato quidem *ex fragilitate* commisso q. 77. praesertim a. 3. ubi haec habet: » Quando extra ordinem rationis vis concupiscibilis, aut ira- » scibilis aliqua passione afficitur, et per hoc aliquod impedimentum

» praestatur modo praedicto debitae actioni hominis, dicitur *pecca-» tum esse ex infirmitate.* Unde et Philosophus in 7. Eth. comparat » incontinentem paralytico, cujus partes moventur in contrarium » ejus, quod ipse disponit ». Ex quibus perspicuum est, convenienter dici, tunc hominem agere *ex infirmitate* quoties agit ex aliqua passione inordinata, quae vel mentem abstrahit a consideratione ejus, quod ratio recta praescribit, vel apprehensionem et imaginationem defigit in objecto rationi dissentaneo: cujusmodi sunt peccata, quae vel ex metu, vel ex ira, vel ex concupiscentia: ceterisve passionibus committuntur. Quod si contingat, ut contingere saepe solet, quod aliquis excitet in semetipso passionem, ut vehementius et liberius peccet, peccatum illud non ex infirmitate erit, sed potius ex malitia, ut animadvertit idem S. D, q. *de malo* a. 12. ad 5. Ex quo satis constat, quodnam sit peccatum *ex malitia.* At magis hoc perspectum fiet ex iis, quae habet p. 2. q. 78. ubi docet, eos, qui scienter eligunt malum, et neque ex ignorantia, neque ex passione peccant, peccare *ex malitia.*

Hinc vero colligit S. D. art. 2. quod *quicunque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia:* quia quicunque ex habitu peccat, peccat ex voluntate per consuetudinem obfirmata, et veluti naturaliter inclinata ad malum: quum habitus malus sit confirmata, et veluti naturalis conversio voluntatis ad malum: in quo distinguitur a peccato ex passione commisso. Neque enim qui ex passione antecedente peccat, voluntas ipsius est in malo obfirmata, sicut qui peccat ex habitu vitioso. Nec quidpiam obstat similitudo actuum, qui procedunt ex passione, et ex habitu. Nam *quamvis*, ut observat S. Th. in resp. ad 2., *actus similes sint secundum speciem, differunt tamen inter se, sicut perfectum ab imperfecto;* quatenus actus mali ex passione procedentes, non ita plane voluntarii sunt, sicut illi, qui procedunt ex habitu.

V. *Peccati effectus.*

Plures peccati effectus afferri possent; duo tamen praecipui sunt; *macula* videlicet, et *reatus poenae*, de quibus pauca dicemus. *Macula est privatio nitoris spiritualis ex rerum terrenarum amore et adhaesione proveniens; sicut macula corporis est detrimentum nitoris corporei ex alieni corporis contactu proveniens.* » Habet autem, subdit S. Th. hic » q. 86. a. 1. anima hominis duplicem nitorem: unum quidem ex » refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in suis » actibus; alium vero ex refulgentia divini luminis, scilicet sapien-» tiae, et gratiae, per quam etiam homo perficitur ad bene, et de-» center agendum ». Hujus utriusque nitoris privatio est macula peccati manens in anima, etiam postquam actus peccati transierit, donec poenitentiae virtute deleatur. Non est ergo *macula aliquid positive in anima*, inquit ad 3., *nec significat privationem solam, sed significat privationem quamdam nitoris animae in ordine ad suam caussam, quae est peccatum.* Ex quo infert, diversa peccata diversas maculas inducere ad similitudinem umbrae, quae est privatio luminis ex objecto alicujus corporis, et secundum diversitatem corporum objectorum diversae sunt umbrae. Unde etiam fit, equales non esse omnium peccatorum maculas: quia privationis illae nitoris spiritualis connotant inaequalia peccata, quae majus, minusve obstaculum ingerunt divino lumini.

VI. *Quid sit reatus poenae.*

Alter peccati effectus est *reatus poenae*, qui proprie consistit in obligatione, sive condignitate ad subeundam poenam. Haec siquidem condignitas ad poenam illud est, quod per se primo intelligitur in reatu. Antequam enim quispiam destinetur ad poenam, supponitur esse poena dignus; sicut antequam aliquis destinetur ad praemium supponitur esse dignus praemio. Haec tamen condignitas ad poenam non habetur nisi ex peccato, aut macula tamquam primaria sui radice; nec completur in ratione reatus, nisi per passivam ordinationem ad poenam a Deo supremo Judice factam. Unde damnati ad gehennam perpetuo quidem peccant blasphemiis; quas in Deum evomunt; neque tamen novae poenae reatum contrahunt, non aliam ob caussam, nisi defectu divinae ordinationis ad novam poenam eos destinantis.

Itaque quicunque peccat, dum se ab ordine legis divinae subducit per culpam, in ordinem Divinae justitiae revocatur per poenam. Haec autem poena, nisi in hac vita expietur per poenitentiam, luenda superest in alia, et quidem per totam aeternitatem, si quispiam in peccato decesserit. De hoc argumento, quod scilicet impiorum poena aeternum duratura sit, fusissime disserui in libro a me edito, *De futuro impiorum statu* inscripto; eamque adversus tum Socinianos, tum nuperos Origenistas, Theologicis omnibus argumentis comprobavi.

CAPUT II.

De peccatorum specifica distinctione, et inaequalitate.

I. *Sententia D. Thomae, de specifica distinctione peccatorum.*

Quemadmodum res omnes considerari valent et *in genere*, quatenus in aliquo communi conveniunt, et *in specie*, prout per formam, qua constant, inter se differunt; ac demum *in numero*, in quantum eamdem quidem formam participant, sed ob conditiones individuales distinguuntur, atque multiplicantur; eadem quoque consideratio de peccato fieri potest, ac debet. Quoad igitur in primis specificam peccatorum distinctionem attinet, nos omissis variis Theologorum sententiis; statuimus cum S. Th. qui hac de re agit tota q. 72., peccata specie invicem distingui, sive specificam distinctionem depromere ab objectis formaliter diversis. *Dicendum*, inquit art. 1. ad 2., *quod peccatum* non est pura privatio (*in concreto*, ut ajunt, sive prout est a parte rei) *sed est actus debito ordine privatus. Et ideo peccata magis distinguuntur species secundum objecta actuum, quam secundum opposita. Quamvis*, subdit, *etiamsi distinguantur secundum opposita virtutes, in idem rediret. Virtutes enim distinguuntur specie secundum objectà, ut supra dictum est.* Et quibus liquet, duplici modo, qui tandem in unum recidit, peccata specie distingui posse; nimirum vel ex eo, quod respiciant objecta specifice diversa; vel ex eo, quod opponantur diversis specie virtutibus: qui modus distinguendi species peccatorum fortasse facilior, et planior est, magisque obvius vulgari hominum cognitioni.

II, *Quaedam regulae statuuntur.*

Ex hac fundamentali S. Th. doctrina quasdam regulas proponemus, quae ad praxim valde utiles sunt; non omnes tamen, quae ex tradita doctrina sumi possunt, sed aliquas duntaxat, quae spectant vel ad praecepta, vel ad circumstantias peccatorum, quibus saepe ab una ad aliam speciem trahuntur, et proinde necessario in Confessione aperiendas esse definivit Concilium Tridentinum.

Itaque regula 1. est. *Sola praeceptorum diversitas satis non est ad distinctionem specificam peccatorum.* Statuitur expresse a S. Th. hic a. 7. dicente: *Secundum diversa praecepta legis non diversificantur peccata secundum speciem.* Ratio est: quia plura possunt esse praecepta, ubi nulla est objectorum formalium specifica diversitas; veluti quum vel plura praecepta, aut unum saepius iteratum unam eamdemque rem jubent, aut prohibent. Sic ex. gr. furtum, quamvis vetitum sit tum lege naturali tum lege positiva, et hac divina, et humana, unius speciei peccatum est.

III, Reg. 2. *Dum plura praecepta specialem, ac diversam repugnantiam habent cum recta ratione; adeo ut actus, qui vel praecipitur, vel prohibetur, ad virtutem specie diversam transferatur: peccata iis praeceptis opposita specie distinguuntur, aut certe duplici malitia specie diversa sordescunt.*

Ratio est: quia tunc habetur diversitas objecti formalis respectu actuum, qui omittuntur, aut praecipiuntur. Sic adulterium a viro religioso commissum triplicem specie distinctam malitiam continet: *luxuriae* scilicet contra castitatem, *injustitiae* ex eo, quod cognoscat mulierem alienam, et *sacrilegii* contra religionem ob voti violationem. Similiter qui occidit, aut percutit Clericum, peccatum contrahit duplici specie diversa malitia infectum, videlicet et adversus *justitiam*, et adversus *religionem.*

IV. Reg. 3. *Diversitas specifica peccatorum, depromi nonnunquam potest ex praeceptorum diversitate in iis, quae mala sunt, quia jure positivo prohibita.*

Haec regula a S. Th. desumitur, qui q. 2. de malo a. 6. ait: *Si aliqua essent peccata solum quia prohibita, in his rationabile esset, ut secundum differentiam praeceptorum specie peccata differrent.* Quod non ita intelligendum est, quasi sola praeceptorum diversitas distinctionem in peccatis efficiat; sed quia diversa praecepta ad diversam materiam, sive objectum, quod respiciunt, ordinata faciunt, ea ad virtutes diversas pertinere, ad quas ceteroquin poterant non pertinere; adeoque faciunt etiam, ut eorum praeceptorum transgressiones a peccata specie diversa pertineant. Sic fraudare decimas ex positivo jure praescriptas ad peccatum injustitiae pertinet; vesci carnibus in die jejunii ad peccatum intemperantiae, etc.

V. Reg. 4. *Ad contrahendam malitiam specie distinctam cujuscunque objecti sufficit, quod homo voluntariae feratur in illud.*

Patet haec regula. Neque enim ad contrahendam malitiam ex. gr. adulterii, sive injustitiae necesse est, ut homo feratur in uxorem alienam formaliter ut alienā est; neque ad contrahendam malitiam furti sacrilegi necesse est, ut rem sacram auferat formaliter ut sacram: sed satis est, quod illam sciens, ac volens auferat; tametsi

motivum, ob quod voluntas fertur in alienam uxorem, non aliud sit nisi foeminae pulcritudo, aut delectatio ex ea percepta; et similiter motivum furandi rem sacram praecise sit utilitas, aut commoditas, quae ex illa speratur. Unde contingit, eundem omnino actum in specie physica diversum esse in specie morali: et e converso actus specie physica diversos ejusdem esse speciei in genere moris, ut constat in furtu auri, aut argenti. Quare actus physici speciem recipiunt ab objectu in ea ratione considerato, sub qua illud attingunt: morales vero, sive peccata speciem capiunt ab objectis suis in ea ratione sumptis, sub qua prohibentur per legem: a qua nedum prohibetur voluntarie ferri in uxorem alterius, prout sua non est, sed aliena, verum etiam absolute in uxorem proximi, ut patet ex praecepto: *Non concupisces uxorem proximi tui* etc.

VI. Reg. 5. *Circumstantia, quae actum efficit repugnantem cum aliqua virtute, cui ceteroquin non repugnat, peccati speciem mutat.*

Concilium Tridentinum sess. 14. c. 5. et Can. 7. definit, circumstantias, quae speciem peccati mutant, necessario esse confitendas. Unde diligenter advertere oportet, quaenam sint hujusmodi circumstantiae, quae nova malitia in confessione aperienda peccaminosos actus inficiunt. Primum itaque positam regulam generalem observandam statuimus; quae ex dictis, satis manifesta est. Quoniam ubi actus peccaminosus repugnantiam involvit cum virtutibus specie diversis, ibi quoque diversitas specifica est objectorum juxta traditam S. Th. animadversionem, adeoque etiam malitia specie distincta; sic circumstantia rei sacrae novam ac specie diversam in furto malitiam inducit: illud enim efficit repugnans virtuti Religionis, quae a justitia distinguitur.

VII. Reg. 6. *Majus et minus, intensum, et remissum non sunt circumstantiae, quae ex se mutent speciem peccati.*

Ita S. Th. p. 2. q. 18. a. 11. » Circumstantia, inquit, dat speciem » boni, vel mali actui morali, in quantum respicit specialem ordi» nem rationis in bono, vel malo, nisi praesupposita alia circum» stantia, a qua actus moralis habet speciem boni, vel mali: sicut » tollere aliquid in magna quantitate, vel parva, non respicit ordi» nem rationis in bono, vel malo, nisi praesupposita aliqua condi» tione, per quam actus habeat malitiam, vel bonitatem; puta hoc, » quod est esse *alienum*, quod repugnat rationi. Unde tollere alie» num *in magna, vel parva quantitate* non diversificat *speciem pec» cati:* tamen potest aggravare, vel diminuire peccatum ». Quantitas ergo furti magna vel parva, quemadmodum et intensio et remissio ejusdem actus non constituunt peccatum specie diversum. Quod si aliquando, hujusmodi circumstantia aperienda est, hoc non ex diversa peccati specie, sed ex alio capite proficiscitur, de quo alibi.

VIII. Reg. 7. *Nec diuturnitas, aut frequentia actus de se novam speciem peccato addit, sed ex accidenti addere aliquando potest.*

Haec quoque regula ex doctrina S. Th. colligitur hic q. 88. a. 5. ad 1. dicentis: » Diuturnitas non est circumstantia trahens in aliam » speciem: similiter nec frequentia, vel assiduitas, nisi forte per ac» cidens ex aliquo superveniente. Non enim aliquid acquirit novam » speciem ex hoc, quod multiplicatur, vel protelatur; nisi forte in

» actu protelato, vel multiplicato superveniat aliquid, quod variet » speciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujusmodi ».

IX. *Major, minorque gravitas essentialis peccatorum, summitur ex objecto.*

Peccata omnia aequalia non esse, prout Stoici crediderunt, fidei dogma est. Unde hujusmodi inaequalitas desumenda sit, S. Th. statuit tota q. 73. hujus p. 2. aliisque in locis distinguens duplicem gravitatem, quam habere possunt, aliam scilicet *essentialem*, quam repetunt ex objecto; aliam *accidentalem*, quam desumunt ex circumstantiis. Utramque perspicue declarat tum loc. laud. tum q. 2. *de malo* a. 10. docetque, gravitatem peccati desumit ex duobus; nempe ex parte actus, et ex parte agentis. Ex parte actus duo sunt, nimirum *species actus*, et *accidens* ejus, sive *circumstantia*. Hinc gravitas peccati, quam habet *ex specie sua* attenditur *ex parte objecti*; adeoque ex hoc capite gravius peccatum dicitur ex genere suo, quod majori bono virtutis opponitur. Unde peccata, *quae sunt in Deum*, sicut blasphemia et hujusmodi secundum suum genus sunt reputanda *gravissima*. Inter peccata vero *in proximum* tanto aliqua sunt aliis *graviora*, quanto majori bono proximi opponuntur. Maximum autem inter corporalia bona proximi est ipsa vita hominis, cui opponitur peccatum *homicidii*, quod tollit actualem vitam; et peccatum *luxuriae*, quod opponitur vitae hominis in potentia, quia est inordinatio quaedam circa actum generationis humanae. Unde inter omnia peccata, quae sunt in proximum gravius est homicidium, et secundum locum tenet adulterium, fornicatio, et hujusmodi peccata carnalia: tertium autem locum tenet furtum, et rapina, et hujusmodi, per quae in exterioribus bonis laeditur proximus. Concludit vero S. D. » In singulis autem horum generum sunt diversi gradus, in quibus » mensuram peccati secundum genus suum oportet accipere, secun- » dum quod bonum oppositum magis, vel minus per charitatem » debet amari ».

X. *Gravitas accidentalis summitur, ex circumstantiis.*

» Ex parte autem *circumstantiae*, subdit, est etiam gravitas in » peccato non ex specie sua, sed *accidentalis*. Similiter autem ex » parte agentis attenditur gravitas in peccato, secundum quod magis » vel minus voluntarius peccat ». De hac peccatorum majore, minoreque *accidentali* gravitate fusius agit q. cit. 73. Ex quibus, quum pleraque alia facile constent ex iis, quae aliis in locis dicta a nobis sunt, solum quaedam decerpo ex art. 9. et 10. quae spectant ad personam, in quam peccatur, et personam ipsius peccantis.

XI. *De circumstantia personae, in quam peccatur, et quae peccat.*

Itaque animadvertens, personam, in quam peccatur, esse posse vel Deum, vel ipsum, qui peccat, vel denique proximum; resolvit, *ex parte horum trium considerari majorem, vel minorem gravitatem in peccato, secundum conditionem personae, in quam peccatur.* » Et primo » quidem ex parte Dei, cui tanto magis aliquis homo conjungitur, » quanto est virtuosior, vel Deo sacratior. Et ideo injuria tali per- » sonae illata magis redundat in Deum. Unde peccatum fit gravius » ex hoc, quod peccatur in personam magis Deo conjunctam vel » ratione virtutis, vel ratione officii ».

» Ex parte etiam sui ipsius manifestum est, quod tanto aliquis » gravius peccat, quanto aliquis magis in conjunctam personam seu » naturali necessitudine, seu beneficiis, seu quacunque conjunctione » peccaverit: quia videtur in se ipsum magis peccare, et pro tanto » gravius peccat ... Ex parte vero proximi tanto gravius peccatur, » quanto peccatum plures tangit: et ideo peccatum, quod fit in per- » sonam publicam, puta Regem, vel Principem, qui gerit personam » totius multitudinis, est gravius, quam peccatum, quod committitur » contra unam personam privatam ».

Quod attinet ad circumstantiam *personae peccantis*, *tanto majus*, ut ait Isidorus lib. 2. de Sum. Bono c. 19., *peccatum cognoscitur esse, quanto major qui peccat*, *habetur*. Hoc autem luculenter declarat S. Th. a. 10. his verbis: » Dicendum, quod duplex est peccatum. » Quoddam est ex subreptione proveniens propter infirmitatem hu- » manae naturae. Et tale peccatum minus imputatur ei, qui est » major in virtute, eo quod minus negligit hujusmodi peccata re- » primere, quae tamen omnino subterfugere infirmitas humana non » sinit .... Alia vero peccata sunt ex deliberatione procedentia. Et » ista peccata tanto magis alicui imputantur, quanto major est. Et » hoc potest esse propter quatuor. Primo quidem, quia facilius pos- » sunt resistere peccato majores; puta qui excedunt in scientia, et » virtute ... Secundo propter ingratitudinem ..... Et quantum ad » hoc quaelibet majoritas etiam in temporalibus bonis aggravat. » Tertio propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitu- » dinem personae: sicut si Princeps justitiam violet, qui ponitur ju- » stitiae custos; et si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit. Quarto » propter exemplum, sive scandalum: quia, ut Gregorius dicit in » Pastorali: *In exemplum culpa vehementer extenditur*, *quando pro* » *reverentia gradus peccator honoratur* ». Ad plurium etiam notitiam » perveniunt peccata magnorum; et magis homines ea indigne fe- » runt ». Haec S. Doctor. Illud in exemplis allatis observandum, nedum peccata augeri in gravitate sive ex persona peccantis, sive ex persona illius, in quem peccatur; sed etiam ex circumstantiis quandoque novam recipere peccati speciem, prout supra dictum est.

CAPUT III.

De numerica distinctione peccatorum.

I. *Idem physicus actus*, *plures habere potest morales malitias numero distinctas.*

Eundem pravum actum, sive peccatum physice unum plures numero malitias moraliter complecti posse, ac plerumque complecti contra quosdam Neotericos praemittendum ducimus. Nam sicut unus, idemque physice actus saepe habet oppositionem cum pluribus specie distinctis virtutibus, ita saepe habet oppositionem cum pluribus numero distinctis juribus. Sic conjugatus, dum adulterium cum conjugata committit, vel dum uno quis ictu, unoque voluntatis actu plures occidit, plura numero jura laedit. Sed nulla afferri ratio potest, cur actus, qui opponitur pluribus numero distinctis juribus, minus habeat plures numero distinctas malitias, quam plures specie, dum oppo-

nitur pluribus specie distinctis virtutibus. Igitur etc. Unde autem haec numerica peccatorum distinctio repetenda sit, haud concors est Theologorum sententia; sed alii ex uno, alii ex alio capite depromendam esse contendunt.. Quae nobis certiora, aut verisimiliora videbuntur, quibusdam regulis exponemus.

II. Reg. 1. *Peccata numero multiplicantur, ex multiplicatione numerica objectorum totalium.*

Quum dico *objectorum totalium* hoc sensu intelligo, quod objecta etiam numerice distincta non se habeant ad modum unius, ita scilicet, quod unum non sit pars alterius, aut omnia unum aliquod totum tamquam partes ejusdem constituant. Si enim e contra res se habeat, ita nempe, ut plura quidem sint objecta, circa quae versetur actus voluntatis, sed quae reapse unum totum conflent, adeo ut vel unum sit pars alterius, vel omnia tamquam plures partes constituant unum totum, unum tantum objectum *totale* erit, adeoque et unum tantum numero peccatum; quod exemplis quibusdam manifestum fiet.

Si quis itaque uno, eodemque actu tres homines odio habeat, vel interficere velit: si una voluntate nolit audire Sacrum tribus diebus dominicis, aut festivis, vel tribus diebus jejunare, urgente praecepto; trium peccatorum reus est, aut certe unius triplici numerice distincta malitia deformis: quia quodlibet ex iis objectis *totale* est. Non enim aut unus homo, aut unum Sacrum, aut unum jejunium est pars alterius; aut tria illa sive homicidia, sive Sacra, sive jejunia unum totum tamquam partes constituunt. Eadem de caussa qui plures percutit, aut conviciis appetit, aut unica calumnia, vel maledictione plurium honori vel famae detrahit, tot reus est peccatorum, quot sunt personae laesae. Atque ita de ceteris.

E contra, quia multae partes domum unam constituunt, oves multae gregem unum, variae species, aut partes pecuniae summam unam, multi libri bibliothecam unam, combustio domus unum numero peccatum est, sicut et depraedatio gregis, et furtum unius summae pecuniae, et unius bibliothecae. Neque numerum ovium, singulas tritici mensuras, species singulas pecuniae, numerum librorum in Confessione exprimere necesse est; sed solum damni illati quantitatem, pecuniae summam, gregis, tritici, vel bibliothecae pretium. Quod tamen semper intelligendum est, si hae res pertineant ad eundem Dominum. Nam si ad plures Dominos pertinerent, aliter judicandum esset: quoniam dominium, seu jus unius diversum numero est a dominio, seu jure alterius.

III. Reg. 2. *Si voluntas peccandi cum exteriore actu conjuncta sit, unum numero peccatum est: Si autem ab opere externo sejuncta, distinctum.*

Ita S. Th. in 2. dist. 42. q. 1. a. 10., ubi ait: » Quum quaeritur, » utrum voluntas, et actus exterior sint diversa peccata, aut intelli» gitur de voluntate conjuncta actui exteriori, aut de voluntate prae» cedente. Si de conjuncta, sic oportet, quod unum peccatum sit » voluntas interior, et actus exterior .... Si autem de voluntate » separata, sic est aliud peccatum; quia actus voluntatis multiplican» tur: quod enim actum explet exteriorem, etiam actum voluntatis

» iterat. Et ideo oportet, quod sint duo peccata non propter diver-» sitatem actus interioris, et exterioris, sed propter diversitatem duo-» rum actuum interiorum ». Hinc si quis oblata occasione furari velit, et furetur, unum numero committit peccatum: contra vero si quis hodie adulterium exequi proponat, sed illud postridie exequatur, pluries peccat.

IV. Reg. 3. *Externae actiones licet numero distinctae, si ordinentur ad unum actum principalem, in quo consummantur, non sunt plura numero peccata, dum moraliter non interrumpantur.*

Exemplum sit in eo, qui nefariam alium occidendi voluntatem concepit; at ad illam opere complendam plures actiones praemittit, ut parare arma, equum sternere, viam arripere, locum, ubi degit perquirere etc. donec tandem inimicum interficiat: ita tactus, oscula, amplexus impudici, quos aliquis praemittit ad copulam cum foemina habendam. In his aliisque similibus casibus, quamvis multae sint actiones physice diversae, unum tamen numero peccatum constituunt, dummodo actiones illae non sint moraliter interruptae. Atque haec est communis Theologorum sententia; idemque ex praxi et sensu totius Ecclesiae colligitur, quae nunquam censuit, hujusmodi actus necessario esse in Confessione singillatim explicandos: unde sufficit exprimere actum principalem, in quo satis intelliguntur.

V. Reg. 4. *Peccata, quae actione externa consummantur, si post actus cessationem iterentur, nova numero peccata sunt.*

Exemplum communiter afferri solet de actibus subsequentibus copulam jam completam, ut oscula, tactus, et similia, quae post illam actionem iterum exercentur. Qua in re satis quidem inter se conveniunt Doctores, similes actiones novum esse, distinctumque numero peccatum, si fiant voluntate, aut intentione novae copulae, vel pollutionis excitandae, sive haec sequatur, sive non. Dissident vero quoties hujusmodi actus incunctanter fiunt post copulam peractam, sed non ex intentione novae copulae perficiendae. Et plures quidem novum esse numero peccatum negant: alii vero affirmant, quorum mihi probabilior sententia est; quoniam hae actiones copulam, vel pollutionem subsequentes dici non possunt partes ejusdem, utpote jam antea ultimo completae: nec illam sequuntur ex natura rei (quia per copulam acquisito termino commotio libidinosa potius quiescit), sed ex nova operantis malitia, suntque ex natura sua excitamentum, et inchoatio alterius copulae, vel pollutionis potius quam continuatio praecedentis. Sed et ipsi tactus, oscula, vel amplexus copulam praecedentes exerciti sine ulla ejusdem intentione, etsi deinde mutetur voluntas, et copula subsequatur, peccatum moraliter sunt ab illa distinctum, distincteque in Confessione explicandum; quia moraliter tunc interrumpuntur, et ipsi de se non sunt magis dispositiones ad copulam, quam ad simplicem pollutionem: aliunde vero supponuntur non ordinari tunc ex intentione operantis ad hunc vel illum actum consummatum.

Major difficultas videtur esse, an oscula, amplexus, aut tactus hujusmodi non ulterius relata sive ad copulam, sive ad pollutionem, peccata sint in se inspecta invicem distincta; ut ex. gr. dum quis uno impetu venereo, et una intentione carnalis delectationis tactus ad

horam continuata, decem vicibus se, vel aliam personam impudice tangit, decem peccata committat, vel unum tantum. Eademque difficultas est de illo, qui uno eodemque irae impetu plures aliquem percutit, aut plura in eo convicia evomit. Atque ita de aliis similibus. Qua in quaestione dicendum mihi videtur, hosce actus, licet quilibet ex se unum constituere peccatum possit, moraliter tamen nonnisi unicum peccatum esse (nisi tamen specialis in aliquo ex iis actibus intersit deformitas); quia ex communi hominum sensu reputantur una moraliter actio, una percussio, una locutio: quemadmodum unica moraliter censetur comestio illius, qui in eodem prandio plura successive fercula comedit. Nec eadem ratio est plurium vel fornicationum, vel occisionum etc.; licet una post aliam immediate succedat: quia hae sunt actiones totales, et in seipsis completae, et ex natura sua habentes definitum terminum, in quo consummantur; quod de memoratis actibus dici nequit.

VI. Reg. 5. *Peccata, quae consummantur in mente, ex quacunque cessatione multiplicantur.*

Exemplum est in actibus haeresis, desperationis, odii, delectationis morosae, et id genus aliis, qui, quacunque cessatione eorundem intercedente, si denuo eliciuntur, peccata numero diversa sunt. Quoniam singuli hujusmodi actus procuIdubio sunt in se peccata; nihilque est, in quo uniantur, et continuentur, ut unum numero peccatum dici queant. Neque enim uniuntur, aut continuantur in actu, objecto, vel effectu externo, ut supponimus; neque in actu interno, quum inter actus internos intercedat aliqua cessatio; adeoque ad singulos actus nova voluntatis determinatio requiritur, quae non potest non multiplicare peccatum.

VI. Reg. 6. *Peccata, quae consummantur opere externo, multiplicantur, quoties moraliter interrumpuntur.*

In hac regula ita generatim proposita consentiunt communiter Doctores. Fatentur siquidem, satis non esse ad multiplicanda numero peccata solam *physicam* interruptionem; sed *moralem* necessariam definiunt. Verum in quo consistat haec *moralis* interruptio ad multiplicationem numericam peccatorum necessaria haud plane conveniunt. Quod mihi certius in hac re videtur, et in quo etiam plerique Theologi concordes sunt, aperio: nimirum, *moraliter* peccata interrumpi, adeoque numero multiplicari. 1. per contrariam voluntatem, per quam prior voluntas revocatur, 2. per voluntariam cessationem ab actu, dum quis mentem alio voluntarie distrahit; 3. per aliquam notabilem moram temporis, quo cessatur ab actu. Singulos hosce moralis interruptionis modos paullulum explicare proderit.

Et quoad primum quidem attinet, res clara est. Siquidem revocatio illa efficit, ut posterior actus nullo pacto cum priore coalescat in unum moraliter actum; adeoque unus ab alio moraliter sejungitur. Eadem ratio est quoad secundum modum; dum nempe quis a priori mala voluntate voluntarie cessat, et ad alia vel agenda, vel cogitanda se convertit: quae vocari solet *retractatio virtualis* pravi actus, sicut prior vocatur *formalis*. Ut si quis ex. gr., visa pulcra puella, in ejus concupiscentiam voluntario feratur, sed postea animo suo deliberet, se nolle amplius de illa cogitare, seque ad aliud cogitan-

dum applicent. Tunc enim, si deinde in concupiscentiam puellae ejusdem inardescat, novum peccatum committit numero distinctum. Quoad tertium denique modum, praeter ea, quae supra diximus de actibus completis, seu ex natura sua consummatis, qui toties multiplicantur, quoties exercentur; haec generalis regula tradi solet: nimirum quando inter unum, et alterum actum tantum temporis, aut tale impedimentum intersit, ut prudentum sensu, dici nequeat, vel quod in aliquo uno vinculo conjungantur, vel quod unius ab altero dependentia intercedat, moraliter interrumpuntur, ita ut multiplicentur numero peccata. Sic si quis hodie concipiat propositum occidendi proximum, eamque pravam voluntatem reassumat erastina die, vel post plures horas: et similiter si quispiam vespere morosam foveat delectationem, vel odium, atque ita somno corripiatur, post somnum vero eundem actum prosequens duo peccata committit numero diversa specialiter in Confessione manifestanda. Secus vero eadem moralis interruptio haberi minime censetur, si mora temporis exigua sit: ut si quis mane ad interficiendum inimicum suum proficiscatur, et in itinere saepe quidem eam repetat voluntatem; sed aliquando etiam, ut fieri solet, vel de aliis rebus cogitet, vel cum aliquo colloquatur: siquidem prima ejus voluntas tunc *moraliter* interrupta non est, quum *virtualiter* saltem in actione suscepti itineris ad illud facinus exequendum perseveret.

CAPUT IV.

Consectaria praecedentium Capitum.

I. *Peccata venialia, speciem desumunt ab objectis.*

Etiam peccata venialia, si spectentur ex parte *conversionis*, speciem recipiunt ab objectis ac ipsa mortalia: quamvis ab his in infinitum distent ex parte *aversionis*. Ita S. Th. art. 5. ad 1.

II. *Distinctio specifica ab excessu, et defectu.*

Ex excessu quoque, et defectu saepe repetitur specifica peccatorum diversitas, quatenus quum virtutes in medio consistant, duplex vitium distinctum ipsis opponitur, alterum *per excessum*, alterum *per defectum*. Ita idem S. D. art. 8.

III. *Circumstantia* Quis, *quando novam inducat malitiae speciem.*

Quum septem communiter assignentur circumstantiarum genera, *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*; loquendo in primis de circumstantia *quis*, haec aliquando novam inducit malitiae speciem; aliquando solum malitiam auget. Exemplum prioris est circumstantia personae sacrae, a qua, vel cum qua fornicatio committitur: tunc enim malitiae fornicationis superadditur malitia sacrilegii, quae alias ipsi non inesset. Posterioris autem exemplum in circumstantia personae peccantis a Deo specialibus beneficiis insignitae, cujus peccatum tanto majus censetur ob ingratitudinem, quo plura ac majora beneficia recepit.

IV. *Distinctio specifica ex persona, et ex circumstantia* loci.

Detractio, calumnia, convicium, contumelia illata personae, cui peculiaris reverentia debetur, ex. gr. Patri, Matri, Superiori suo, circumstantia est, quae specialem adfert deformitatem; adeoque in

confessione explicandam. Itidem fornicatio cum muliere alteri per sponsalia de futuro obligata injustitiae malitiam contrahit. Quamquam enim adulterium proprie dictum minime sit, quidpiam tamen ipsi affine est ob gravem, quae sponso infertur, injuriam: nam ex sponsalibus Sponsus, et Sponsa jus quoddam saltem inchoatum acquirunt in mutuum corpus. Homicidium quoque, aut percussio in loco sacro commissa, tum etiam copula carnalis in eodem habita, tum alii actus turpes saltem externi ex loci sanctitate specialem malitiam contrahunt: sicut etiam furtum in Ecclesia perpetratum non solum rei sacrae, sed etiam rei non sacrae, ut crumenae Divitis ibi assistentis sacris functionibus. Equidem postremum hoc sunt, qui existimant, non esse circumstantiam, quae speciem mutet: sed alii plures oppositam sententiam tuentur, quibus suffragatur authoritas Joannis Papae VIII. in Cap. *Quisquis inventus*, 17. quaest. 4. generaliter, et absque ulla distinctione asserentis, *sacrilegium* committi non solum auferendo *sacrum de sacro*, vel *sacrum de non sacro*; sed etiam auferendo *non sacrum de sacro*. Quod quum in favorem Ecclesiae sit, ample intelligendum videtur, eo praesertim, quod circa finem ejusdem Capitis tamquam sacrilegos puniri velit, *qui Monasteria . . . . et Ecclesias infringunt, et deposita, vel alia quaelibet exinde extrahunt.*

V. *Quaenam specie multiplicentur peccata ex circumstantia* Quibus auxiliis, *et* Cur.

Quoties auxilia, sive media, quibus aliquis ad peccandum utitur. de se mala sunt, nova semper malitia peccato superadditur. Sic si quis ope Daemonis utatur ad inferendum proximo damnum, quo casu est malitia specialis societatis cum Daemone; vel homine tamquam instrumento, quo casu est specialis malitia scandali ex eo, quod ad peccandum inducat, qui ad hoc paratus non erat: quemadmodum etiam eadem malitia scandali occurrit, dum quis precibus, et suasionibus a puella rem veneream extorquet. Idem dicendum est de circumstantia *Cur*, seu fine extrinseco sibi ab operante constituto; ut dum aliquis furatur ad fornicationem, aut adulterium committendum, vel e contra fornicatur, aut moechatur ad furandum, vel ad alium pravum finem. Hoc autem in casu duplex specie diversa in peccato malitia est, fornicationis scilicet, aut adulterio, et furti, sive alterius pravi finis. Tunc autem, ut animadvertit S. Th. 2. 2. q. 181. a. 2. *id, quod ordinatur ad aliud sicut ad finem, trahitur ad speciem ejus, ad quod ordinatur: sicut ille, qui moechatur, ut furetur, magis dicitur fur, quam moechus;* non quod moechia in eo casu desinat esse in specie sua, sed quia operantis intentio magis fertur in peccatum furti, quam in peccatum moechiae. Unde furtum magis voluntarium tunc est, quam moechia, quae solum est voluntaria propter furtum. E contra si finis operantis, propter quem pravum medium assumitur, de se malus non sit, sed vel bonus, vel indifferens: duplex tunc malitia distincta non habetur, quae idcirco in Confessione exprimenda sit. Sic qui furatur, ut eroget eleemosynam, vel ut solvat debita sua, non duplex peccatum contrahit, sed unum tantum, nec malitia, qua tunc inficitur eleemosina, vel debitorum solutio, alia est a malitia furti, cujus est caussa.

VI. *Peccata* spiritualia, *graviora sunt* carnalibus.

Peccata *spiritualia*, quantum est ex se, ac ceteris paribus, graviora sunt peccatis carnalibus. Hoc aperte docet S. Gregorius Magnus lib. 33. *Moral.* cap. 11. inquiens: *Peccata carnalia sunt minoris culpae et majoris infamiae, quam spiritualia*; probatque S. Th. hic triplici ratione. Primo nempe quia peccata carnalia complentur in delectatione sentientis appetitus: spiritualia vero pertinent ad spiritum, cujus est converti ad Deum, vel ab eo averti, atque ita magis quam carnalia important aversionem a Deo. Secundo, quia carnalia directe solum offendunt corpus proprium: spiritualia vero directe offendunt Deum, et proximum. Tertio, quia quanto majus est incentivum ad peccandum, tanto minus peccat is, qui ad peccatum impellitur. Ad peccata autem carnalia propter insitam nobis carnis concupiscentiam longe vehementius impellitur homo, quam ad spiritualia. Illud tamen peculiare habent carnalia peccata, ut observat S. Th. hic a. 2. quod sint *maximae adhaerentiae*; propter quod *Diabolus maxime gaudet de peccato luxuriae*; quia hoc captivum ita detinet hominem, ut raro a tyrannide sua se proripiat.

VII. *Qui ad furandum plures actiones exercet, quot peccata committat.*

Qui furari decernit, et ea voluntate concepta, statim ad furtum exequendum iter agit, scalam admovet, eam conscendit, domum ingreditur; scrutatur arcam, quod invenit, furatur, unum numero peccatum commisisse censetur, quamvis in tota illa actionum serie furandi voluntatem pluries iteraverit, quia singulae illae volitiones unus moraliter actus reputantur, quum prima furti volitio in omnibus aliis actionibus virtualiter perseveret. Si quae tamen essent in serie illa actionum, quae specialem aliquam deformitatem aut malitiam continerent ex alio capite vel circumstantia; puta si quis ad furandum aliorum opera uteretur, aut res, quam surripit, sacra foret etc. eo in casu hoc esset in Confessione explicandum; quia specialem tunc malitiam contrahunt.

VIII. *Quid de Sacerdote plures audientes Confessiones in lethali.*

Confessarius in peccato lethali ministerium suum exercens tot peccata committit, quot audit Confessiones. Id equidem plures negant apud Leandrum, quia licet multiplicentur Confessiones, et absolutiones, unum tamen moraliter judicium exercere censetur. At perperam hoc sibi persuadent. Sunt enim Sacramenta, quae administrat Confessiones audiendo, et absolvendo, objecta totalia diversa: nihilque est, cur dici debeant in hoc casu unum numero Sacramentale judicium, et peccatum potius quam una numero fornicatio, unumque peccatum, dum quis integra nocte cum pluribus mulierculis commiscetur. Nam in utroque habetur multiplex actio in ordine suo completa, et consummata, quae, ut diximus, numericam peccatorum multiplicationem induit.

IX. *Laxa Salmaticensium opinio.*

Laxa existimanda est sequens PP. Salmaticensium opinio, quam tradunt Tract. 20. c. 12. punct. 5. » Qui statuit non restituere rem » alienam, si non retractat efficaciter voluntatem, unicum pec- » catum committit, etsi *per unum annum* in ea voluntate persistat,

» *pluries idem propositum repetat*, immo *etsi interim offerantur occa-*
» *siones restituendi*, vel alienetur, et consumatur res, aut debitor
» impotens reddatur ad restituendum, aut somno se tradat, vel ad
» alia distrahatur ». Haec, inquam, sententia *laxa* mihi est, omnibusque videri debet, qui constitutam jam doctrinam considerant. Quis enim non videat multiplicari numero peccata ab eo, qui pravas multiplicat per annum, non restituendi voluntates, dum *pluries propositum* illud *repetit*; dum *oblata occasione* cogitatio suae obligationis menti occurrit, eamque nihilominus abs se repellit, et in perverso rem alienam detinendi proposito se amplius confirmat?

X. *Laxa aliorum sententia.*

Multo magis laxa credenda est sententia, quam aliqui apud Leandrum docent, scilicet nonnisi per actum contrarium, quo concepta voluntas peccati revocatur aut retractatur, interrumpi moraliter actum, adeoque multiplicari peccata; quia cessante actu contrario, omnes actus, sive multi, sive pauci moralem unitatem desumunt a permanentia, sive continuatione habituali prioris malae voluntatis. Verum quum permanentia habitualis satis non sit, ut quis continuo peccare censeatur, etiam dum dormit, vel in aliis negotiis sese voluntarie occupat, ac animum distrahit; satis quoque non est, ut omnes pravi actus, quos interim elicit, non sint moraliter interrupti, sed unum numero peccatum conficiant.

XI. *Quid Confessario agendum, quando peccatorum numerus iniri nequit.*

Quoniam vero saepe contingit, ut numerus actuum, qui moraliter interrumpuntur, atque adeo peccatorum, quae numero multiplicantur, iniri nequeat, ab iis praesertim, qui diu perseverent in peccato; idcirco haec regula communiter traditur tum pro Confessarii, tum pro Poenitentibus; ut scilicet in Confessione moram saltem temporis exponant, quo in eo peccato permanserunt; ut ex. gr. *Perseveravi per annum, per mensem, per hebdomadam in odio, in desiderio fruendi hac, vel illa muliere etc. Et hosce actus interea saepe, vel raro iteravi.* Tunc enim numerus peccatorum declaratur eo modo, quo moraliter fieri potest, et Confessarius poenitentis peccata in tali mora comprehensa, ejusque statum saltem confuse cognoscit.

CAPUT V.

De peccato mortali, et veniali, et utriusque distinctione.

I. *Admittenda omnino sunt peccata, quorum alia mortalia sunt, alia autem venialia.*

Admittenda esse peccata, quorum alia *mortalia* sunt; quae nempe animae mortem afferunt per divinae gratiae privationem, et poenae aeternae reatum inducunt: alia autem *venialia*; quae cum vita animae, gratia scilicet, sociari possunt, veniamque a Deo facile moerentur; veritas catholica est apertissimis Scripturae authoritatibus innixa, perpetua SS. Patrum doctrina tradita, et a sacris Conciliis definita. At quaenam dicenda sunt mortalia, sive ita gravia, ut excludant hominem a Regno Dei; quaenam levia, ut non excludant? Ardua sane quaestio, quam nec ipse Doctorum Aquila Augustinus se defi-

nire certo posse ingenue fassus est Lib. 21. de Civ. cap. ult. cui subscribit S. Th. q. 9. art. 15. ex vulgata sententia: *Quoties de peccato mortali agitur, periculose quaestionem determinari, nisi veritas expressa habeatur*, quae tamen saltem in multis, expressa non habetur. Ut igitur in valde salebroso itinere pedem tuto, quoad fieri potest, figamus, praelucente SS. Patrum, maximeque S. Th. doctrina, quasdam regulas praefinire praestat.

II. Reg. 1. *Peccata, quae a sacra Scriptura dicuntur esse execranda, abominabilia, Deo exosa, excludere a Regno Dei, esse digna morte etc. mortalia sunt: quae autem mitioribus vocabulis appellantur, venialia.*

Ex locutionibus namque divinarum Scripturarum certo colligere possumus, ac debemus divinum de qualitate peccatorum judicium, quod infallibile est, nullique errori subjectum. Exemplum prioris generis est illud, quod habetur Levit. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Et Ezech. 18. de homine contristante egenum, et pauperem, uxorem proximi sui polluente, aut bona rapiente, pignus non reddente, ad idola oculos suos levante, abominationem faciente, ad usuram dante, et amplius accipiente etc. Deus ita decernit: *Non vivet.* Quum *universa haec detestanda fecerit, morte morietur.* Posterioris generis exemplum habemus Prov. c. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*, scilicet veniale.

III. Reg. 2. *Peccata, quae vel Ecclesiae Patres, vel Theologi doctrina ac pietate insignes unanimiter docent esse mortalia, ita reputanda sunt, venialia autem, quae ab iisdem venialium loco habentur.*

Sicut Patres in aliquo dogmate consentientes testes sunt Divinae Traditionis; ita etiam dum conveniunt in tradenda aliqua morum regula, vel definienda gravitate, aut levitate alicujus peccati. Horum autem Patrum doctrinam in hoc argumento tradiderunt, qui subinde secuti sunt Theologi plures pietate ac doctrina praecellentes, quos inter eminet S. Th., atque adeo eorum authoritas, quoties conveniunt in judicio de peccato mortali, et veniali, veluti certa regula ita suscipienda est, ut qui ab iis discesserint, summae temeritatis notam non effugiant. Quapropter peccatum mortale aut veniale esse dubitare nefas, quod Theologi omnes, aut certe graviores plurimi tum pietate, tum doctrina insignes, maximeque S. Th. inter peccata mortalia, aut venialia recensent.

IV. Reg. 3. *Peccata, quae repugnant charitati, sive quae graviter laedunt charitatem Dei, vel proximi, sunt ex se mortalia: quae autem leviter, venialia.*

» Quum voluntas fertur in aliquid ait S. Thom. p. 2. q. 88. a. 2., » quod secundum se *repugnat charitati*, per quam homo ordinatur » in ultimum finem; illud peccatum ex suo objecto habet, quod sit » *mortale.* Unde est mortale *ex genere*, sive sit contra dilectionem » Dei, sicut blasphemia, perjurium, et hujusmodi; sive contra dilectionem » proximi, sicut homicidium, adulterium, et similia. Unde hujusmodi sunt » peccata mortalia ex suo genere. Quandoque vero voluntas peccantis » fertur in id, quod in se continet quamdam inordinationem; non » tamen contrariatur dilectioni Dei, et proximi, sicut verbum otiosum, risus superfluus, et alia hujusmodi. Et talia sunt peccata » venialia ex suo genere ».

V. Reg. 4. *In judicio de peccatis mortalibus, et venialibus non est habenda ratio consuetudinis hominum, sed legis.*

De hac regula mentionem fecimus in Tract. *de Legibus.* Profecto quod aeterna Dei lege vel praecipitur, vel prohibetur, stabile constans, et immutabile est: quod in divino judicio grave peccatum est, grave semper erit, quidquid aliter judicent homines: nec mos, aut consuetudo adversus ipsum praescribere unquam poterit.

VI. Reg. 5. *Si consideretur peccatum ex parte agentis, ad peccatum mortale requiritur perfecta deliberatio.*

Ratio est, quia motus animi nostri in tantum sunt culpabiles, in quantum sunt voluntarii: in tantum autem sunt perfecte voluntarii, in quantum sunt deliberati. Porro ad peccatum mortale, quod est peccatum perfectum, requiritur perfectum voluntarium; adeoque ad peccatum mortale requiritur perfecta circa objectum deliberatio. Ubi vero perfecta deliberatio non est, sed imperfecta, ut contingit in semidormientibus, et in subitis motibus, peccatum veniale erit, licet materia gravis de se fuerit, ex *imperfectione actus*, ut saepe ait S. Th. et expresse tradit art. 2. q. 88. Quum autem deliberatio non possit esse sine advertentia, ideo hanc quoque requiri ad peccatum mortale dicendum est. Illud tamen ad memoriam revocandum, quod alibi diximus, non exigi ad peccatum mortale deliberationem, vel advertentiam formalem, aut actualem ad malitiam actus, sed sufficere virtualem, vel interpretativam.

VII. Reg. 6. *Materiae parvitas in peccatis ex suo genere mortalibus, excusat a peccato mortali, si tamen peccati objectum materiae parvitatem admittat.*

Ratio est; quia sicut peccatum mortale non est sine plena deliberatione voluntatis, ita nec constat sine gravitate materiae. Sic quamvis furtum, detractio etc. ex genere suo mortalia peccata sint, non tamen peccat aliquis, nisi venialiter, si furti, vel detractionis materia levis sit; ut si pomum surripiat, aut detractio nonnisi leve damnum proximo inferat. Atque ita generatim in iis peccatis, in quibus datur materiae parvitas, aut levitas, haec a gravi culpa excusat.

Subjecti tamen, *si objectum peccati materiae parvitatem admittat.* Quaedam namque sunt, in quibus materiae parvitas locum non habet. Unde Theologi concorditer docent, eam non haberi in peccatis, quae Deum, vel Religionem immediatae spectant, cujusmodi sunt infidelitas, desperatio, idololatria, blasphemia, odium Dei, perjurium, invocatio Daemonum, Simonia etc. Haec enim peccata integram semper in divinam Majestatem irreverentiam in se continent. Hinc merito ab Innocentio XI. damnata fuit illa propositio: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Communis etiam celebriorum Theologorum sententia est, in peccatis luxuriae, utut speculative dari queat, in praxi nunquam dari materiae parvitatem, si plena sit voluntatis deliberatio. Luxuries enim, inquiunt, quantumvis exigua, dum plena eligitur voluntate, ob effraenem concupiscentiae impetum vehementer voluntatem pertrahit ad consensum actus completi; adeoque ubi accedat plena deliberatio, nunquam luxuriae actibus, quantumvis levibus homo consentit sine gravi peccato.

VIII. *Quibus modis, peccata ex genere suo mortalia, fieri possunt venialia.*

Satis exploratum est ex iis, quae diximus, illud esse peccatum mortale ex genere suo, quod charitati repugnat; atque adeo in se ipso consideratum absque adventu malitiae alterius speciei, mortale est, ut infidelitas, furtum etc. Illud autem peccatum esse ex genere suo veniale, quod cum charitate non pugnat; adeoque in se ipso duntaxat inspectum absque adventu malitiae alterius speciei nunquam ad mortale pertingit, ut mendacium jocosum, risus superfluus etc.

Hoc posito, jam patet ex regulis constitutis, tribus modis illud, quod peccatum est ex genere suo mortale, fieri posse veniale, nimirum ratione parvitatis materiae in iis, quae hujusmodi parvitatem admittunt, ut furtum unius assis diviti: secundo ob imperfectionem actus, *quia*, ut ait S. Th. a. 6., *non perfecte pertingit ad rationem actus moralis*: quod dupliciter potest contingere, scilicet ob defectum plenae advertentiae, ut quum aliquis haud plene advertit objectum, circa quod actio versatur, et propter defectum plenae deliberationis: quae duo in unum redeunt; unde idem S. Th. de sola imperfecta deliberatione mentionem facit.

IX. *Capita, ex quibus peccatum, de se veniale, mortale evadit.*

Plures modi sunt, sive capita, ex quibus peccatum quod est de se veniale, mortale evadit. Sed antequam haec capita assignemus, praemittendum est cum S. Th. a. 4., peccata venialia, quantumvis multiplicentur, nunquam efficere posse unum mortale. Solum ergo peccatum veniale fieri potest mortale ex eo, quod ex aliquo adjuncto id, quod est de se veniale, transeat ad peccatum mortale. Plures hujusce mutationis modos indicat S. Th., qui ad sex capita frequentius revocantur: quorum primum est *error conscientiae*, quo nempe quis mortale esse putat, quod facit, quamquam reapse nonnisi veniale sit. Quia illud peragens cum lethalis peccati conscientia consentit in ipsum apprehensum, ac si esset lethale: 2. Dum peccatum de se veniale refertur ad finem mortaliter pravum; ut si verbum jocosum proferatur ex intentione provocandi mulierem ad fornicationem: actus quippe hujusmodi contrahit malitiam mortalem pravi finis, ad quem ordinatur. 3. Ex parte affectus graviter inordinati erga rem aliquam leviter malam, aut etiam indifferentem; dum scilicet ad ipsam adeo immoderate quispiam afficitur, ut si ita dispositus, quod ab ea abstinere nolit, nulla etiam lege prohibente; aut si illam nonnisi per medium graviter illicitum assequi posset. Tunc enim in corde suo praefert eam rem amicitiae divinae, et violat maximum legis praeceptum diligendi Deum super omnia. 4. Ob grave damnum proximi, vel scandali, quod ex re de se levi sequuturum praeviderit, vel praevideri potest, ac debet. Tunc enim ratione talis effectus actio, licet de se levis, graviter charitati adversatur, et caussa effectus sui pravitatem participat. 5. Ob formalem contemptum legis, vel mandati, vel regulae, vel Superioris, qua Superior est; ut si quis praeceptum violet in re levi, quia renuit subjicit praecepto, vel Superiori. Nam tunc hujusmodi inobedientia, aut transgressio importat contemptum potestatis a Deo derivatae, et Superioris, prout est minister Dei, ejusque vices gerit. 6.

Tandem ob periculum incidendi in peccatum mortale, quoties nempe aliquis experientia compertum habet, se ex actione de se leviter inordinata, aut etiam indifferenti incurrere in aliquod grave peccatum. Ex. gr. si quis ex aspectu mulieris, vel colloquio inducatur ad turpem actum, vel morosam delectationem; aut si ludus de se etiam licitus sit ipsi occasio proxima proferendi blasphemias, vel perjuria etc. Siquidem mortale semper peccatum est exponere se periculo probabili peccandi mortaliter.

Consectaria.

I. *Triplex differentia peccati venialis.*

Triplex differentia peccati venialis considerari potest. Aliud est veniale ex genere suo, quod semper veniale manet, dum intra propriae materiae limites consistit, ut verbum otiosum. Aliud est veniale ex levitate materiae, ut furtum assis. Aliud est imperfecta deliberatione, ut motus infidelitatis, turpis cogitatio etc. rationem praeveniens.

II. *Quorundam in determinandis levibus, gravibusque peccatis nimia praefidentia merito damnanda.*

Quum tam arduum visum sit, ac difficillimum S. Augustino discernere, quaenam sint levia, quaenam gravia peccata, *ut non humano, sed divino pensanda esse judicio* asseruerit, quum S. Th. diserte fateatur, *quaestionem omnem, in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinari:* plane damnanda est quorumdam praefidentia, qui certe nec tam praecellenti ingenio, et mentis acumine, nec tanta divini luminis illustratione praediti sunt, et tamen casus saepe admodum difficiles, et implicatos uno veluti stantes in pede prompte, facileque resolvunt; et quasi divinae legis stateram in manu tenerent, audacter definiunt, *hoc esse peccatum mortale; hoc tantummodo veniale.* Hi sane magno se exponunt peccandi periculo, quod tum in animae propriae, tum in aliorum, quos dirigunt, praejudicium vergit. Quare prudens Sacerdos, ubi veritas ambigua est, et obscura, in his judiciis ferendis caute procedat.

III. *Casuistarum opinio, a veritate aliena.*

A veritate prorsus aliena censenda est quorundam Casuistarum opinio, qui pro discernendis peccatis mortalibus, et venialibus hanc tamquam regulam constituunt: ea nempe in praxi mortalia esse, quae quisque mortalia judicat: ea venialia, quae pro venialibus habet; aut ex consuetudine in hominibus praevalente utraque dimetitur. Neque enim aut humana ratio, aut consuetudo regula et mensura est gravitatis, aut levitatis peccati; sed lex divina, cui humana ratio conformis sit, oportet. *Sunt enim quaedam*, ut ait S. August. in Enchiridio, *quae levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora*, ut exemplis ostendere pergit.

IV. *Multa peccata venialia ex se, nunquam efficiunt unum mortale.*

Si peccata venialia invicem non uniantur sive in materia, sive in effectu, nunquam efficiunt unum mortale peccatum: quia tunc materiae, aut effectus, licet plures, nunquam conflant unum grave objectum. Sic qui diebus omnibus Quadragesimae quotidie exiguum

frustum panis manducat, non peccat mortaliter: quia comestio, quae fit una die, non conjungitur cum alia alterius diei. Sic etiam qui obligatus ad recitandas Horas Canonicas omittit quolibet die unum, aut alterum versiculum, non ex hoc grave peccatum in fine mensis, aut anni committit, quia omissio hujus diei non unitur cum aliis omissionibus. Quod si plurium venialium materia, aut effectus moraliter uniantur, et unum grave objectum constituant adversus aliquod praeceptum, peccata venialia ad mortale tandem perveniunt ratione materiae, sive damni notabilis, quod infertur. Exemplum est in pluribus furtis levibus, quae dum ad notabile damnum pertingunt, complent grave peccatum.

V. *Venialia peccata, ad mortale disponunt.*

Peccata venialia ad mortalia disponunt; eaque praesertim, quae ex animi deliberatione, aut ex negligentia culpabili committuntur: tum quia haec potissimum augent in nobis concupiscentiae ardorem, et charitatis fervorem minuunt, ex quo facile consequitur, quod ipsa charitas extinguatur in corde: *augmentum* siquidem *cupiditatis diminutio est charitatis.* Tum quia, dum levia peccata negligimus, indignos nos reddimus specialibus auxiliis divinae gratiae, quae necessaria nobis sunt ad praecavenda graviora peccata.

VI. *Qui vult omnia venialia committere, a mortali excusandus non est.*

Si quis proponeret venialia omnia committere, vel ita animo comparatus esset, ut nullum ex his vitare vellet, sed sola mortalia; a peccato mortali excusandus non foret; nedum quia in multitudine peccatorum venialium haud pauca sunt, quae proxime ad mortale disponunt; sed etiam quia tale propositum quamdam praefert gravem deformitatem, talemque animi pravam dispositionem, quae cum Dei charitate nequaquam conciliari posse mihi videtur. Atque ita sentiunt etiam ex his Theologis, qui benigniores existimantur.

VII. *Quinam propterea, de sua aeterna salute metuere praesertim debeant.*

Magno in periculo damnationis aeternae versantur ii, qui salva sibi omnia putant, eo quod mortalia quidem sensibiliora peccata vitare non ommittunt; sed interim nihil venialia curant, quae quotidie perpetrant, et emendare negligunt. Valde namque timendum est, ne extra statum gratiae, et salutis existant, vel saltem in periculo proximo ab eo statu excidendi. Quoniam si Scripturam, et Patres consulamus, haud aliter de his loqui possumus. Formidanda plane est illa sententia, qua Apocalyps. 3. comminatur Deus, *se incipere ex ore suo evomere* istiusmodi tepidos, ac dissolutos, acediosos homines, quod perinde est, ac ipsos deserere, ut abeant post desideria cordis sui. Timeant igitur, et contremiscant venialium peccatorum contemptores, praesertim si Ecclesiastici sint, et Religiosi, qui satis habent abstinere se a peccatis mortalibus, nec de venialibus cavendis ullam sollicitudinem gerunt, immo ea libere, summaque facilitate perpetrant; timeant, inquam, ne in illa peccata, quae a divina gratia separant, tandem prolabantur, ne in poenam negligentiae suae, suaeque vitae mollis ac dissolutae a Deo deserantur, ac aeternum pereant.

VIII. *Quibus signis conjicere possimus, aliquem tentationi peccandi consensum praebuisse.*

Difficile admodum est in praxi definire, quando voluntatis consensus in malum plenus sit, seu ad peccatum mortale sufficiens, et quandonam plenus non sit, et a mortali peccato excuset: quia motus voluntatis nostrae saepe nobismetipsis occulti sunt. Nihilominus haec signa proponi solent, quae lucem aliquam rei valde obscurae afferre valent. Et primo quidem, si homo ita sit interius habitualiter affectus, ut salutis suae curam gerat, ac nollet peccatum committere, etiamsi commode posset: signum est, consensum plenum, et ad peccatum mortale sufficientem non adfuisse. Si vero e contra ita se interius affectum noverit, ut oblata occasione, peccatum non refugeret, signum est, consensum ad peccatum mortale sufficientem praestitum esse. 2. Si poenitens sit timoratae conscientiae, et ad peccati conspectum soleat exhorrescere, conjici potest, consensum tentationi non praebuisse, quamvis fortasse in ea repellenda negligens aliquantum fuerit. Si vero laxae conscientiae sit, nec peccata tum venialia, tum mortalia horrere soleat, eum deliberate consensisse, quasi pro certo habendum est. 3. Si tentatio poenitentis versetur circa peccata carnalia, quae membris exterioribus complentur, nec ille tamen, dum facile posset, ad externum opus progressus est; signum est, plenum non fuisse consensum: si vero solius poenae metu oblata peccandi occasione usus non fuerit, periculum est, ne plene consenserit.

DISSERTATIO IV.

De Peccatis Capitalibus.

Peccatum, sive vitium capitale, juxta S. Th. 1. 2. *q.* 84. *a.* 3. *dicitur illud, ex quo tanquam ex capite alia vitia, seu peccata prodeunt, praesertim* secundum originem caussae finalis, *quatenus ejus finis,* ita appetibilis est, *ut vi, ac ratione ipsius plura, ac diversa peccata committantur. Septem communiter enumerantur, scilicet* superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, invidia, et accidia. *De quibus nonnulla disseremus.*

CAPUT I.

De superbia, ejusque vitiis.

I. *Superbiae notio, et malitiae gravitas.*

Superbia ex S. Th. definitur *inordinatus appetitus propriae excellentiae.* Superbiam ex genere suo esse peccatum mortale dubitandum non est, quum humilitati opponatur, quae hominem Deo subjicit, atque in hujus subjectionis defectu maxime consistat, quatenus homo se extollit supra regulam, seu mensuram a Deo constitutam. Sed et illud gravissimum peccatum esse ex parte *aversionis* manifestat S. Th. 2. 2. q. 162. a. 6. *Quia*, inquit, *in aliis peccatis homo a Deo avertitur vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscunque alterius boni: sed superbia habet aversionem a*

Deo ex hoc ipso, quod non vult Deo, et ejus regulae subjici .... Et ideo averti a Deo, et ejus praeceptis, quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cujus actus est Dei contemptus. Et quia id, quod est per se, potius est eo, quod est per aliud, consequens est, quod superbia sit gravissimum peccatorum secundum genus suum: quia excedit in aversione, quae formaliter complet peccatum.

II. *Superbiae quatuor species, sive modi exponuntur.*

Superbiae species, sive modus quatuor ex D. Gregorio recenset S. Th. art. 4. quarum prima est, quum aliquis a seipso habere putat **bona sive corporis, sive animae, sive naturalia, sive supernaturalia,** aut ita se gerit, ac si eadem a seipso haberet. 2. Quum quis equidem agnoscit bona, quae possidet, se habere a Deo, sed propriis meritis ea attribuit, vel ita apud se judicando, aut volendo, ut alii ita sentiant, aut opere externo ita se gerendo, quasi propriis meritis illa debita forent. 3. Dum aliquis ea sibi bona arrogat, quae revera non habet sive opere, sive desiderio: aut vult, vel quaerit, ut alii existiment, se bis bonis praeditum esse. 4. Demum dum aliquis, coeteris despectis, videri satagit, aut optat singulariter habere, quod habet, aut aliis scientia, virtute, sanctimonia, aliisve sive corporis, sive animi dotibus, sive naturae, sive gratiae, sive fortunae muneribus praecellere, cujusmodi erat Pharisaeus ille memoratus in Evangelio, qui docebat, *Non sum sicut ceteri homines* etc.

Duae priores superbiae species ex se sunt *peccata mortalia*, si ex deliberata voluntate procedant: tertia, et quarta, si materia levis sit, a mortali excusari queunt. Nunquam tamen a gravi culpa excusantur, si cum gravi irreverentia Dei, vel gravi damno, aut contemptu proximi conjunctae sint, ex. gr. si quis de dotibus ad Ecclesiam regendam, vel Magistratus gerendos necessariis, quibus tamen destitutus est, ad Ecclesiae dignitates, aut publica munia capessenda glorietur: si quis se divitem simulat, et haberi studet, ut sua negotia promoveat, et contractus ineat, et in nobilissima familia nubat, quum tamen sit inops. Si quis ne a familiae suae nobilitate degenerare videatur, ingentia debita contrahat, quibus solvendis impar sit. Si quis vel fortunae bonis, vel potentia, vel scientia, vel gratiae donis ita insolescat, ut alios despiciat, atque contemnat etc.

III. *Quid sit* ambitio, *prima superbiae proles.*

Prima inter superbiae filias *ambitio* est, quae definiri solet *appetitus inordinatus honoris, et dignitatis*: veluti, quum quis ambit honorem, vel dignitatem, ad quam assequendam, vel exercendam non habet idoneitatem, vel meritum. Ambitionem grave esse peccatum Ecclesiae Patres communiter attestantur, cum quibus S. Th. 2. 2. q. 131. a. 1. Sed quandonam peccatum esse mortale dicendum erit? Sequentes regulae lucem aliquam huic materiae possunt afferre.

Prima itaque regula sit. Ambitio peccatum mortale est, quum quis ita animo affectus est erga honorem, aut dignitatem sive Ecclesiasticam, sive civilem, ut modis omnibus etiam graviter illicitis assequi conetur; aut paratus sit, veluti si ad eam comparandam peccatum mortale committere non vereatur. 2. Quum appetitur, vel quaeritur aliqua dignitas ob nefarium aliquem finem, sive cum peccato mor-

tali conjunctum, velut si quis beneficium, aut dignitatem Ecclesiasticam quaerat eo fine, ut divitiis abundet, ut ab hominibus honoretur etc. 3. Lethalis ambitionis reus est, qui ut honorem, aut dignitatem sive ecclesiasticam, sive civilem assequatur, alios arcet, aut impedit ab ejus consecutione, qui digniores sunt, vel magis in eo honore, vel dignitate promoverent Dei gloriam, et proximi utilitatem, aut commune bonum reipublicae. 4. Itidem qui quodvis beneficium curam habens animarum, aut monasticam Praefecturam pro se postulat, aut sibi suffragia perquirit. Ex hoc enim ea dignitate indignus efficitur, ut docet S. Th. 2. 2. q. 100 a. 5. ad 3. Quemadmodum vero honores, et Praelaturas extra manifestam necessitatem appetere, aut quaerere ambitio est, sic eas detrectare, dum vel manifesta necessitas, vel legitimi superioris praeceptum urget, pusillanimitatis vitium est.

IV. *Quid sit* praesumptio.

Ambitioni proxima est *praesumptio*, quae, prout hic sumitur, definiri solet, *inordinatus appetitus aggrediendi aliquid supra vires*. Si quis ergo appetat, aut aggrediatur aliquid, quod vires suas, sive idoneitatem excedat, peccat peccato *praesumptionis*, quod saepe mortale est, ut ex. gr. quum quis assumit, aut exercet officium Judicis, Advocati, Medici, Pastoris animarum, Confessarii, Concionatoris, ad quod congrue obeundum aut scientia sufficienti, aut aliis necessariis dotibus caret, lethaliter peccat, eoque gravius, quo periculum damni inferendi proximo majus est. Sic etiam mortale peccatum incurrit, qui propriam cognoscens fragilitatem, aut ad venerea proclivitatem, se foeminarum conversationibus ingerit sine necessitate, in quibus se aliquando lapsum esse experientia compertum habet.

V. *De Vana gloria.*

Vana, sive *inanis gloria*, quae a S. Gregorio Magno primum inter vitia capitalia numeratur, et ab aliis saltem ut praecipua filia superbiae habetur, definiri solet *inordinatus appetitus manifestationis propriae excellentiae*, *sive ejus*, *quam reapse habet*, *sive quam habere putat*. Quoties gloria *vana* sit, adeoque sit peccatum, declarat S. Th. 2. 2. q. 132. a. 3. ubi docet, *tripliciter* hoc contingere. » Uno modo » ex parte rei, de qua quis gloriam quaerit, puta quum quis gloriam » quaerit de eo, quod non est, vel de eo, quod non est gloria di» gnum, sicut de aliqua re fragili, et caduca. Alio modo *ex parte* » *ejus*, *a quo quis gloriam quaerit*, puta hominibus, quorum judi» cium non est certum. Tertio *ex parte ipsius*, *qui gloriam appetit*, qui » videlicet appetitum gloriae suae non refert in debitum finem, puta » ad honorem Dei, vel proximi salutem ». Subdit vero post allatam doctrinam: *Si autem amor humanae gloriae*, *quamvis sit inanis*, *non tamen repugnet charitati* (eo sensu, quem exposuerat) *neque quantum ad id*, *de quo est gloria*, *neque quantum ad intentionem gloriam quaerentis*, *non est peccatum mortale*, *sed veniale*. Valde tamen periculosum esse consentit ad 3. cum Augustino, Crysostomo, ceterisque Patribus, *non tantum propter gravitatem sui*, *sed etiam propter hoc*, *quod est dispositio ad gravia peccata:* in quantum scilicet *per inanem gloriam redditur homo praesumptuosus*, *et nimis de seipso confidens:* et

sic etiam paulatim disponit ad hoc, quod homo privetur interioribus bonis, et in alia plura vitia labatur, de quibus statim.

VI. *Vanae gloriae filiae, et primum de Inobedientia.*

Docet S. Th. art. 4. hujus q. 132., multa esse vitia, quae ex inordinato appetitu propriae excellentiae proficiscuntur: quae subinde enumerat art. 5. nimirum *inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, et novitatum praesumptionem.* Quoad *inobedientiam*, quae a nobis in Tract. *de Legibus* dicta sunt, satis ostendunt, quibus, et in quibus subditi Praelatis teneantur obedire. Quare iis omissis, ac de sola inobedientia agentes, definitio ipsius haec est ex D. Th. 2. 2. q. 105. a. 1, tradita, nempe *violatio praecepti Superioris ex contemptu*: in qua illud observandum, omne quidem peccatum secum afferre quamdam inobedientiam generalem: sed non omne peccatum esse speciale inobedientiae peccatum, de quo modo sermo est. Ad hoc enim ex S. Th. requiritur, quod ipsa praecepti Superioris violatio sit objectum ipsius peccantis.

Hoc peccatum inobedientiae ex se mortale esse eleganti ratione probat, assumpto eo generali principio, quod nempe *illud sit peccatum ex genere suo mortale, quod contrariatur charitati, per quam est spiritualis vita. Charitate autem diligitur Deus, et proximus. Exigit autem charitas Dei, ut ejus mandatis obediatur* : . . . *in praeceptis autem divinis continetur, quod etiam Superioribus obediatur. Et ideo etiam inobedientia, qua quis est inobediens praeceptis Superiorum est peccatum mortale, quasi divinae dilectioni contrarium secundum illud ad Rom.* 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *Contrariatur insuper dilectioni proximi, in quantum superiori proximo subtrahit obedientiam, quam ei debet.*

Gradus veluti hujusce *inobedientiae* peccati subinde designat art. 2. eosque considerat tum ex parte *praecipientis*, tum ex parte *praeceptorum*, demumque ita concludit: » Sic ergo oportet diversos inobedientiae gradus diversis praeceptorum gradibus comparare. Nam » inobedientia, qua contemnitur Dei praeceptum, ex ipsa ratione » inobedientiae *gravius* est peccatum, quam peccatum, quo peccatur » in hominem, si secerneretur inobedientia Dei. Et hoc ideo dico; quia » qui contra proximum peccat, etiam contra Dei praeceptum agit. Si » tamen in aliquo potiori praeceptum Dei contemneret, adhuc peccatum gravius esset. Inobedientia autem, qua contemnitur praeceptum » hominis levior est peccato, quo contemnitur ipse praecipiens: quia » ex reverentia praecipientis procedere debet reverentia praecepti. » Et similiter peccatum, quod directe pertinet ad contemptum, sicut » blasphemia, vel aliquid hujusmodi, gravius est, etiam semota per » intellectum inobedientia a peccato, quam esset illud peccatum, in » quo contemnitur solum Dei praeceptum ».

Addit tamen S. D. ad 2. » Non posse omnem inobedientiam esse » peccatum in Spiritum Sanctum, sed solum illam, cui obstinatio » adhibetur. Non enim contemptus cujuscunque, quod peccatum impedit, constituit peccatum in Spiritum S. (alioquin cujuslibet boni » contemptus esset peccatum in Sp. S. quia per quodlibet bonum » potest homo impediri a peccato) sed bonorum illorum contemptus » facit peccatum in Sp. S. quae directe ducunt ad poenitentiam, et » remissionem peccatorum ».

VII. *De Jactantia, et Ironia.*

Jactantiae definitio haec est, *inordinata propriae excellentiae depraedicatio per verba. Tunc*, inquit S. Th. q. 112. a. 1. *Proprie aliquis se extollit, quando de se supra se aliquid dicit*, sive praedicat. Hoc autem dupliciter contingit: » Quandoque enim aliquis loquitur » de se, non quidem supra id, quod in se est, sed supra id, quod » de eo homines opinantur, quod Apostolus refugiens dicit 2. ad » Cor. 12. *Parco, ne quis existimet de me supra id, quod videt in » me, aut audit aliquid ex me.* Alio modo aliquis per verba se ex» tollit loquens de se supra id, quod in se est secundum rei veri» tatem. Et quia magis est aliquid judicandum secundum quod in se est, » quam secundum quod est in opinione aliorum; inde est, quod » magis proprie dicitur *jactantia*, quando aliquis effert se supra id, » quod in ipso est, quam quando effert se supra id quod est in » opinione aliorum, quamvis utroque modo jactantia dici possit ».

Ex doctrina, quam ibidem art. 2. tradit S. D. haud difficile est colligere, quandonam jactantia sit peccatum mortale, et quando solum veniale. Primum igitur peccatum mortale est, *quum aliquis jactanter de se profert aliquid contra gloriam Dei*. 2. Quum quis jactanter aliquid profert contra charitatem proximi, sive *quum quis jactando se ipsum prorumpit in contumelias aliorum*, ut Pharisaeus ille Lucae 18. 3. Dum jactantia *procedit ex superbia, vel inani gloria, quae sit peccatum mortale*. 4. Quando quis se jactat de peccato mortali. 5. Venialis duntaxat peccati reus est, qui delectationis, aut levitatis caussa se jactat, *nisi forte hoc divinae dilectioni praeferret, ut propter hoc Dei mandata contemneret:* tunc enim esset peccatum mortale. 6. Qui se jactat caussa lucri, *non semper reus est peccati mortalis*; quia potest esse tale lucrum, quod nullum, vel leve proximo damnum inferat.

Jactantiae S. D. q. 113. subjicit *ironiam, per quam aliquis fingit, minora a veritate declinans, puta quum asserit aliquod de se vile quod in se non recognoscit, aut quum negat de se aliquid magnum, quod tamen percipit in se ipso esse: et sic semper est peccatum.* Non enim mentiendum est, ut superbia vitetur. Ut plurimum *jactantia* gravius peccatum est *ironiae*, sive dissimulationis; quia illa *ex turpiori motivo procedit, scilicet ex appetitu lucri, vel honoris. Ironia vero ex hoc, quod aliquis fugit, licet inordinate, per elationem aliis gravis esse. Contingit tamen quandoque, quod aliquis minora de se fingit ex aliquo alio motivo, puta ad decipiendum: et tunc ironia est gravior:* ex quo saepe peccatum mortale est.

VIII. *De Hypocrisi.*

Hypocrisis est *simulatio sanctitatis*, aut *pietatis*, sive peccatum est, quo quis personam pii, vel justi hominis simulat, quum reapse talis non sit, qualem se videri appetit. Ex doctrina, quam de hoc vitio, exhibet S. Th. q. 111. art. 4. plura colligere fas est, quae hujusce peccati qualitatem manifestant: et primo quidem hypocrisim mortale peccatum esse, quum aliquis non curat, ut ait S D. *sanctitatem habere, sed solum sanctum apparere.* Christianae namque Religionis spiritum, verumque Dei cultum, quantum in ipso est, moribus suis evertit. Quum enim Christus Joan. 4. dixerit: *Spiritus est Deus, et*

eos, qui adorant, in spiritu, et veritate oportet adorare; hypocritae non spiritu, sed solo corporis habitu, et specie externa Deum colunt, ut videantur, et laudentur ab hominibus. 2. Quum quis sanctitatem simulat ob finem charitati Dei, vel proximi repugnantem, ex. gr. *ut falsam doctrinam*, inquit S. D., *disseminet vel ut adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem*. 3. Qui vero non ob finem repugnantem sanctitati, aut charitatem Dei, vel proximi laedentem, sed delectationis gratia, aut simili alia caussa simulat sanctitatem, veniale duntaxat peccatum hyprocrisis committit. Quaelibet tamen gravis hypocrisis tota animi cura semper cavenda est, atque ante oculos semper habenda illa Christi admonitio apud Matth. 6, *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in Caelis est.*

IX. *De Contentione.*

Quarta inanis gloriae filia *contentio* est; cujus haec ex D. Th. esse definitio potest, nimirum *est altercatio verborum, quibus inordinate quis alteri contrariatur.* Ex doctrina quam habent in rem hanc D. Th. 2. 2. q. 38. art. 2. sequentes eruuntur regulae ad praxim necessariae. Prima est: *Si contentio assumatur, prout importat impugnationem veritatis, et inordinatum modum, qui scilicet nec personis, nec negotiis conveniat, peccatum mortale est.* Unde graviter peccant, qui veritatem fidei, vel moralis Christianae contentiose impugnant. 2. Lethaliter peccant, qui cum gravi audientium scandalo verbis contendunt de quibusdam veritatibus, aut sententiis, quae licet fide certae non sint, tamquam certae nihilominus existimantur, nec pietatem laedunt, sed potius foveut, ut ex. gr. de situ inferni etc. 3. Peccant quoque lethaliter improbi Litigatores, Causidici, Procuratores, qui quum rationibus optimis veritatem, aut merita caussae in lucem proferre, ac tueri deberent, verbis extorquere senteutiam a Judice conantur, aut etiam improperiis disceptant, quibus charitas proximo debita laeditur, aut fama proscinditur. 4. Contentio de re, de qua contendendum non est, veniali saltem culpa non caret. Talis erat Discipulorum Christi contentio, quam refert S. Lucas cap. 22. *quis eorum videretur esse major.* 5. Sicut contentio, quae est impugnatio falsitatis cum debito acrimoniae modo est laudabilis; ita si accipiatur contentio secundum quod importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale; nisi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc aliorum scandalum generetur: nam tunc esset peccatum mortale: saepius tamen erit veniale, immo nullum, si omne scandalum absit, et acrimonia, vel clamor inordinatus non sit, sed ratione directus.

X. *De Pertinacia.*

Pertinacia *est vitium ex inani gloria proveniens, quo quis, repudiata meliore, et aequiore sententia, de sua, quamvis falsa, et iniqua nulla ratione dimoveri potest.* Hoc peccatum mortale est, 1. dum aliquis, manifestata sibi doctrina catholicae fidei, ei repugnat, et in proprio errore persistit, quod est haeresis peccatum, quae sine pertinacia non habetur. 2. Dum aliquis publice, vel privatim defendit propositiones a Sum. Pontifice, vel a proprio Episcopo in sua Dioecesi proscriptas, tamquam fidei, vel bonis moribus, vel pietati, vel Ecclesiasticae paci

repugnantes. 3. Lethalis pertinaciae reus est, qui Scripturarum divinarum authoritati quascunque, quae menti suae occurrunt, rationes non submittit, ac evidenti rationi Scripturae praeter Ecclesiae sensum intellectae authoritatem studiose opponit.

XI. *De Discordia.*

Discordia ex D. Th. 2. 2. q. 37. art. 2. definiri potest *contrarietas voluntatum in bono, in quo oportet esse concordes.* Ex doctrina vero ejus, quam tradit art. 1. plura colliguntur ad ejus exactam notitiam necessaria. Et primo quidem, *discordiam* consistere non in contrarietate *opinionum*, ut vulgo existimatur, sed in contrarietate voluntatum, quemadmodum et *concordia*, quae est effectus charitatis, non in unione opinionum, sed voluntatum posita est. Unde potest esse inter aliquos discrepantia opinionum, salva permanente unione voluntatum. 2. *Discordiam* eam propric dicendam esse, quae opponitur concordiae, quae est effectus charitatis, adeoque si nulla ex ea oriatur laesio charitatis vel Dei, vel proximi, nullum quoque peccatum esse. 3. Discordiam esse peccatum ex genere suo mortale, quoties aliquis sciens, et ex intentione dissentit a bono divino, aut a bono proximi, in quo consentire tenetur: si enim consentire minime teneatur, talis dissensio peccatum non est. 4. Quum intentio aliquorum fertur in aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel proximi utilitatem: sed alter existimat, hoc esse bonum, alter autem contrariae opinionis est; ea discordia tunc est *per accidens, et praeter intentionem* contra bonum divinum, vel proximi. Et tunc hujusmodi discordia peccatum non est, nec repugnat charitati, nisi conjuncta sit cum errore circa ea, quae sunt de necessitate salutis, vel cum pertinacia indebita. 5. Discordiam aliquando esse cum peccato unius tantum, puta, quum aliquis vult bonum, cui alius scienter resistit. Sic discordia Catholicorum cum haereticis, et schismaticis est ex parte horum duntaxat, et hi solummodo peccant. Demum dissentire a proximo in malo, nedum peccatum nullum esse, sed potius laudabile, et omnino faciendum, quia nunquam fas est consentire peccato alterius.

XII. *De Praesumptione novitatum.*

Praesumptio novitatum, postrema vanae gloriae soboles, vitium est, *quo quis studio inanis gloriae nova excogitare praesumit.* Peccatum mortale est primo, quum nova doctrina contra fidem, et bonos mores excogitatur. 2. Quum absque caussa, et Episcoporum authoritate, ac praesertim Rom. Pontificis in rebus magni momenti innovantur sacri ritus, et Ecclesiae disciplina. 3. Lethaliter plerumque peccant vanae mulieres, quae novas vestiendi formas, praeter consuetum patriae morem, introducunt; sicut etiam qui consuetudines novas invehunt, quae in scandalum, aut aliorum praejudicium vergunt, aut morum corruptelam tandem pariunt, prout experientia nimium compertum est. Quare damnandae sunt novae vestium formae, novae choreae, ac saltationes, novi ludi, novi ciborum apparatus, nova spectacula, et id genus alia, quae in corporis, et animae detrimentum demum cedunt, nedum eorum, qui hujusmodi novitates inveniunt, sed aliorum etiam, qui his exemplis facile in malum trahuntur.

XIII. *De virtute Superbiae opposita, scilicet Humilitate, ejusque officiis.*

Superbiae opponitur *humilitas*, virtus plane excellentissima, omnibusque perquam necessaria. De hac virtute agit S. Th. 2. 2. tota q. 161., eamque definit, quod sit *virtus temperans, et refraenans animum, ne immoderate tendat in excelsa.* Humilitatem ad salutem esse necessariam constat ex oraculis sacrae Scripturae, et praecipue Christi Domini in Evangelio, ubi terribilem illam sententiam legimus apud Matth. cap. *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum caelorum.* Lucae quoque cap. 18. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.*

Officia humilitatis, quae cadunt sub praecepto, duo sunt praecipua, ad quae coetera revocari facile queunt. Primum est *hominem Deo subjicere.* De quo S. Th. ait art. 2. ad 3. *Humilitas praecipue videtur importare subjectionem ad Deum.* Neque certe quidpiam magis necessarium nobis est, quam subditum Deo esse, ac ejus magnitudinem humillimo obsequio revereri, cujus respectu nihil plane sumus, et si quid sumus, ab ipso, in ipso, et per ipsum sumus. Aliud est se etiam ceteris hominibus subjicere juxta illud Apost. ad Philip. 2. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.*

Verum ut innotescat, quid a nobis hac ad alios subjectione sub praecepto requiras humilitas, excribenda est solida, et perpulcra doctrina, quam habet S. Th. art. 3. ubi quaerit, *utrum homo debeat se omnibus per humilitatem subjicere.* Sic itaque docet: » In homine duo » possunt considerari: scilicet id, quod est Dei: et id, quod est hominis. Hominis autem est quidquid pertinet ad defectum. Sed Dei » est quidquid pertinet ad salutem, et perfectionem ...... Humilitas autem, sicut dictum est, proprie respicit reverentiam, qua homo » Deo subjicitur. Et ideo quilibet homo secundum id, quod suum » est, debet se cuilibet proximo subjicere quantum ad id, quod est » Dei in ipso: non autem hoc requirit humilitas, ut aliquis id, quod » est Dei in ipso, subjiciat ei, quod apparet esse Dei in altero. Nam » illi, qui dona Dei participant, cognoscunt, ea se habere etc. Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo, quod » ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est, » ex quo se potest ei subjicere per humilitatem ».

Huic doctrinae, quae paucis complectitur germanam notionem humilitatis, quam habere non oportet erga proximos nostros, illud addere praestat, quod habetur in resp. ad 3. ubi distinguit humilitatem quoad actum exteriorem, et interiorem, atque illum etiam, qui aliis superior est, posse, ac debere in corde suo, *secundum interiorem actum animae alteri se subjicere.* Sed in exterioribus actibus humilitatis magna discretione uti debet erga subditos, prout viderit cujusque moribus, aut indoli magis expedire. Superior igitur animo fovere humilitatem debet, seque subditis suis apud Deum, et in corde subjicere, ac ubi expedire cognoverit, etiam suam humilitatem exterius prodat; sed diligenter caveat, ne per indiscretus externae humilitatis actus subditi quidpiam spiritualis damni patiantur, sive occasionem superbiendi sumant.

CONSECTARIA.

I. *Haud raro Vana gloria, est peccatum mortale.*

Quum quaelibet res creata peccati lethalis materia sit, dum finis ultimus est nedum peculiaris actionis, sed etiam vitae nostrae; hinc non raro contingit, quod vana gloria sit peccatum mortale, tametsi in se nonnisi veniale peccatum sit, quum videlicet nimium dominatur in corde hominis, adeo ut ad ipsam vel omnes, vel fere omnes, aut praecipuas actiones suas, referat tamquam ad finem. Sic, ut rem exemplis illustremus, mulier, quae perdite suam pulchritudinem amans eam tamquam gloriae ac vanitatis sibi objectum statuit, in eaque indesinenter occupatur, ac tempus ad illam ornamentis augendam nimium impendit, nihilque magis timet, quam ne de pulchritudine, ac venustate laudetur, absque dubio in statu peccati mortalis versatur. Sic peccant Medici, ac Theologi, qui ne minus docti, aut periti in ministerio suo videantur, alios peritiores in consilio non adhibent, dum opus est; aut dum morbi, sive casus conscientiae difficiliores occurrunt, et periculum est, ne fallantur in medendis morbis sive corporis, sive animi, aut in casibus decidendis.

II. *Quinam hypocrisis rei sint.*

Lethaliter peccant ii, qui posthabita cura acquirendae virtutis, ac pietatis, solummodo penes homines virtuosos ac pios videri student. Et haec est praecipua species hypocrisis, quam Scriptura damnat, et adversus quam invehitur Christus cap. 23. Matth., pluresque maledictiones intorquet. *In hypocrisi duo sunt*, ait S. Thom., *scilicet defectus sanctitatis, et simulatio ipsius. Si ergo hypocrita dicatur ille, cujus intentio fertur ad utrumque, ut scilicet aliquis non curet sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere; sicut consuevit accipi in Sacra Scriptura, sicut manifestum est, quod est peccatum mortale.*

III. *Quinam hypocritae dicendi sint.*

Hypocritae dicendi sunt, qui leves quasdam, ac minutas exterioris legis observantias ad scrupulum usque custodiunt; atque interim graviora, ac praecipua legis mandata transgrediuntur: iique similes sunt Pharisaeis, de quibus loquitur Christus Dominus apud Matth. quosque anathemate ferit. Hujusmodi hypocrisis rei existimandi sunt. 1. Christiani quidam, qui sibi religioni ducunt, putantque se grave crimen committere, si quaedam devotionis in Deum, aut B. Virginem, vel Sanctos exteriora exercitia aliquando praetermittant, atque interim vitam transigunt citra ullam animi perturbationem in blasphemiis, perjuriis, impudicitiis, usuris etc. 2. Quidam Ecclesiastici, qui summa attentione observare curant, quae sacri Canones praescribunt circa comam, circa habitum, ac modestiam exteriorem, et nihilominus tranquillo animo plura beneficia possident, quanquam unicum ad honestam ipsorum sustentationem sufficiat, residentiae legem jure naturali, ac divino praeceptam minime servant, bonis Ecclesiae consanguineos, aut saeculares dictant etc. 3. Religiosi quidam, ut animadvertit S. Bernardus in Apol. ad Guillelmum Ab. cap. 5., qui exactissime observant regulas quasdam minoris momenti, quas profitentur: at religiosam paupertatem negligunt, Superioribus reluctantur in iis etiam, quae juxta regulam praecipiunt, facta aliena li-

berrime carpunt, pacem, et concordiam turbant etc. Iis omnibus, aliisque similibus merito dici debet, quod Christus Scribis, et Pharisaeis: *Hypocritae: haec oportuit facere et illa non omittere.*

IV. *Qui falsam, ac temerariam sententiam in re alicujus momenti pertinaciter defendit, peccat mortaliter.*

Peccant lethaliter, qui in aliquo consessu sive Ecclesiastico, sive saeculari falsam, ac temerariam sententiam pervicaciter defendunt adversus majorem, et meliorem suffragiorum partem, dum de re aliqua agitur alicujus momenti, aut ex qua pendeat magnum Communitatis bonum, veluti dum quaestio est de eligendo magistratu, aut animarum Pastore, vel de statuenda aliqua regula utili; et necessaria pro conservanda morum disciplina, aut communi tranquillitate. Tunc enim aliorum sensus sequi tenetur, eique cum humilitate, animoque docilitate se subjicere.

CAPUT II.

De avaritia, ac vitiis, quae ex ea prodeunt.

I. *In quo consistat avaritia.*

Alterum capitale peccatum *avaritia* est. Duas avaritiae definitiones affert S. Th. 2. 2. q. 118, quae in idem tamen recidunt: nempe art. 1. avaritia est *immoderatus amor habendi*; et a. 4. *inordinatus amor divitiarum.* Ex quibus satis constat, ideo avaritiam peccatum esse, non quia *habendi, aut divitiarum amor* seipso malus sit, sed quatenus *inordinatus* est. Duplici virtuti opponi potest peccatum avaritiae: nempe *justitiae*, quum scilicet aliquis ex nimio, et immoderato amore habendi bona acquirit sive furto, sive concussionibus, aliisque modis, quibus jus proximi laeditur. Et praecipue *liberalitati*, prout immoderantiam importat circa interiorem affectum divitiarum, *puta*, inquit S. Th. a. 3. *quum quis nimis amat, vel desiderat divitias, aut nimis delectatur in eis, etiamsi nolit rapere aliena.* Liberalitas namque moderatur hujusmodi affectionem, illudque efficit, ut homo propter inordinatum affectum ad pecuniam non impediatur *a quocunque debito usu ejusdem*, usu videlicet, qui pertinet vel ad seipsum in sumptibus, et expensis, vel ad alios in congruis donationibus.

II. *Quando avaritia sit peccatum mortale.*

At num semper avaritia peccatum lethale est? Quaestionem resolvit S. Th, a. 4. Si avaritia sumatur prout *justitiae* opponitur, *ex genere suo* peccatum est lethale: *Sic enim ad avaritiam pertinet, quod aliquis injuste accipiat, vel retineat res alienas, quod pertinet ad rapinam, vel furtum, quae sunt peccata mortalia;* quamquam *propter imperfectionem actus* contingat in hoc genere avaritiae, aliquid esse peccatum veniale. Quod si avaritia accipiatur prout opponitur *liberalitati*, ut solum importat inordinatum affectum erga divitias; si tantum crescat divitiarum amor, *quod praeferatur charitati, ut propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei, et proximi, sic avaritia erit peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris in hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superflue divitias amet, non tamen praeferat earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum, et proximum; sic avaritia est peccatum veniale.*

Ex his inferre necessum est, lethale peccatum esse novas, et novas opes indesinenter congregare, et insatiabili cupiditate magis incubare divitiis temporalibus amplificandis, quam spiritualibus et aeternis per eleemosynas, aliasque pias operationes comparandis. Hinc Apostolus 1. Tim. cap. 6. fideles monet *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et in perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.*

III. *Vitia ex avaritia prodeuntia, et primum de proditione.*

Ex avaritia plura oriuntur vitia. Praecipua recenset S. Th. art. 8. eaque sunt *proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia,* et *contra misericordiam obduratio:* de his, aut potius de horum quibusdam pauca adnotare hic sufficiat. *Proditio* est *manifestatio illicita rei alicujus, vel personae in detrimentum proximi contra fidem ipsi debitam.* Peccatum mortale est ex genere suo, et quadrupliciter contingit: primo prodendo personam, quomodo Judas Christum ex avaritia prodidit: 2. prodendo loca, ex. gr. urbem, castrum etc. 3. prodendo res mobiles, puta pecuniam, aurum etc. 4. prodendo secreta sibi commissa, aut ex jure naturae celanda, verb. gr. litteras alterius alienis deferendo, aut manifestando.

De hac quasdam regulas subjicio, ut innotescat, quandonam peccatum lethale sit, et quando nullum, aut leve tantum. Prima est: Proditio lethale peccatum est, quoties aliquis vel simulata specie amicitiae aliquem in manus hostium tradit, aut factum aliquod manifestat, ex quo gravé proximo damnum caussatur. 2. Lethalis criminis reus est quisquis arcem, aut urbem, aliumve locum seu fidei suae, seu alienae commissum, et a legitimo Domino possessum, hostibus tradit. 3. Nedum minime peccat, sed etiam recte se gerit qui, quum possit, perduelles tradit legitimo Principi, adversum quem conjurent, aut seditiosos, aut alios boni communis hostes manifestat. 4. Lethalis proditio est, si quis in re gravi fidem nedum amico, sed hosti datam violat. 5. Quisquis arcanum, quod in alterius detrimentum vergit, aperit, aut evulgat, reus est peccati mortalis *proditionis.* 6. Proditio damnabilis non est, sed debita, prodere arcana, quae in damnum communitatis vergunt. 7. Proditionis crimen incurrit, qui alienas litteras reserat, aut resignat: siquidem haec litterarum reseratio juri gentium contraria est, ac publicae fidei adversatur.

Exceptio tamen duplex huic regulae communi adhibenda est: ac prima quidem, dum certus quispiam moraliter est, res admodum leves in alienis litteris contineri: tunc enim nonnisi leve peccatum committit; nullum vero, si ejusmodi litteras vel in proprium, vel in tertii, ac praesertim communitatis damnum conscriptas esse non temere, sed magna probabilitate judicet. Publica etiam authoritate alienae litterae licite reserantur. Alia exceptio est relate ad personas quidem privatas, sed quae aliquod jus, aut authoritatem servant in inferiores. Quare licitum est Patri, ac Matri litteras aperire filiorum, ac filiarum, idemque judicandum de iis, qui Patris et Matris loco succedunt post ipsorum mortem. Item eadem potestate gaudet vir

respectu uxoris suae, cujus est caput. Demum licet Superioribus religiosorum hominum, et Abatissis, aut Priorissis Monialium, quibus litterarum scriptio, aut receptio juxta regulam, aut Constitutiones absque Superiorum licentia interdicta est, subditorum, aut subditarum litteras aperire, ac legere.

IV. *De Fraude.*

Fraus definitur astuta *deceptio alterius in facto.* Ex genere suo peccatum mortale est, et locum habet multiplicem in contractibus tam ratione materiae, quam ratione pretii etc. de quibus in septimo Decalogi praecepto. *Fallacia* est astuta *deceptio alterius in verbo*, seu verborum mendacium, aut aequivocorum dolosa usurpatio ad decipiendum proximum. De hac plura in octavo praecepto. *Perjurium* est ejusmodi *verborum fallax usurpatio juramento firmata.* De hac praesertim in secundo.

V. *De Inquietudine.*

Inquietudo est *immoderata, et anxia mentis applicatio ad acquirendas, et conservandas divitias.* Hanc inquietudinem, sive nimiam temporalium rerum sollicitudinem designavit, reprobavitque Christus Dominus, quum Matth. cap. 6. dixit: » Dico vobis, ne solliciti sitis » animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini etc. Quaerite primum Regnum Dei, et justitiam ejus; et haec » omnia adjicientur vobis ». Qui ergo, sicut avari solent, hoc secundum, bona scilicet temporalia, primum quaerunt, qui nempe finem ultimum in his rebus, quae non primum quaerendae sunt, constituunt, qui se ita curis terrenis immergunt, ut negligant *regnum Dei, et justitiam ejus*, hi proculdubio rei evadunt lethalis peccati, divinique praecepti transgressores.

VI. *De Violentia.*

Sexta avaritiae deterrima proles *violentia* est, quae definiri potest *rei alienae per vim usurpatio.* Hujus criminis ex suo genere lethalis rei primo sunt divites, qui pauperes opprimunt rapinis, oneribus, injustis vectigalibus, injuriis etc. Hi siquidem leges palam infringunt justitiae, charitatis, immo humanitati, quam natura ipsa nos docet. 2. Quicumque indictiones publicas, tributa, seu, ut vocant, *tallias*, imponunt facultatum proportione minime servata, et pauperum onera aggravant, ut ditiores sublevent, aut ipsi praestationes suas minuant. Quemadmodum etiam nobiles, qui ex agris indictiones, seu *tallias* non solvunt, quoties communes sunt, aut solvere tenentur: ex hoc enim consequitur, ut hujusmodi onera Consules, aut Communitates oppidorum in ceteros incolas refundere cogantur. 3. Peccatum lethale est violentia, quae adhibetur in tributorum impositione, et remissione, dum aeque non fit, omnibus spectatis locorum, et hominum facultatibus, et oneribus. 4. Ad culpam violentiae lethalem refertur ea, qua nobiles, aut magnates pauperibus suas domos, aut agros adimunt, aut vendere cogunt, etiam justo pretio. 5. Lethalis item violentiae rei sunt juxta S. Augustinum serm. 1. alias 15. de diversis, qui proximo de usu luminis in domibus suis lites injustas intentant, easque demoliri cogunt. 6. Eodem peccato implicantur divites, qui suis opibus, aut authoritate freti pauperes ad judicum tribunalia pertrahunt, corruptisque

vel pecunia, vel favore judicibus opprimunt, aut lites pauperibus intentatas malis artibus ita pertrahunt, ut ab iis continuandis omnino desistere compellantur.

Ne longior sim, tria alia tantum *violentiae* lethalis peccata, quae saepe occurrunt, designare non omittam: nimirum 1. violentia Magnatum, et nobilium relate ad matrimonium: ad quod scilicet subditos suos, vel alios, prout ipsis lubet, cogere volunt, aut ab ipso libere contrahendo directe, vel indirecte deterrent. Nam hujusmodi violentia jure naturali adversatur, eamque sacri Canones sub poena excommunicationis interdicunt, eamque peculiari decreto vetuit Tridentina Synodus sess. 22. de reform. cap. 9. 2. Violentia parentum, qui liberos suos ad vitam monasticam et religiosam suscipiendam adhibita vi, vel incusso metu compellunt: libertatem quippe ipsis adimunt, in quam jus nullum habent, praesertim quum agitur de vitae statu deligendo, in quo ad mortem usque perseverandum est. Hujusmodi violentiam damnarunt Sancti Patres, ac nuperrime damnavit Concilium Tridentinum sess. 25. *de Regularibus, et Monialibus* cap. 18. 3. Non minus e contra peccato violentiae lethalis obstringuntur, qui ab habitu religionis suscipiendo, vel solemnibus votis nuncupandis citra justam caussam aliquem impediunt. Haec etiam regula sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini authoritate firmatur; qui hujusmodi violentiae reos excommunicatione percellunt.

VII. *De Obduratione contra misericordiam.*

Postrema avaritiae proles est *obduratio contra misericordiam:* et definiri potest *vitium, quo cor avari adeo tenaciter rebus suis temporalibus affixum est, ut miseriis pauperum non emolliatur ad eorum inopiam sublevandam.* Quoniam de praecepto charitatis proximi alibi opportunius agendum est, ideo quaedam solum, quae immanitatem ostendunt hujus vitii ex avaritia prodeuntis, hic afferam. Itaque primo lethalis obdurationis contra misericordiam rei sunt, qui rem pauperum usibus necessariam in pignus accipiunt, et diu retinent. Hinc Constantinus Imperator sub gravi poena vetuit, *ne boves ararii, aut aratorium instrumentum pignoris caussa a creditoribus abstrahantur.* 2. Qui frumenta, urgente fame, abscondunt, et culpa sua efficiunt, ut carior annona sit. Hoc peccatum, quod frequens valde est, Sp. Sanctus gravissime damnat Prov. cap. 11. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* 3. Creditor, qui debitorem, quem solvendo non esse parem satis constat, vexat, et opprimit, ut solvat, neque inducias ipsi concedit. Hanc regulam tradidit Christus Dominus apud Matth. cap. 18. celebri illa parabola de Rege rationem exigente a servis suis concludens: *Serve nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* 4. His demum accensendi sunt tamquam lethalis obdurationis rei, qui suorum agrorum, aut vinearum colonis, sive conductoribus pensionem non remittunt pro rata jacturae, quam vel ex sterilitate, aut grandinis tempestate, aliove casu fortuito perpessi sunt absque ipsorum culpa contingente. Nam in utroque jure sancitum est, ut in hujusmodi fortuitis casibus annonae pensionis remissio fiat pro rata damni, et incommodi. Ita Gregorius IX. Cap. *propter.*

VIII. *De Prodigalitate.*

Prodigalitas vitium est, quod simul *avaritiae*, et *liberalitati* opponitur. Prodigalitatis vitium in hoc consistit, quod prodigus plus det, quam oporteat, et ratio exigat. Peccatum est: corrumpit enim medium virtutis, et regulam rationis, quae praescribit quidem, ut bona nostra, et divitias aliis largiamur, *sed dum oportet, et quomodo oportet*, quam regulam prodigus nequaquam servat.

Equidem *ex genere suo* prodigalitas veniale tantum peccatum est. Lethale tamen saepe fit ex circumstantiis adjunctis. Sic primo lethaliter peccant ii, qui bona sua profundunt in comessationibus, in ebrietatibus, in alea, in ludo, in scortationibus, et aliis similibus illicitis voluptatibus, et filium prodigum imitantur, qui, ut habetur Lucae cap. 15. *Dissipavit omnem substantiam vivendo luxuriose.* 2. Qui bona sua prodigunt cum gravi aliorum damno, vel scandalo. 3. Tutores, et Procuratores, qui bona pupillorum: dispensatores, Oeconomi, administri, qui bona suae fidei commissa; Mercatores, Nobiles, et quicunque bona creditorum decoquunt. 4. Patresfamilias, qui suarum pecuniarum profusione uxori, et liberis grave damnum inferunt, eisque necessaria non provident: mulieres demum, quae immundo muliebri, et superfluo vestium ornatu immodicos sumptus faciunt. In his, aliisque pecuniae vel bonorum suorum profusionibus, en regula allata a S. Thoma quodlib. 6. q. 8. art. 1. ad 4. pro discernenda gravitate, aut levitate peccati admodum opportuna. » Dicendum, inquit, quod neque moderatus usus divitiarum, neque » bona fides dispensatoris salvari videtur in eo, qui scienter super» fluas expensas facit in voluptuosis conviviis, et in aliis hujusmodi » superfluitatibus, et ideo non est dubium, quod in talibus peccat » mortaliter. Si autem aliquis non multum in talibus excedat, potest » bona fide fieri ab aliquo, qui vult secundum decentiam sui status » morem gerere his, quibus convivit ». Atque haec S. D. regula in omnibus quidem etiam saecularibus, sed praesertim locum habere debet in Ecclesiasticis, qui ex redditibus Ecclesiae vivunt.

CONSECTARIA.

I. *Avaritia saepe grave peccatum est, etsi non sit opposita justitiae.* Quamquam avaritia peccatum mortale non sit, dum non laeditur, aut violatur justitiae praeceptum, solumque consistit in nimia quidem, sed non graviter inordinata affectione erga divitias; mortale tamen peccatum est, quoties hujusmodi affectio, ut saepe contingit, adeo excrescit, ut dominetur in corde, illudque ita possideat, ut divitiae sint ultimus finis avari, non Deus super omnia dilectus. Quare ut avarus sit in statu peccati mortalis necessum non est, quod inordinatus divitiarum amor semper erumpat in aliquam gravem transgressionem praeceptorum Dei; sed satis est prava animi sui dispositio ex amore illo praedominante profecta, quae pugnat cum divina charitate. Ex quibus inferre oportet, lethalis avaritiae reum esse nedum qui rapit aliena, sed et illum, qui cupide servat sua, si tanta sit cupiditas, ut ea non sit paratus amittere, ne Deum graviter offendat.

II. *Patresfamilias rei gravis culpae; item qui forenses lites suscipiunt avaritiae caussa.*

Licet recte rationi, et charitati Christianae consentaneum sit, ut Patresfamilias facultates tum pro se, tum pro liberis suis comparent vitae, ac statui congruentes; rei tamen peccati mortalis dicendi sunt, si nullum congerendis filiorum gratia divitiis modum statuant, eaque de caussa ab erogandis eleemosynis, maxime urgente praecepto, desistant. Id fluere videtur ex iis, quae praemissa jam sunt, clariusque patebit quum de eleemosyna sermo erit. Item avaritiae culpa non vacant, qui cupiditate bonorum temporalium lites forenses suscipiunt. Equidem necessarium interdum est, immo etiam laudabile res suas in judicio repetere, vel tueri. Sed si rationabilis caussa non suppetat, solaque in caussa sit acquirendi cupiditas, non est a culpa immunis, qui lites intentat, aut persequitur. A litibus alieni magis esse debent Ecclesiastici, Religiosique viri, quos vel perfectos esse oportet, vel ad perfectionem tendere, et charitatis exemplo ceteris omnibus praelucere.

III. *Quinam crimine proditionis peccent.*

Lethaliter peccat *proditionis* crimine, qui latroni manifestat absconditas alicujus pecunias, vestes, aut quamlibet supellectilem, sicut etiam chartas, titulos, contractus, apochas, codices magni momenti, et id genus alia. Eodem quoque obstringuntur delicto Consiliarii, Ministri Principum, vel Rerum publicarum, qui ipsorum arcana deteguut. Item Procuratores, et Advocati, qui Clientum arcana adversae parti absque justa caussa revelant: Medici quoque, et Chirurgi, qui pudendos aliorum morbos, sed occultos, et ipsorum fidei, et curae commissos manifestant. Denique ii omnes, qui arcanum sibi ab amico creditum, quod gravis momenti sit, et ex cujus revelatione malum quodpiam ipsi probabiliter immineat, alteri praeter ejus voluntatem patefaciunt.

IV. *Interdum arcana revelare possumus, ac tenemur.*

Arcana tamen etiam amicorum revelare opus est iis, quorum interest, quoties aliquis etiam secreto noverit aut haeresim, aut pravum dogma, quod quis disseminat contra fidem, aut morum disciplinam: quemadmodum etiam si quis meditetur, aut aliquid occulte moliatur contra fidem, ac reverentiam Principi debitam, contra sacram Regis Majestatem, vel Reipublicae jura, contra Regni tranquillitatem; atque etiam contra vitam, famam, aut bona alicujus privati, cui secreto insidiae struantur. Idque revelare quoque debemus, licet amicus sit, qui haec meditatur, remque fidei nostrae summopere commendaverit. Quoniam ipsum juramentum praestitum contra bonum publicum, vel contra bonos mores non obligat.

V. *Quomodo se gerere oporteat subditus, Praelato secreti revelationem praecipiente.*

Ex hac doctrina haud difficile est quaestionem dirimere de obligatione subditorum relate ad Superiores sub praecepto jubentes arcana cuicunque commissa sibi manifestare. Audiendus hac in re S. D. quod. 1. q. 8. a. 1. » Est, inquit, aliquod secretum, quod illicitum » est celare, sicut quod in periculum vergit aliorum, quibus aliquis » cavere tenetur .... Ad praeceptum ergo Praelati tenetur Religio-

» sui tale secretum pandere, etiamsi promisit se non revelare, di» cente S. Isidoro: *in male promissis rescinde fidem*, nisi forte in » confessione audierit: quia tunc nullo modo esset revelandum. Est » autem secretum, quod de se celari potest sine peccato: et tale » secretum Religiosus nullo modo Praelato praecipienti pandere » debet, si sit fidei suae commissum: peccaret enim frangendo fidem » commissam.

CAPUT III.

De luxuria, et vitiis ex ea progenitis.

I. *Luxuriae definitio.*

De luxuria generatim inspecta, ac prout vitium capitale est, hic duntaxat sermonem habemus: nam de septem luxuriae speciebus ad sextum Decalogi praeceptum tractationem remittimus. Luxuria igitur in genere considerata definitur *inordinatus appetitus voluptatis venereae.* Quum dicitur *inordinatus*, significatur id, quod in genere vitiorum constituitur: neque enim ad luxuriae vitium pertinet usus omnis venereorum, ut patet in Conjugatis, qui eorundem usum, ac modum servant, rectumque finem, prolis nempe generationem, in eo sibi praestituunt. Quum vero dicitur appetitus *voluptatis venereae* designatur id, in quo luxuria a vitiis coeteris distinguitur, ac speciale vitium est. Siquidem *venerea voluptas* propria hujusce vitii materia est, et in hoc differt a reliquis vitiis, aliisque inordinatis delectationibus, etiam quae versantur circa cibum, et potum, quae sunt materia gulae.

II. *Luxuria est peccatum de se mortale, sed aliquando veniale.*

Luxuria nedum utcunque peccatum est, sed etiam *de se mortale:* de quo ambigere non licet, Apostolo ad Gal. cap. 5. veritatem hanc attestante, dum ait: *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria etc. quae praedico vobis, sicut praedixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Praeterea, ut ait S. Th. ad 2. *Ex eo, quod aliquis inordinate corpore suo utitur, injuriam facit Deo, qui est principalis Dominus corporis nostri.* Hinc Apostolus idem 1. ad Corinth. cap. 3. *Nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et cap. 6. *An nescitis, quia membra vestra templum sunt Sp. Sancti, qui in vobis est?*

Contingere tamen potest, quod luxuria sit aliquando peccatum veniale. Porro quandonam peccatum mortale sit, quando veniale potest ex D. Th. q. 15. *de malo* ita explicari. Quoties actus luxuriae solum inordinatus est ob nimiam concupiscentiam, sicut quum aliquis ad suam quidem uxorem accedit, libidine valde aestuante, quae tamen intra limites sistit legitimi matrimonii, adeo ut neque ipsam, neque aliam cognoscere vellet, quae sua uxor haud foret, veniale tunc tantum peccatum est. Quoties vero luxuriae opus inordinatum est ex parte actus, quia scilicet actus non est conveniens, aut proportionatus generationi, et educationi prolis, semper est peccatum mortale. Idemque ferendum judicium est, si talis inordinatio concu-

piscentiae sit inter conjuges, ut intra matrimonii limites nequaquam sistant. Tunc enim vel mente, vel opere inordinatio se tenet ex parte ipsius actus.

Neque vero luxuria solum est peccatum mortale, dum consideratur ipsum principale luxuriosum opus, quod est inordinatus concubitus, aut inordinata seminis emissio; sed etiam ea, quae ad ipsum ordinantur, scilicet libidinosus aspectus, tactus, colloquia, hisque similia, quatenus ad expletionem libidinis referuntur; sive interim is, qui hujusmodi obscoenitatibus oblectatur, in opus turpe consentiat, sive etiam non consentiat, ut subinde dicemus. Quandoquidem idem judicium esse debet de actu ipso lethaliter peccaminoso, ac de actibus, qui ad illum ex se disponunt.

III. *Species luxuriae.*

Luxuriae species sex a S. Th. q. 157. a. 1. assignantur; nimirum *fornicatio simplex*, *adulterium*, *incestus*, *stuprum*, *raptus*, *et vitium contra naturam*: quibus Theologi frequentius speciem aliam adjiciunt, nempe *sacrilegium*. Divisionis hujus affert rationem S. D., quae ita paucis proponi valet. Species peccati sumuntur ex diversitate formalis objecti. Ubi autem est materia cum diversa ad rectam rationem repugnantia, ibi diversitas est objecti formalis. Inveniri autem potest luxuriae materia cum diversa repugnantia ad rectam rationem; vel quatenus impeditur generatio prolis: et tunc est *peccatum contra naturam*, vel quatenus impeditur educatio, et promotio prolis natae: et sic est *simplex fornicatio*: vel quatenus actus exercetur inconvenienter relate ad alios homines: et hoc quia vel non servatur honor naturaliter debitus foeminae, ut in *incestu*: vel quia non servatur rectitudo ex parte illius, in cujus potestate foemina est: et si quidem sit in potestate viri, est *adulterium*: si sit in potestate patris, *stuprum* est, si absit violentia: *raptus* autem, si violentia fiat. Quòd si non servetur honor debitus propter votum, quo se foemina Deo obligavit, aut propter legem Ecclesiasticam, tunc sacrilegium erit.

IV. *Luxuriae filiae.*

Octo luxuriae *filias*, seu peccata S. Gregorium Magnum secutus recenset S. Th. art. 5., quatuor ex parte intellectus, et quatuor ex parte voluntatis. Priores sunt *caecitas mentis*, *inconsideratio*, *praecipitatio*, *inconstantia*. Posteriores, *amor sui*, *odium Dei*, *affectus praesentis saeculi*, *et horror futuri*. Quae sic ex ipso explicantur.

Per *caecitatem mentis* intelligitur et poena peccati, et peccatum proprie dictum, quo scilicet luxuriosus nec advertit sui operis foeditatem, nec finem honestum sibi proponit, ut ab eo deflectat. Per *praecipitationem* accipitur defectus consilii, ita ut luxuriosus absque mentis consilio, sed passionis impetu abreptus praeceps ruat in flagitia, at facinora, ut suae libidini satisfaciat. Per *inconsiderationem* hic venit defectus attentionis ad Dei judicia, et ad poenam, quam Deus in sacra Scriptura luxuriosis, nec aliud cogitat, quam de explenda sua libidine omni quocunque modo, immo nec cogitat de statu, et officio, quod plane si adverteret, facile posset a flagitio revocari. *Inconstantiae* vocabulo denotatur levis, et versatilis animus in rebus agendis, adeo ut luxuriae deditus, ut voluptate, quam deperit, frui valeat, facillime a bono proposito dimoveatur.

Quoad luxuriae filias ad voluntatem spectantes, *amor sui* significat inordinatum illum affectum, quo libidinosi carnis suae voluptatibus ita afficiuntur, ut Deo, ejusque mandatis praeponant. Ex hoc amore sui, dum vehemens est, consequitur *odium Dei*. Luxuria scilicet admodum flagrantes abhorrent a lege, qua Deus nefarias libidines prohibet. Sequitur ex eodem amore sui inordinatus *affectus praesentis saeculi:* vellent nimirum libidinosi, ut praesens vita perpetuo duraretur, quo voluptatibus suis semper fruerentur. Ex quo demum quoque sequitur *horror saeculi futuri*, eo quod, quum non credant voluptuosi, se posse ex turpi coeno delectationum carnalium emergere, de aeterna vita comparanda omnino desperant.

V. *Actus exteriores Luxuriae.*

Agendum hic puto de actibus exterioribus, qui vel ex luxuria procedunt, vel ad ipsam disponunt. Primum itaque dicam aliqua de his, quae locutionem spectant, circa quam quatuor veluti species, quae ad luxuriam revocantur, distinguit S. Th. Prima est *turpiloquium*, sive sermo turpis, et obscoenus. Secunda *scurrilitas*, qua in jocis, et facetiis ita exceditur, ut lasciva admisceantur ad risum excitandum. Tertia *ludricitas*, qua quis veluti ludens oblectatur verbis ludricis, ea ad delectationem carnalem referendo. Quarta demum *stultiloquium;* quo quis fatuas, et ineptas fabulas loquitur ad obscoenitatem pertinentes.

VI. *Aspectus lascivus.*

Nedum locutione, sed etiam solo aspectu lascivo luxuriae peccatum committitur. Dixi *aspectu lascivo.* Nam aspectus castus, qui fit aut necessitatis, aut urbanitatis caussa, non est peccatum. *Est enim,* inquit S. Jo. Chrysost. hom. 17. in Matth. *possibile, et aliter, quam libidinose*, mulieres ipsas *aspicere*, *ut certe aspiciunt et pudici. Et ideo non simpliciter aspectum, sed concupiscentiae Christus interimit affectum*, quum nempe ait: *omnis*, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, scilicet qui mulierem intuetur, ut concupiscat eam, hoc est, ut cogitatione concubitus ejus, quae matrimonio cum alia juncta est, pascatur animum, vel ut imaginetur pulcritudinem ejus, quamque delectabilis sit ejus aspectus, quamque sit idonea ad concubitum, etiamsi statuat nunquam commisceri cum ipsa, sive quia ad eam pertingere nequit, sive quia ratione aliqua vel honesta, vel inhonesta opus ipsum abominetur: sicut, si Sacerdos nolens propter votum suum cuiquam mulieri misceri, eo fine illam aspiciat, ac cogitet, quam sit amabilis ad concubitum. Sequitur Christus, et ait: *Jam moechatus est in corde suo:* quibus verbis significat, aspectum mulieris delectabilem cum ejus concupiscentia conjunctum, moechiae reum efficere aspicientem.

Quod si tamen solius curiositatis gratia aliquis mulierem aspiciat, non ex hoc lethale peccatum est, licet facillime veniale sit. Unde Augustinus eodem loco observat, nobis prohibitum absolute non esse videre mulieres, *sed eas appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum esse.* Addendum nihilominus est, periculum esse peccati lethalis, dum is, qui in foeminam defigit oculum, immoratur in ejus aspectus, maxime si sit pulcra, et ad affectum attrahendum composita. Qua de caussa Sapiens Eccles. cap. 9. hoc servandae castitatis veluti re-

medium necessarium commendat: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius . . . Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt* etc.

VII. *Oscula, amplexûs, et ceteri tactus.*

Ad actus luxuriae exteriores (nam de interioribus, nempe de delectationibus morosis, desideriis etc. satis alibi diximus) maxime spectant *oscula, amplexus*, et *ceteri tactus*. Hujusmodi actus possunt considerari duntaxat secundum se. Atque ita inspecti procul dubio non sunt ex genere suo, aut *secundum speciem suam* peccata. Si enim ita forent, nunquam fieri posset, quin peccaret is, qui actus illos exerceret, ut patet in mendacio, quod malitia exui nunquam potest. Porro certum est, haud semper peccare virum, qui mulierem ex. gr. osculatur. Id enim nonnunquam fit solius urbanitatis gratia, vel propter consuetudinem, quae obtinet quibusdam in locis, ut nempe ii se osculentur, qui se invicem invisunt, aut quum de novo ex aliquo loco, in quem antea abierant, revertantur. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 154. art. 4.

Quod si eadem oscula, amplexus, ac tactus *libidinis* caussa fiant, ut fieri solet praesertim inter viros, ac mulieres, tunc esse peccata mortalia omnino dicendum est. Quod in primis S. Th. laudato loco astruit in argumento *sed contra*, hoc momento ex S. Evangelio desumpto: *Minus est aspectus libidinosus, quam tactus, amplexus, vel osculum. Sed aspectus libidinosus est peccatum mortale, secundum illud Matth. 5.* Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam etc. *Ergo multo magis osculum libidinosum, et alia hujusmodi sunt peccata mortalia.* Quod autem osculum, et cetera hujusmodi sint peccata lethalia, id habent, inquit S. D. *ex sua caussa,* videlicet ex libidine, qua in praxi plerumque fiunt. Dicuntur porro libidinosa oscula, et alia hujusmodi, quae ad venereum aliquem actum ex se disponunt, aut quae fiunt ex intentione ejusdem, aut quae delectationem excitant de fornicatione, aut alia luxuriae specie, aut quae fiunt cum aliqua libidinis commotione vel praevisa, vel quae praevideri potuit, ac debuit, aut demum quae fiunt ob delectationem carnalem, et sensibilem ex ipsis osculis, aut amplexibus ortam. Ea enim quacunque ratione contingant, includunt consensum saltem interpretativum, in delectationem alicujus speciei luxuriae, ad quam hujusmodi actus, qui sunt tum in homine, tum in omnibus animantibus ad *veneris initia* revocantur.

VIII. *Ad quam libidinis speciem, spectent oscula, tactus etc.*

Quod modo innui, diligenter est advertendum, ad eam scilicet libidinis speciem pertinere oscula, aspectus, tactus, colloquia venerea, ad quam spectat consummatio concubitus. Quare aspectus, vel oscula conjugum spectant ad actum, aut speciem matrimonii, adeoque sicut actus matrimonialis licitus est, ita oscula etc. matrimonii honestate excusantur. Aspectus vero, oscula etc. soluti erga solutam ad *fornicationem* reducuntur: soluti ad eam, qui alterius est, ad *adulterium*: si fiant inter consanguineos ad *incestum* spectant; cum persona Deo dicata, sacrilegii culpa polluuntur etc. Fricare vero, vel palpare libidinose seipsum, *mollitiei* est: brutorum genitalia turpiter

tangere ad *bestialitatem* pertinet. Ad *sodomiam* vero, si vir virum, foemina foeminam libidinose aut osculetur, aut contrectet etc.

CAPUT IV.

Regulae quaedam ad peccati luxuriae qualitatem dignoscendum.

I. Reg. 1. *Venerea voluptas extra matrimonium voluntario quaesita, aut captata, peccatum lethale est.*

Haec regula satis patet ex dictis.

II. Reg. 2. *Lethalis culpa est, solus appetitus plene deliberatus actus venerei extra fines legitimi matrimonii; venialis vero si plene deliberatus non sit.*

Utramque partem tradit S. Th. q. 15. de malo art. 2. inquiens: *Quia appetitus interior accipit bonitatem, vel malitiam ex eo, quod appetitur; inde est, quod etiam appetitus hujuscemodi actus inordinati est peccatum mortale, si sit completus, scilicet cum ratione deliberatus; alioquin est peccatum veniale.*

III. Reg. 3. *In voluptate venerea deliberate quaesita, aut captata materiae parvitas admittenda non est.*

De hac regula non est concors Theologorum sententia, tametsi in aliquibus omnes conveniant. In hoc consentiunt, ac consentire omnes debent, delectationem deliberatam, sive gravis sit, sive levis de objecto graviter impudico, ut de copula carnali, de pollutione, semper esse peccatum mortale; quoniam delectatio, quaecunque sit, speciem, et malitiam ex objecto depromit, quod quum graviter malum sit, gravem quoque malitiam in delectationem, quae alias voluntaria supponitur, refundit. Consentiunt item, ac consentire omnes debent, etiam delectationem veneream dum vehemens, et gravis est ex parte sui, tametsi capiatur ex objecto *levi* in genere luxuriae, ut ex contactu manus mulieris, esse lethale peccatum. Quandoquidem ea delectatio, quum vehementer carnem commoveat, proxime disponit ad pollutionem, eamque suapte natura inducit, licet aliquando ex parte subjecti hujusmodi delectationem deliberate capientis non sequatur.

Quoties ergo in proposita *regula* statuo, non esse admittendam materiae parvitatem in delectatione, aut voluptate venerea quaesita, aut captata, de illa intelligo, quae *levis* est physice considerata tum ex parte objecti, ut contactus manuum mulieris, tum ex parte actus, sive ipsius delectationis; adeo ut moraliter inspecta *gravis semper* sit in genere moris; si tamen non desit plena voluntati deliberatio: ex hujus enim conditionis defectu saepissime contingit, in viris praesertim timoratis, ut peccatum veniale sit, praesertim quum objectum leve de se est.

Rationes hujus regulae nituntur praecipuae duobus D. Th. principiis; quorum primum est, *Imperfectum ad eundem ordinem reducitur, ad quem pertinet perfectum.* Igitur si perfectum in hoc ordine est pollutio, aut copula carnalis, quae sunt peccata mortalia, ipsa quoque delectatio imperfecta ad idem peccati genus reducenda erit. 2. *Pars et initium alicujus rei spectat ad eamdem lineam cum termino et complemento ejusdem.* Igitur si terminus, et complementum grave

peccatum est, grave quoque peccatum erit ipsa, quamvis modica, delectatio venerea, quae pars est, et initum delectationis completae.

Quidquid tamen sit, aut quodnam judicium feratur de horum argumentorum efficacitate, quum Theologorum communior opinio materiae parvitatem in delectatione qualibet venerea deliberate volita non agnoscat, omnesque conveniant de re agi periculi plena, prudens quisque, ac salutis suae cupidus quanta potest diligentia cavebit ab omni captanda delectatione, ac voluptate.

IV. Reg. 4. *Non solum tactus pudendorum, sed etiam mamillarum mulieri absque necessitate*, aut *justa caussa, peccatum lethale est.*

De tactu pudendorum mulieris nemo ambigit: de tactu autem mamillarum, licet quidam esse duntaxat veniale asseruerint, regula ut certa tenenda est: quoniam inter tactus valde impudicos accenseri debet, idque ex communi hominum sensu, qui naturali quodam pudore ducti illum ut admodum turpem aversantur, et horrent. Quare in Poenitentiali Romano edito ab Augustino Tit. 4. can. 2. legitur: *Si quis obtrectaverit puellae, aut mulieris pectus, vel turpitudinem ejus, si Clericus est, quinque dies poeniteat.* Ubi in eadem classe reponitur, et eadem poena punitur obtrectare pectus puellae, aut mulieris, et turpitudinem earum. Plura hac de re vide in libro ab Auctore edito adversus quosdam tactuum mamillarum defensores.

V. Reg. 5. *Amplexus, et oscula honesta juxta patriae consuetudinem, aut caussa amicitiae, vel urbanitatis habita, peccata ex se nullatenus dicenda sunt.*

Hujus regulae veritas ex eo liquidissime patet, quod nulla in iis actibus se prodit turpitudo, quum hujusmodi duntaxat sint signa, ac testificationes unionis amicorum, ac civium, vel amicitiae, benevolentiae, et honestatis. Atque ita concorditer post S. Th. sentiunt alii Doctores. Ceterum illud observo, hujusmodi oscula honesta, et licita etiam inter personas sexus diversi nunquam esse ori imprimenda, sed vel genis, vel honestius fronti, ut omne periculum venereae delectationis avertatur.

VI. Reg. 6. *Amplexus, et oscula, aliique tactus honesti nonnisi peccata venialia asserenda videntur, si fiant ex sola vanitate, curiositate, joco, aut alia simili de caussa, sublato scandalo, aut periculo consensus in veneream delectationem.*

Dixi, *sublato scandalo, aut periculo consensus in veneream delectationem.* Hoc enim in hac, aliisque materiis semper subintelligendum est, tametsi haud semper exprimatur. Itaque exposita regula probari facile potest. Nam si tactus honesti sint, et communi hominum sensu tales reputentur, si ex mera vanitate, curiositate, aut joco fiant, aliam malitiam contrahere nequeunt, quam quae ex ipsorum caussa derivatur. Caussa autem mere curiositatis, aut joci, similisve, haud tantam turpitudinem exprimit, ut eos efficere valeat graviter peccaminosos.

VII. Reg. 7. *Tactus de se inhonesti; aut impudici sive ex vanitate, sive ex joco deliberate et absque necessitate peracti peccati, lethalis damnandi sunt, sive fiant inter personas diversi sexus, sive ejusdem.*

Haec regula ex praemissis satis colligitur. Tactus autem inhonesti certissima sunt, praeter alios, quos memoravimus, tactus partium

generationi deservientium, aut eis vicinarum. Unde proculdubio graviter peccant, qui eas partes etiam ex vanitate vel joco advertenter, ac deliberate tangunt. Tum quia tactus hujusmodi nimiam prodnnt turpitudinem, ac deformitatem: tum quia ex objecto suo libidinosi sunt, pariuntque natura sua veneream delectationem. Tum demum quia ex se proxime disponunt ad pollutionem. Atque haec regula locum habet in tactibus personae nedum alterius, sed etiam ejusdem sexus. Nimium quippe turpe est, et periculosum, quod vel foemina foeminae, vel vir viri pudenda deliberate tangat, nimiumque provocat ad luxuriam: nisi forte hi tactus admodum transeunter, et casu potius, et absque ulla prava intentione contingerent, ut inter pueros natantes evenire nonnunquam potest. Quia etiam haec regula vera est in tactibus verendorum suorum, quoties nempe aliquis verenda sua attrectat vel cum delectatione venerea, vel cum ejusdem periculo. Quod si tamen qui se tangeret ex mera levitate, vel curiositate, non peccaret nisi ut summum venialiter; siquidem in ejusmodi contactu neque tanta turpitudo est, quanta in contactu partium alienarum, neque par venereae voluptatis periculum.

VIII. Reg. 8. *Liciti sunt praedicti tactus de se inhonesti ex caussa rationabili, aut ex necessitate: et illos etiam pati sine culpa possunt mulieres, quin et aliquando tenentur.*

Proxima pars liquet in Medicis, et Chirurgis, qui, justa urgente caussa curationis, aut sexus diversitatem internoscendi, partes etiam secretiores mulierum tangunt sine ullo peccato ex Theologorum omnium consensione. Nec propterea illiciti evadunt, quod ex iis, voluntate repugnante, delectatio venerea insurgat: nam ex honestate caussae, qua fiunt, omni culpa vacant. Si tamen medicus, aut chirurgus pravis tentationibus succumberet, et illicitam voluntatem admitteret, ab ejusmodi curationibus abstinere deberet: quemadmodum Confessarius officium audiendi mulierum confessiones dimittere tenetur, dum illud suae spiritualis ruinae caussa est.

Quoad alteram partem attinet, si mulieres medicorum, aut chirurgorum curationem patientes obnoxiae sint proximo periculo consentiendi in venereae voluptatis illicias, aut motus, quod ex experientia, propriave fragilitate compertum habere possunt, quodcunque malum potius perpeti debent, quam talem curationem permittere, ex qua salus animae periclitetur. Ceterum, si hoc periculum absit, se pudendarum etiam partium curae submittere debent, et naturalem verecundiam subire, potius quam mortem incurrere: neque enim ob solum naturalem pudorem refugere licet remedium ad vitam suam conservandam poenitus necessarium.

IX. Reg. 9. *Confundendae non sunt delectationes, quae ex amplexibus, osculis, et tactibus percipiuntur, aut percipi queunt.*

Tria genera delectationum, quae ad rem hanc revocari possunt, distinguere solent Theologi. Alia *spiritualis* est, et sola mente concepta, quae nempe corporeo organo non est illigata, nec sensuum commotionem, saltem necessario adfert, ac definiri potest *complacentia voluntatis de re turpi, seu actu venereo cogitato.* Atque haec illicita est, si objectum sit illicitum; etiamsi nulla sit in corpore venerea commotio.

Alia est delectatio *carnalis*, et *venerea*, de qua jam locuti sumus, et ex Galeno solet definiri *delectatio in carne consurgens ex motu humoris serosi, qualis est substantia seminis, et incalescens ob commotionem spirituum generationi deservientium.* Haec ex osculis, aliisque tactibus deliberate percepta culpa lethalis est in omnibus matrimonio solutis. Si enim matrimonio jungantur, licita est in ordine ad actum matrimonii, aut dum actum illum exercere volunt. Unde si absentes sint, nec conjungi valeant, illicita erit, quemadmodum e contra licita est, dum ea delectatio, quam *spiritualem* diximus, in mera voluntatis complacentia consistit.

Demum delectatio *sensibilis* est illa, *quae oritur ex solo contactu, seu proportione, et conformitate rei sensibilis cum organo tactus*, qualis est delectatio, quae percipitur ex contactu rei mollis, aut blandae: sicut enim in musica, in gustu etc. sua delectatio hauritur ex proportione sensus cum proprio objecto; sic idem contingit in tactu. Haec delectatio in se ipsa considerata innocens est, et cujusque culpae expers, nullamque prodit inordinationem, nisi careat honesto fine, ad quem actiones nostras referre tenemur. Verum in praxi hujusmodi delectationes *sensibiles*, dum studiose quaeruntur a personis solutis, et adulti in osculis, aut tactibus etiam de se honestis, vix, ac ne vix quidem a culpa lethali vacant; quia in hoc statu corruptae naturae cum delectatione *sensibili* immiscetur delectatio *carnalis*, quae ab ea reapse non sejungitur in hujusmodi personis, tametsi absolute sejungi posse minime diffitear.

X. Reg. 10. *Peccati lethalis rea est mulier, quae se non retrahit, nedum quando advertit se tangi osculis, aut aliis tactibus inhonestis, ac libidinosis; verum etiam honestis quidem, sed affectu libidinoso peractis.*

Dubium nullum est, lethaliter peccare foeminam advertentem se tangi tactibus inhonestis, dum non reluctatur, et spectatis circumstantiis voluptuosum hominem ita attentantem abs se non repellit. Ceterum si sermo sit de tactibus honestis, sed judicandi locus est, eos nequaquam fieri affectu libidinoso, sed honesto, illa permittere in se potest citra culpam. Si autem aliud judicium ex circumstantiis ferre valeat, ea videlicet fieri animo, et affectu libidinoso, graviter peccat ea permittens, aut non impediens; siquidem alterius peccato cooperatur.

XI. Reg. 11. *Aspectus impudicus, lethale ex se peccatum est.*

Haec regula ita posita tamquam certa tenenda est. Siquidem impudicitia quaelibet sive in tactibus, sive in sermonibus, sive in aspectibus natura sua grave peccatum est. Circa quod illud assero, impudicum esse aspectum illum, qui pro objecto habet quidpiam de se natum excitare carnalem commotionem, aut accendere concupiscentiam, sive id contingat ratione rei, quae aspicitur, sive ratione subjecti, quod aspicit: et quidem ratione rei, in quam aliquis defigit oculos, impudicus dicendus est imprimis, si vir deliberate, et absque urgenti necessitate foeminae, aut foemina viri pudenda, aut vicinas partes aspiciat, quamquam non caussa excitandae libidinis, sed ex curiositate aspectus fieret. Item aspectus, quo quis concubitum viri cum foemina tametsi ex curiositate intueretur, utpote qui valde ad

libidinem provocaret. Similiter aspicere studiose, morose, ac de industria nudas ejusdem sexus personas, aut carnalem brutorum congressum, similesque alias turpitudines, gravi peccato plerumque non caret: quia hujusmodi aspectus natus est ad excitandas obscoenas in animo cogitationes, et pravos in corpore motus, vixque fieri potest, habita ratione corruptae naturae, ut excitatis illis obscoenis cogitationibus animus non delectetur.

Ceterum plures casus ab hac regula excipiendos videntur, primo nempe quum isti aspectus fortuiti potius sint, quam deliberati, ac studiose quaesiti. 2. Quando subest aliqua rationabilis caussa, ut contingit in rusticis jumenta *ad saltum* ducentibus. 3. Quando spectata conditione aut personae aspicientis, aut personae inspectae, nullum est delectationis carnalis periculum, velut quum foeminae lactantes inspiciunt eosdem infantes, quos continenter habent in manibus, aut vir propria membra inhonesta sine carnali delectatione intuetur. Neque enim tanta videtur esse in hoc intuitu inhonestas, et indecentia, ut culpae mortali tribuenda sit.

Verum in aspectibus, qui de se, et natura sua impudici non sunt, aut possunt non esse ob occurrentes aliquando circumstantias, antequam culpae gravitas definiatur, attendenda est intentio, inclinatio, et conditio personae aspicientis. Nam saepe respectu unius culpa gravis erunt, qui non erunt respectu alterius, qui nullam experitur carnis commotionem, nullamque vel modicam tentationem. Quia tamen vix unquam a peccato saltem veniali immunes sunt; ideo vir pius, ac castimoniae amator ab omni aspectu, qui necessarius non sit, aut conveniens, prudenter cavebit.

XII. Reg. 12. *Peccare mortaliter dicendi sunt, tum qui sermones de rebus turpibus habent, tum qui scribunt de rebus obscoenis.*

Constat haec regula quoad primam partem ex D. Paulo dicente 1. ad Corinth. cap. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala:* quia sermones de rebus turpibus, et luxuriosis vehementer libidinem accendunt. Quoad partem alteram non minus est manifesta: nam qui scribunt, aut typis edunt obscoena, quantum de se est, perpetuo duraturum scandalum praebent: ac insuper impossibile moraliter est, ut ii, qui vel sermocinantur, vel scribunt de rebus obscoenis, de eisdem turpes delectationes non foveant, dum eas animo, ac mente continuo versant.

XIII. Reg. 13. *Conversationes promiscuae, prout modo in consuetudine sunt, damnandae ac fugiendae tamquam periculorum libidinis plenissimae.*

De hodierna loquor consuetudine, qua viri ac mulieres promiscuae conversantur, et plures horas impendunt in sermonibus ut minus de rebus vanis, ac mundanis, in ludis, facetiis, ac jocis et illecebris. De illis loquor etiam, in quibus mulieres, licet matrimonio saepe junctae, amant sibi servitutem praestari ab aliis viris, quos *Clientulos* vocant, qui sibi continenter assideant, manus ad ambulandum porrigant, aliaque officia praebeant tum diurno tempore, tum etiam aliquando nocturno. Ad hujusmodi conversationes damnandas satis sunt documenta, quae prostant tum in Sacris Scripturis, tum in Sanctis Patribus; ipsaque experientia, quam sint ejusmodi conversationes periculorum, immo peccatorum plenissimae, evidenter confirmat.

XIV. Reg. 14. *Choreae inter mares, et foeminas, prout, spectatis omnibus circumstantiis, exerceri solent, ita peccandi occasiones plerumque sunt, ut Christiani communiter loquendo, ab eis abstinere debeant.*

Id colligitur ex Scripturis et Patribus, qui passim docent, eas non esse sine peccato, aut sine periculo peccati: quod satis esse deberet, ut tam viri, quam mulieres a vanis hujusmodi oblectationibus abhorrerent. At quoniam multis hisce generalibus Patrum doctrinis minime contenti, quaerunt, quaenam pravitas determinate sit in modernis choreis juxta Theologos recentiores, audiamus, quid hi quoque sentiant, ac doceant; placet duas afferre authoritates in rem hanc admodum opportunas. Prima est P. Pauli Segneri ex suo *Christiano instructo in lege sua*, ubi purior doctrina est, dictisque SS. Patrum, maximeque S. Thomae conformior. Author iste p. 3. serm. 29. Choreas omni argumentorum genere vernaculo idiomate insectatur. Ac imprimis animadvertit, alio modo de his loqui Casuistas, alio SS. Patres, piosque Doctores. Isti siquidem choreas, et saltationes damnant. Casuistae vero nonnulli tamquam licitas defendunt, aut permittunt. Unde vero tanta de re eadem opinionum diversitas? Non alio ex capite, inquit ille, nisi quod Casuistae choreas in quadam abstractione metaphysica contemplantur, sive *secundum se*, sub qua consideratione nullam plane malitiam exprimunt. Sancti vero Patres, virique pietate insignes easdem spectant *prout sunt in praxi*, in qua tot pravis circumstantiis vestiuntur, ut illae a peccato purgari nullatenus valeant.

Idem advertit sapientissimus Lambertini, posten Summus Pontifex Benedictus XIV. in Collect. Notific. Tom. 4. Notif. 9. his verbis latine redditis: » Etiamsi saltatio, ut saltatio, seu ut ars movendi » pedes ad sonitus, leges peccatum non sit: admittatur quoque in » aliqua circumstantia, choream bonam esse, meritoque dignam, ut » quando Maria Prophetissa Aaronis soror, aliaeque mulieres sona» bant, et saltabant etc. Verum nimis luculentum est, hodiernas » choreas diversi omnino generis esse, alioque tendere, quum in his » communiter peccata committantur, totque occurrant honestatis of» fendicula etc. Hos mulierum, virorumque laqueos, et scopulo serie » considerans Conradus Elingius Theologus Ord. S. Francisci in suo » Catechismo Catholico lib. 4. cap. 14. haec docet: *Chorea mundana est » circulus, cujus centrum est Diabolus, et circumferentia Angelis ejus » circumstantes, et ideo raro, aut nunquam sine peccato fit.* Quum » haec ita se habeant; quis negare ausus fuerit, choreas (etiamsi » speculative loquendo culpa carerent) vitiosas esse, et communiter » in praxi peccatorum plenas? » Haec paucis complexus est. Instit. Eccles. 76. §. 5. inquiens: *Choreae, quamvis ex sui natura sint licitae, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, quum plerumque sint peccandi occasio.*

Consectaria.

I. *Si desit caussa honesta, nunquam licet ponere actiones, ad venerem provocantes.*

Posita caussa honesta, et secluso consensus periculo, licitae sunt eae actiones, quae de se delectationem veneream etiam proxime in-

ducunt; ut ex. gr. si ad medendas verendas partes, eas tangere oporteat. Seclusa vero caussa honesta, aut necessaria, hujusmodi actiones ad venerem provocantes ponere minime licet, etiamsi homo iis consensum nequaquam praebere statuat, ac firmiter proponat. Item mortale peccatum non est actionem haud libidinosam ponere, ex qua tamen tamquam caussa, sive potius dispositione remota, et per accidens delectatio venerea, sive etiam pollutio sequutura praevideatur, modo ea non intendatur, nec subsit consensus periculum. Neque enim motus illi carnales, qui facillime naturaliter suboriuntur, in aestimatione prudenti satis voluntarii censentur in caussa remota, adeo ut illi imputentur, qui alio ex fine eam ponit. Ab iis tamen caussis quamvis remotis verus castitatis amator sine justo motivo abstineat oportet saltem sub veniali culpa. Nunquam tamen sine gravi culpa exercere possumus praedictas actiones remote influentes ob finem captandae voluntatis, aut promovendae pollutionis. Quoniam tunc delectatio venerea actionum illarum objectum est, et ex illa malitiam gravem desumit.

II. *Peccant qui turpia loquuntur.*

Graviter peccare dicendi sunt, qui turpia loquuntur, quoties sermones, vel ex rebus ipsis, vel ex conditione personarum, coram quibus habentur, apti sunt ad venereas commotiones excitandas, aut scandalum pariendum. Sic gravia crimina sunt colloquia de rebus obscoenis habita coram mulieribus, puellis, honestis virginibus, aut adolescentibus. In his tamen locutionibus circumstantiae loci, temporis, maximeque personarum attendendae sunt, quemadmodum et in verbis amatoriis, quae proferuntur, aut canuntur a juvenibus, quae licet haud semper gravem malitiam contineant, semper tamen periculi plena sunt, adeoque omni, qua fieri cura potest, eliminanda.

III. *Peccant qui obscoenas imagines retinent, aut aspiciunt.*

Ut plurimum lethaliter peccant, qui imagines obscoenas repraesentantes, puta foeminas nudas, aut maris, et foeminae concubitum etc. aut retinet apud se, aut in eis oculos studiose defigunt: eoque gravius peccant, quod studiosius eas intuentur, aut contemplantur. Priores namque sibi, proximisque peccandi occasiones praebent: alii vero sub vanae curiositatis praetextu suos oculos libidine pascunt.

IV. *Quid de mulieribus, hodiernas conversationes sectantibus.*

Officio suo recte non fungitur Confessarius, qui mulieres vanas hodiernas conversationes, prout jam usus nimium deplorandus obtinuit, sectantes, ac sectari volentes admittit ad Sacramentum tum Confessionis, tum sacrae Communionis participationem, sinitque, se illudi fucatis earum excusationibus, nihil scilicet in his commerciis asserentium se advertere impudicitiae, nihil libidinis. Neque enim viri hisce mulierculis sese subjicerent, si nulla explendae libidinis fiducia suppeteret, aut in earum conversatione nullam sibi vetitam delectationem captarent. Quamobrem, quum ipsorum peccatis saltem hae mulieres cooperentur, adeoque et ipsae peccent, arcendae sunt a Sacramentorum participatione, nisi tales conversationes serio dimittant.

V. *Remedia Luxuriae.*

Remedia luxuriae haec sunt. Primum in eo versatur, ut alte cognitum habeamus, quanta sit hujus flagitii turpitudo, et pernicies,

quae poenae ipsum consequantur. Errant enim, qui peccatum istud veluti fragilitatis parvipendunt, sibique persuadent, facile a Deo condonari. Proponant sibi isti ante oculos universale totius orbis diluvium, quod ad haec punienda peccata a Deo justissimo Judice immissum est. Recogitent ignem illum e coelo delapsum, quo conflagrarunt impiae quinque, infamesque civitates: supplicium Israelitarum, qui fornicati sunt cum filiabus Moab. Beniamiticae quoque tribus, quae propter hoc peccatum ferme deleta est. Quibus, aliisque exemplis edocemur, quantum Deus hoc scelus aversetur, et odio habeat. 2. Fuga otii, crapulae, et ebrietatis, quae ad luxuriam magnopere provocant. 3. Vitare nimiam frequentiam, ac familiaritatem mulierum praesertim adolescentularum. *In medio mulierum*, ait Sapiens Eccles. 42. *noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri etc.* 4. Vigil sensuum nostrorum custodia. Siquidem, ut dicitur Jerem. cap. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras;* nempe per sensus, ut exponit S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinian. 5. demum *humilitas*, sive practica cognitio propriae fragilitatis, conjuncta cum fiducia in Dei auxilio, quod jugiter per humilem, ac ferventem orationem implorare debemus. Humilitas namque id praestat, ut de nostris viribus nihil fidentes tum occasiones, et pericula luxuriae toto studio, ac diligentia fugiamus, tum ad Deum humillime confugiamus, ut gratia sua ita nos roboret, ac confirmet, ne in pugna deficiamus.

CAPUT V.

De gula.

I. *Gulae definitio.*

Luxuriae proxima gula est, eamque nutrit, fovet, atque inflammat. Definitio ejus ex D. Th. 2. 2. q. 148. a. 7. haec est; nempe *inordinatus appetitus edendi, et bibendi.* Inordinatus autem *ex eo* est iste appetitus, *quod recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis consistit.* Recta siquidem ratio praescribit, cibum, et potum sumendum esse in ea quantitate, qualitate, aut mensura, quae necessaria, aut utilis est ad conservationem vitae, ac sanitatis cujusque individui. Haec enim finalis caussa edendi est, ac bibendi. Ab hac itaque recta rationis regula recedere ob amorem delectationis, quae in edendo, ac bibendo percipitur, vitium gulae est.

Ex his colligere oportet, non esse gulam, sive gulae peccatum, delectationem percipere ex cibo, et potu provenientem, quando moderata juxta rationis regulam corporis refectio sumitur. Humana namque infirmitas nedum cibo, et potu indiget, sed etiam cibi sapore, ac delectatione, ut finem, ob quem alimenta sumenda sunt, melius, ac plenius assequatur, scilicet nutrimentum corporis, vitaeque conservationem. Tunc autem ea delectatio limites rectae rationis praetergreditur, dum ipsa potius in sumendis alimentis quaeritur quam corporis valetudo, et conservatio: quemadmodum et qui se alimentorum voluptate abripi sinit, ut amplius sumat, quam naturae congruit, quum ea voluptas necessitatem praecise non debeat, sed

potius comitari, nec longius progredi, quam illa permiserit, ut explicavimus *de temperantia* loquentes.

II. *Gula peccatum est, et quando mortale.*

Ex dictis liquet, *gulam* esse peccatum. Quod enim a recta rationis regula recedit, semper peccatum est: *gula* autem ab hac regula in edendo, et bibendo, ut ostendimus, recedit. At vero cujus generis *gula* peccatum est, mortale scilicet, an veniale? Quaestionem dirimit. S. Thom. art. 2. docens, quod » si inordinatio accipiatur in gula » secundum aversionem a fine ultimo, sic *gula erit peccatum mortale.* » Quod quidem contingit, quando delectationi gulae inhaeret homo » tamquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet » contra praeceptum Dei agere, ut delectationibus hujusmodi fruatur. Si vero in vitio gulae intelligatur inordinatio concupiscentiae » tantum secundum ea, quae sunt ad finem, utpote quia nimis con» cupiscit delectationes ciborum, non tamen ita, quod propter hoc » faceret aliquid contra legem Dei; est peccatum veniale ».

Porro idcirco in priori casu *gula* peccatum lethale est; quoniam tunc aut formaliter, et directe, aut interpretative, et indirecte constituitur finis ultimus in delectatione cibi, et potus: *formaliter* quidem, et *directe*, veluti ponitur ab iis, de quibus ad Philipp. 3. dicitur: *Quorum Deus venter est;* quia nimirum propter delectationem ventris omnia faciunt. *Interpretative* vero, aut *indirecte* ab illis, qui malunt committere crimen aliquod, aut omittere, quod gravi praecepto praestare tenentur, potius quam suae gulae non satisfacere; ut si quis inferat sibi, vel aliis grave detrimentum in corpore, vel in rebus exterioribus ob alicujus alimenti sumptionem; aut si ob idem motivum graviter desit in obeundo officio suo, dum ex justitiae lege obstringitur, aut etiam violet Ecclesiae praeceptum.

III. *Gulae species.*

Gulae species hoc versiculo comprehenduntur: *Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.* Hanc autem distinctionem adoptans S. Th. hic art. 4. sic illam illustrat: » Gula importat inordinatam » concupiscentiam edendi. In esu autem duo considerantur, sci» licet ipse *cibus*, qui comeditur, et ejus *comestio.* Potest ergo » inordinatio concupiscentiae attendi dupliciter. Uno modo quan» tum ad ipsum *cibum*, qui sumitur: et sic quantum ad sub» stantiam, vel speciem cibi quaerit aliquos cibos *lautos*, idest pre» tiosos: quantum ad qualitatem quaerit cibos *nimis accurate prae» paratos*, idest *studiose*: quantum autem ad quantitatem excedit » *nimis* in edendo. Alio vero modo attenditur inordinatio concupi» scentiae quantum ad ipsam *sumptionem*, vel quia *propere*; vel quia » non servat *modum debitum* in edendo, quod est *ardenter.* Isidorus » vero comprehendit primum, et secundum sub uno dicens, quod » gulosus excedit in cibo secundum *quid*, *quantum*, *quomodo*, et » *quando.*

Circa autem has species, aut modos gulae tria animadvertas; primo omnes, et singulas propositas gulae species absque *ebrietate* inveniri posse: quod gulae peccatum latius pateat, quam ebrietas. 2. Has gulae species mutuo posse conjungi, adeo ut in unum, eundemque gulae actum plures earum, quin et omnes concurrant. Quo-

ties vero *secunda* ex his, aut *quinta* conditio concurrit cum *tertia*, sive in cibo, et potu simul, sive in alterutro tentum, videtur esse *comessatio*, quam sacrae Litterae specialiter damnant. 3. Sumere cibum, aut potum delicatum, aut accuratius paratum, non esse ex se peccatum. Contingere quippe potest, quod vel sanitatis gratia id fieri oporteat, vel quod non alia, quam hujusmodi alimenta praebeantur. Quare solum tunc peccatum est, quando haec in cibo, et potu ultra rectae rationis regulam appetuntur.

IV. *Gulae filiae.*

Vitia, quae ex gula tamquam ex vitio capitali oriuntur, et tamquam filiae ipsius reputantur, quinque S. Th. enumerat art. 6. nimirum *ineptam laetitiam*, *scurrilitatem*, *immunditiam*, *multiloquium*, et *hebetudinem mentis circa intelligentiam. Inepta laetitia* ea est, quae percipitur ex rebus, quae nullam, si recta ratio consulatur, parere delectationem queunt; vel si aliquam afferre valent, in eam dissoluto prorsus animo aliquis effunditur. Ad hanc laetitiam jocandi genus pertinet illiberale, petulans flagitiosum, obscoenum; quum scilicet aliquis ludendi caussa verbis, vel factis turpibus utitur, vel etiam quae in proximi nocumentum vergunt. Pertinent quoque choreae dissolutae, tripudia, motus incompositi, et lascivi, qui signa sunt intemperantis hilaritatis. Pertinet pariter vanitas histrionum, larvatorum, hominumque ad parum ingenuam voluptatem, vel cantu, vel manu, vel aliis gesticulationibus provocantium.

V. *De Scurrilitate.*

Nomine *scurrilitatis*, de qua aliqua supra dicta sunt, intelligitur hic a S. Thom. *Jocularitas quaedam proveniens ex defectu rationis, quae sicut potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus.* Hinc definiri scurrilitas potest *immoderatio in jocis, et facetiis, aut in studio commovendi alios ad risum.* Veniale plerumque peccatum est, quum personarum quidem decorum non servatur, sed scandalum abest, et prava intentio. Interdum tamen lethale potest esse peccatum ratione materiae, sive objecti, si jocus redundet in gravem Dei, aut Religionis, aut proximorum injuriam, aut obscoenus sit, et ad libidinem provocet.

VI. *De Immunditia.*

Immunditiae nomine non hic venit determinate *mollities*, aut *pollutio*; sed impuritas omnis verborum, et factorum, omnis obscoenitas, quae vel per vomitum, vel pollutionem etiam in somno ex intemperantia consecutam corpus, et anima helluonum, ac potantium contaminantur.

VII. *De Multiloquio.*

Multiloquium, quod est quarta gulae filia, idem est ac garrulitas effraenis. Ex ea progigni testis est experientia nobis ostendens, cibo et vino deditos maxime esse loqueces, et garrulos. Quoniam vero, ut Sapiens ait, *In multiloquio non deerit peccatum*, ideo saepe peccant hi, dum multa loquuntur, et quandoque etiam lethaliter, si nimirum in Dei, aut proximorum injuriam effundantur, quod illis cibo, et potu exhilaratis contingere solet.

VIII. *De Hebetudine mentis.*

Hebetudo mentis, ait S. Th. *circa intelligentiam*, *ponitur filia gulae propter fumositates ciborum perturbantes caput: sicut e con-*

trario abstinentia confert ad sapientiae perceptionem. Profecto crapula, et ebrietas ita mentis aciem obtendunt, ut hominem ineptum efficiant ad contemplationem veritatis, et ad eas omnes actiones, quae ingenii, rationis, ac prudentiae lucem, ac moderamen magis exigunt; Deique etiam oblivionem inducant.

Illud est hic observandum, *hebetudinem mentis* nedum poenam esse peccati, sed et ipsam peccatum esse, prout est voluntaria, ut in iis, qui scientes, et advertentes, aut ad advertendum obligati in eam hebetudinem incurrunt: quod certe in multis locum habet: et in omnibus, qui cernentes, aut cernere debentes, se ex nimio cibo, vel potu hebetari, nihilominus ab eorum delectatione abstracti, et illecti in illis perseverant. Hoc autem peccatum est lethale, quum aliquis ex inordinato affectu ad crapulam fastidit, ac negligit considerationem spiritualium eo tempore, quo sub salutis periculo adstringitur; vel quum ineptus redditur ad ea officia obeunda sive Civilia, sive Ecclesiastica, quae adimplere tenetur, ex gr. Judicis, Advocati, Medici, Curati, Confessarii, aliorumve.

IX. *De Ebrietate, et quando lethale peccatum est.*

Ebrietas, sive usus vini usque ad ebrietatem, vitium est, et quidem admodum vituperabile. Haec esse potest, si de perfecta loquamur, ipsius definitione; nimirum *Ebrietas est voluntarius excessus in potu, sive voluntaria potatio usque ad privationem usus rationis;* sive sit vini, prout frequentius est, sive alterius liquoris, puta cerevisiae, succus pomorum, aut aliarum arborum, seu fructuum. Ebrietatem esse peccatum ostendit S. Th. q. 150. a. 1. simulque declarat, quo sensu, et quoties peccatum sit, inquiens: » Ebrietas potest nominare actum, » quo quis in hunc defectum incidit. Qui potest caussare ebrietatem, » dupliciter: uno modo ex nimia vini fortitudine praeter opinionem » bibentis; et sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, prae- » cipue si non ex negligentia hominis contingat: et sic creditur Noe » inebriatus fuisse, ut legitur Genes. 9. Alio modo ex inordinata » concupiscentia, et usu vini. Et sic ebrietas ponitur esse peccatum, » et continetur sub gula, sicut species sub genere ».

Nec solum quodcunque peccatum ebrietas est, sed etiam lethale quotiescunque aliquis bibit advertens, potum esse immoderatum, et inebriantem, et tamen potius quam a vino abstinere, bibere pergit usque ad ebrietatem. Fundamentum praecipuum ex D. Th. a. 2. cur ebrietas sit ex se peccatum lethale, in eo positum est, quod usum rationis violenter auferat, qua nihil est in homine praestantius: et consequenter ita perturbat vitam hominis, ut ea gravibus animae, corporisque periculis exponatur. Quemadmodum enim qui alterum privat libero usu domus suae etiam ad aliquod tempus, injuriam ipsi facit, ac mortaliter peccat, ita multo magis peccare dicendus est, qui seipsum per violentiam privat, etiam ad tempus, libero rationis usu, sibi infert injuriam contra caritatem, quam sibi ipsi debet. Propterea ab Apostolo ad Gal. 5. ebrietas inter ea opera recensetur, quae a Regno Dei excludunt, dum ait: *Manifesta sunt opera carnis .... homicidia, ebrietas ..... et his similia ... quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Patres etiam Ecclesiae in ebrietatis vitium acriter invehuntur, ejusque foeditatem dignitati hominis admodum repugnantem exaggerant.

X. *Quando ebrietas excusetur, et excuset a peccato.*

Excusatur ne, et excusat ebrietas aliquando a peccato? Quaestionem hanc resolvit S. Th. art. 5. » In ebrietate duo attenduntur; scilicet *defectus consequens*, et *actus praecedens*. Ex » parte autem defectus consequentis, in quo ligatur usus rationis, » ebrietas habet excusare a peccato in quantum caussat involuntarium per ignorantiam. Sed ex parte actus praecedentis videtur esse » distinguendum. Quia si ex actu illo praecedente subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur a culpa, » sicut forte accidit de Loth. Si autem actus praecedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur a peccato sequenti ». Immo si ebrietas directe voluntaria sit, et peccatum ex ea consequens fuerit perfecte praevisum, illud augetur potius, quam ullatenus excusetur; ut in eo contingit, qui bene novit, se in ebrietate solere fornicari, convicia, aut blasphemias proferre: et nihilominus de industria se inebriat. Si autem peccatum imperfecte dumtaxat praevisum fuerit, vel ebrietas indirecte tantum voluntaria sit; diminuitur quidem peccatum ex ea commissum, sed non ita, ut veniale semper fiat, quod est mortale, dum sufficienter in caussa volitum est.

CONSECTARIA.

I. *Lethale est se cibo, et potu ingurgitare.*

Peccatum mortale est se cibo et potu deliberate ingurgitare usque ad vomitum. Hoc consectarium ex oraculis jam praedictis Scripturarum, et Patrum clarissime fluit. Merito proinde ab Academia Lovaniensi confixa est propudiosa illa nonnullorum Casuistarum doctrina, *Comessationem scilicet, qua quis, secluso scandalo, et gravi sanitatis damno, se cibo, et potu ingurgitat usque ad vomitum, ac reipsa usque ad vomitum se provocat, ut iterato epulari possit, nonnisi veniale peccatum esse.* Si tamen vomitus non ex intemperantia edendi, aut bibendi contingat, sed alio ex capite, puta stomachi debilitate, nullum, vel leve tantum juxta caussae qualitatem peccatum est.

II. *Lethaliter peccant, qui se provocant ad bibendum.*

Gravis peccati rei sunt, qui certa bibendi lege contendunt, quis ad bibendum valentior sit; aut ad aequales potus bibere cogunt, sive in ebrietatem incidant, sive illius dumtaxat periculo se exponant. Hoc plane asserere oportet, si Patres Ecclesiae audiamus. S. Basil. *homil. in ebriet.* haec scribit: » Deinde potatione procedente eo veniunt, ut de augenda hac insania certent, et de ebrietate per ambitionem contendant. Cujus authorem legis, praesidemque certaminis » Diabolum habent, victoriae vero praemium peccatum. Nam qui » plus hauserit meri, is prae coeteris laudatur, is victoriam refert. » Atque ita vere gloria in ignominia illorum est ». Paria habent. S. Ambros. *lib. de jejunio* cap. 13. S. Hieron. *in cap. 1. Epist. ad Timoth.*, et S. August. sive Author. serm. 90. inter Augustinianos. A peccato tamen excusandus est, qui alterum ad bibendum non cogit, sed amice tantum invitat, putans non esse inebriandum, nec ultra necessitatis, aut convenientiae metas bibiturum. Ita S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 1. ad 3.

III. *Tabernarii, quando peccent.*

Peccant Tabernarii, qui scientes, aut praevidentes inebriari eos, qui popinas suas frequentant, nihilominus propter lucri cupiditatem iis vinum, quoties petunt, ministrare non renuunt. Hoc traditur a S. Antonino par. 2. tit. 6. c. 3. §. 2. Nam ex praecepto charitatis, quo *Deus unicuique mandavit de proximo suo*, tenentur, quoties sine magno periculo possunt, impedire peccatum ebrietatis. Nec est, quod se excusent eo praetextu, quod illi parati jam sint ad ebrietatem; sicut nec excusantur a peccato, qui videns aliquem ad se interficiendum paratum, suicidium non impediret, dum sine gravi detrimento, aut periculo illud impedire posset.

Praefiniri quidem generalis regula nequit, qua certe cognosci valeat, quisnam excessum in bibendo peccatum mortale sit. Sed ex hoc nemo sumere animum debet ad excedendum; quinimmo ab excessu sibi quisquam magnopere caveat oportet, ne se periculo graviter excedendi committat. Quemadmodum enim *quae peccata gravia sint, quae levia*, ut ait Augustinus, non humano, sed *divino sunt ponderanda judicio*; ita et quisnam in cibo, vel potu gravis excessus sit, vel levis. Scripturae et Patres gravissime damnant nimio vino deditos. Hoc nobis satis esse debet, ut omni studio, et cura ab immoderatis potationibus caveamus.

IV. *Quomodo se gerere debeant Confessarii, circa ebriosos.*

Cauti admodum, et difficiles Confessarii sint oportet in absolvendis ebriosis, et popinis frequentandis assuetis; immo ordinarie loquendo absolutio iis impendenda non est, sed differenda quousque adversus consuetudinem strenue, viriliterque pugnando eam sincere emendare studuerint, ac emendationis sincerae signa exhibuerint: neque enim aliter constare potest de vera, ac plena conversione ipsorum. Ebrietatis vitium inter ea computatur, e quibus difficile emergunt homines, nisi totis viribus, ne divino auxilio in eo eradicando elaborent. Certe frequenti experientia compertum est, plures ex luxuriae vitio, paucos ex ebrietate emersisse, et ad bonam frugem conversos esse.

CAPUT VI.

De ira.

I. *Definitio irae.*

Irae communis definitio est *appetitus vindictae;* sive prout modo sumitur tamquam vitium, *inordinatus animi motus, quo quis injustam, et indebitam vindictam sumit, vel expetit ab eo, a quo vel reipsa laesus est, vel se laesum arbitratur.* Quae habet S. Th. 2. 2. q. 158. a. 1. et 2. lucem afferunt positae definitioni; ubi observat, objectum hujus passionis ex se malum non esse, sicuti est objectum invidiae, quae est, tristitia de bono aliorum, sed indifferens: potest enim vindicta, quae ejus objectum est, *et bene, et male appeti.* Igitur, quum ordo rationis quantum ad duo in ira attendi queat, quantum scilicet *ad objectum* ipsius, et quantum ad modum irascendi, si objectum, in quod tendit ira, quod est vindicta, sit juxta ordinem rationis, laudabilis est irae appetitus, et vocatur *ira per zelum.* Si vero aliquis vindictam appetat contra ordinem rationis, v. g. si puniri velit eum, qui non meruit, vel

ultra quod meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, idest non servato ordine juris, vel non propter debitum finem, qui est *conservatio justitiae*, et *correctio culpae*; motus irae vitiosus est, peccatumque, et vocatur *ira per vitium*. Ex parte autem *irascendi modi attenditur*, inquit S. Th., *ordo rationis circa iram, ut motus irae non inordinate fervescat nec interius, nec exterius: quod quidem si praetermittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat justam vindictam.*

II. *Cujusmodi peccatum sit ira.*

Cujusmodi ira peccatum sit, ostendit S. D. art. 3. nimirum si spectetur ira *ex parte objecti*, videlicet *vindicta*, quam appetit, ex genere suo peccatum lethale est: siquidem opponitur charitati, ac justitiae; veniale tamen fit, sicut et cetera peccata *propter imperfectionem actus:* » Quae quidem imperfectio attenditur vel ex parte » *appetentis*, puta quum motus irae praevenit judicium rationis; vel » ex parte *appetibilis*, puta quum aliquis appetit in aliquo *modico* se » vindicare ». Si autem spectetur ira ex parte *modi irascendi*, ut si nimium quispiam ardenter irascatur interius, et motum irae exterius nimium manifestet; tunc ira non habet ex genere suo peccati mortalis rationem. *Potest tamen contingere*, inquit S. Th., *quod sit mortale peccatum, puta si ex vehementia irae aliquis excidat a dilectione Dei, et proximi.*

III. *Tres irae gradus.*

Christus Dominus Matth. cap. 5. ait: *Omnis, qui irascitur fratri suo reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo* racha, *reus erit concilio. Qui autem dixerit* fatue, *reus erit gehennae ignis.* Quo in textu tres irae gradus a divino Magistro distingui manifestum est. Quomodo ergo accipiendi, et intelligendi sunt? Tria hic peccata lethalia designari, in gravitate tamen minime aequalia, omnino dicendum est. Quum ergo dicitur: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio,* denotatur peccatum lethale, quo quis ira inflammatus deliberato animo gravem ultionem injuste appetit, puta mortem proximi, aut ipsius grave nocumentum. Haec enim voluntas lethale peccatum est, quemadmodum et sola voluntas moechandi, furandi etc. Deinde quum dicitur: *Qui autem dixerit fratri suo* racha, *reus erit Concilio,* significatur injustae vindictae animus, aut concepta voluntas aliquo signo exteriore prodita. Tertius gradus irae exprimitur his verbis: *Qui autem dixerit* fatue, idest si stultitiam exprobret, *reus erit gehennae ignis.* Qui ergo ex ira grave damnum proximo infert, aut ejus honori graviter detrahit, peccatum lethale perpetrat, quod dignum illum efficit aeterna poena.

IV. *Vitia ex ira prodeuntia.*

Sex potissimum vitia ex ira prodeuntia enumerat S. Th. hic art. 7. eaque sunt *rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, et blasphemia. Tumor mentis* non hic accipitur pro superbia, ut ex verbis S. Th. liquet; sed, ut habet ad 3. *pro quodam conatu, sive audacia hominis intentantis vindictam.* Hujusce mentis tumoris malitia, et gravitas repetitur ex qualitate ultionis, cujus desiderio mens accenditur; adeoque lethale peccatum est, quum homo iratus gravem, et injustam vindictam meditatur proximo. *Indignatio* definiri potest *animi com-*

motio adversus eum, cui quis irascitur ob malum ab ipso acceptum. Lethale peccatum est, si gravem proximo contemptum contineat, vel grave pusillis scandalum afferat, vel si quis alium a familiaritate, et collocutione sua tamquam indignum arceat in iis casibus, in quibus sub peccato mortali tenetur cum eo familiariter conversari, et colloqui; vel demum si ita sit affectus, ut ei in gravi aut corporis, aut animi necessitate constituto opem ferre recuset. Siquidem omnes hi motus, aut affectus animi charitati, ac mansuetudini Christianae adversantur. Quin immo silentium ipsum, dum ab ira imperatur, grave in quibusdam casibus peccatum esse docet S. Gregorius Magnus lib. 5. Moral. cap. 30. *Clamor*, prout hic sumitur, est *inordinata, et confusa in proximum vocis elatio.* Hic ex se nonnisi peccatum veniale est; sed fieri potest aliquando mortale, si nempe ex ira, sive ex impetu vindictae procedat; sive si mortis, aut gravis alicujus damni proximo inferendi deliberatam exprimat voluntatem. *Contumelia*, sive convicium est *injuriosa locutio contra proximum praesentem, et audientem.* De hac fuse alibi dicturi sumus, quum *de injuriis verborum* sermo erit. Interim illud certum est, contumeliam, vel convicium peccatum mortale esse, dum profertur animo dedecorandi proximum, et honorem illius violandi, aut tam grave de se fuerit, ut spectatis personarum conditione, ac circumstantiis, ejus honorem reapse plurimum laedat, tametsi eo fine verbum injuriosum non proferatur. *Rixa* juxta S. Th. 2. 2. q. 41. a. 1. et 2. *est contradictio usque ad facta perveniens, dum unus alterum laedere molitur.* Rixam in eo, qui alterum invadit, peccatum lethale esse, constat ao Apostolo ad Galat. 5. recensente *rixas inter opera carnis*, quae qui agunt, *regnum Dei non consequentur.* De hac, sicut et de blasphemia, postrema filia irae, alibi sermo erit.

CONSECTARIA.

I. *Ira inveterata odium est.*

Ira inveterata odium est, adeoque gravissimum peccatum. Gravioris vero semper culpae rei sunt, qui tardius iram deponunt, quam qui licet citius irascantur, ab ira tamen cito conquiescunt; et si quem ex ira offenderint, ad veniam obtinendam festinant. Hoc tradit S. Augustinus in Reg. sive Epist. 211. dicens: *Melior est autem; qui, quamvis ira saepe tentetur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam; quam qui tardius irascitur, et ad veniam petendam tardius inclinatur.* Id confirmat S. Gregorius M. lib. 5. Moral. cap. 30.

II. *Convicium quandoque nullum, aut leve peccatum.*

Convicium aliquando vel nullum, vel leve peccatum est; si nempe vel ex levitate proferatur, aut joci gratia, vel caussa correptionis; et verba prolata secundum se, aut spectata qualitate personarum, aut circumstantiis, levia sint, aut communiter aestimentur. Si vero animo laedendi, aut dedecorandi personam dicatur, et grave convicium sit, mortale peccatum est. Partes omnes hujus consectarii docet S. Th. 2. 2. q. 77. a. 11.

III. *Contumeliis contumelias repellere, nunquam licet.*

Contumeliis contumelias repellere nunquam licet. Quare non excusantur a peccato mortali, qui verbis contumeliosis lacessit alterum,

quamvis ab ipso provocatus sit. Etenim Lucae 6. dicitur: *benedicite maledicentibus vobis.* Quod et alibi in sacris Scripturis saepe nobis commendatur. Hinc laxa est, et omnino rejicienda doctrina P. Busembaum lib. 5. c. 3. dub. 6. dum ait: *Sic excusantur saltem a mortali, ... mulieres, pueri, et infimae sortis homines conviciis se onerantes* etc. Anne enim dictum illud Christi Domini, *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennae ignis,* locum non habet, et habere non debet etiam *in mulieribus, pueris, et infimae sortis hominibus* se mutuo conviciantibus, immo *se conviciis onerantibus?* Num hi a Christi lege immunes sunt; aut lex Christi pro omnibus lata non est? Vah doctrinam diris hominibus devovendam!

CAPUT VII.

De invidia.

I. *Invidiae definitio.*

Invidia, quam inter peccata capitalia sexto loco ponimus, ex definitione a S. Thomae doctrina desumpta, est *tristitia de bono alterius apprehenso ut malo proprio.* Ex hoc autem, quod invidia sit tristitia de bono alterius, colligit ipse 2. 2. q. 36. art. 2. esse peccatum. Ut autem hoc adstruat, animadvertit, tristitiam de bono alieno posse contingere. » Uno modo, quum aliquis dolet de bono alterius, in » quantum ex eo timetur nocumentum vel sibi ipsi, vel etiam aliis » bonis. Et talis tristitia non est invidia, et potest esse sine pecca» to .... Alio modo potest aliquis tristari de bono alterius non ex » eo, quod ipse habet bonum; sed ex eo, quod nobis deest bonum » illud, quod ipse habet. Et hoc proprie est *zelus.* Et si iste zelus » sit circa bona honesta, laudabilis est secundum illud Corinth. 14. » *Aemulamini spiritualia.* Si autem sit de bonis temporalibus, potest » esse cum peccato, et sine peccato »; juxta scilicet qualitatem affectionis erga bujusmodi objecta, et circumstantias? » Tertio modo » aliquis tristatur de bono alterius in quantum ille, cui accidit » bonum, est eo indignus. Quae quidem tristitia non potest oriri ex » bonis honestis, ex quibus aliquis justus efficitur, sed de divitiis, » et de talibus, quae possunt provenire dignis, et indignis .... » Secundum doctrinam fidei temporalia bona, quae indignis prove» niunt, ex juxta Dei ordinationé disponuntur vel ad eorum correptio» nem, vel ad eorum damnationem. Et ideo hujusmodi tristitia » probibetur in Scriptura sacra .... Quarto modo aliquis tristatur » de bonis alicujus, in quantum alter excedit ipsum in bonis. Et » hoc proprie est invidia. Et istud semper est peccatum; quia » est dolor de eo, de quo est gaudendum, scilicet de bonó proximi; » ac proinde affectus inordinatus, qui nunquam pravitate caret.

II. *Invidia peccatum est, ex genere suo, lethale.*

Hoc peccatum ex genere suo esse mortale constat ex eo, quod ab Apost. ad Gal. 5. inter opera illa numeretur, de quibus dicitur: *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*; et ex ratione allata a S. Th. art. 3. quia invidia secundum objecti sui rationem adversatur charitati, ex qua vita animae pendet, aut potius ipsa vita animae est. Verum et in invidia locum habet, quod de aliis peccatis

ex genere suo mortalibus observatum est ex eodem S. D., quod possit esse, et veniale saepe sit propter *imperfectionem actus: inveniuntur* enim aliqui imperfecti motus in sensualitate existentes, qui sunt *peccata venialia*. Unde hujusmodi etiam primi motus invidiae, quibus quandoque non carent ipsi sancti viri, lethali culpae nunquam adscribuntur. Potest etiam invidia esse venialis ex parvitate boni, quod alteri invidet; ut si bonum illud, quod est invidiae objectum, sit nullius, vel levioris momenti.

III. *Vitia ex invidia prodeuntia*, *et primum de* susurratione.

Ex S. Gregorio, et ex D. Thom. ex invidia oritur *odium*, *susurratio*, *detractio*, *exultatio in adversis proximi*, et *afflictio in prosperis* De quibusdam ex iis aliqua dicamus, odium et detractionem ad alios Tractatus remittentes. *Susurratio est secreta oblocutio, qua quis malum culpae alienae, aut poenae, vel aliquem etiam naturae defectum contra charitatis ordinem cuipiam renunciat, ut justam; quae inter eos versatur, amicitiam laedat, aut minuat, aut dissolvere valeat.* Susurro et detractor, ut observat S. Th. 2. 2. q. 74. a. 1., in materia conveniunt, non autem in fine: Nam detrector intendit denigrare famam proximi; susurro autem intendit amicitiam separare. Susurrationem esse peccatum, et quidem ex genere suo mortale, certum est, quum charitati proximi opponatur: idque Concilii Tridentini Catechismus velut exploratum habet in explicatione praecepti octavi Decalogi §. 10. Quin immo S. Thom. a. 2. docet susurrationem suapte natura gravius esse peccatum ipsa detractione; *Susurratio est majus peccatum, quam detractio, et etiam quam contumelia; quia amicus est melior, quam honor, et amari, quam honorari.*

Haec quamquam vera sint, nihilominus pluribus in casibus susurrationis peccatum non incurritur; puta dum quis malum proximi renunciat alteri vel ad procurandam ipsius salutem, vel ob Ecclesiae, aut Reipublicae utilitatem, vel ut amicorum suorum bono consulat, vel ut pravas, et in alterius damnum conspirantes amicitias dissolvat. Renunciatio enim illa eo in casu potius provenit ex charitate, cui inservire debemus eo meliori modo, quo possumus.

IV. *Duo aliae invidiae filiae, scilicet Exultatio in proximi adversis*, *et afflictio in prosperis.*

Exultatio in proximi adversis, et afflictio in prosperis sunt perversae duae invidiae filiae; et utraque peccatum mortale, posita materiae gravitate. Hae enim peccata sunt opposita charitati proximi, cujus est *gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus* juxta Apost. ad Rom. 12. *Pro invicem* namque *sollicita debent esse membra*, ut schisma non sit, aut divisio in corpore: *Et si quid patitur unum membrum, compatiantur alia membra*; sive si glorietur unum membrum, congaudeant alia membra. Equidem legitimum, Christianumque gaudium est laetari sive de nostra, sive de proximorum liberatione ab his, qui nobis, aliisve vel nocent, vel nocere moliuntur, sicut et de justitia Dei malos punientis, nunquam tamen gaudere licet de nostrorum inimicorum calamitate, vel interitu.

CONSECTARIA.

I. *Quinam invidiae labem incurrant.*

Reus invidiae dicendus est Concionator, qui affligitur, dum cernit, alios in majori aestimatione esse, populumque ad eos audiendos ma-

gua cum frequentia concurrere; seque interim ab omnibus ferme deseri. Idem dicas de artificibus, qui tristantur, quod plurimi ad aliorum officinas ob merces emendas confluant, aut aliorum opera, atque labore frequentius utantur. Hi tamen ab invidiae culpa sunt immunes, si non quidem de bono aliorum tristentur, sed unice de proprio infortunio, aut carentia boni, quod ipsi non habent.

II. *Peccatum susurrationis, quandoque est leve: Ratione circumstantiarum, aliquando gravius.*

Reus culpae lethalis non est, quum quis amico aliquid de altero amico renunciat, quod ingratum quidem ipsi futurum agnoscit, et ex eo nonnihil commovendum fere adversus alium existimat; non ita tamen, ut amicitia vel dissolvatur, vel mutuus amor admodum tepescat. Mensura siquidem peccati in hoc genere repetenda est ex graviore, vel leviore damno, quod aliquis infert; adeoque si leve duntaxat sit damnum, veniale peccatum est susurratio. Circumstantiae tamen potissimum personarum. Saepe namque contingit, quod eadem verba, quae relate ad aliquem possunt infringere amicitiam, relate ad alium vel nullatenus, vel solum leviter laedunt. Ratione quoque circumstantiarum susurrationis peccatum aliud altero gravius est. Sic ex. gr. susurratio, qua quis alteri conjugum aliquid de altero renunciat, quod ipsorum animos inter se disjungit, gravius peccatum est, quam si necessitudines alias, quarum non ita sacrum vinculum est, disrumpere nitatur.

III. *Susurrator absolvendus non est, nisi satisfaciat.*

Qui occultis oblocutionibus amicos inter se disjunxit, aut legitimam eorum amicitiam graviter laesit, aut labefactavit, absolvendus non est, donec illos, quoad fieri potest, invicem reconciliet; aut, si id praestare nequit, pro damnis inde consecutis satisfaciat. Haec siquidem christianae moralis generalis regula est, peccata, quae proximo damnum inferunt, a Deo non remitti, nisi damna illata resarciantur juxta vulgatum illud S. Augustini, quod inter regulas juris Cap. *Peccatum*, refertur: *Peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum.*

CAPUT VIII.

De postremo peccato capitali, nempe acedia.

I. *Acediae definitio.*

Hujus vitii legitima definitio sumitur a S. Thom. 2. 2. q. 35., nempe *tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum.* Tristitia est de bono divino non in se spectato; sed quatenus in nobis est, vel esse potest. Unde distinguitur *ab odio Dei*, quod aversatur bonum divinum, prout est in ipsomet Deo; et *ab invidia*, quae tristatur de bono Dei, prout in proximo est. Acedia autem tristatur de bono divino, prout in nobis; sive de bono divino, ut imperato, et ad salutem necessario.

II. *Acedia est peccatum mortale, et quidem specie distinctum.*

Acedia ex genere suo peccatum est mortale: quod probat S. Thom. art. 3. praesertim hac ratione: *Illud peccatum ex suo genere est peccatum mortale, quod de se secundum propriam rationem contrariatur charitati. Hujusmodi autem est acedia. Nam proprius effectus charitatis*

est gaudium de Deo. Acedia autem est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum. Unde secundum suum genus acedia est peccatum mortale.

Quoniam vero videri cuiquam posset, malum quidem acediam esse, sed generale quoddam peccatum, non autem speciale, et ab aliis distinctum; idcirco S. D. art. 2. hanc controversiam dirimit, ac speciale peccatum esse constituit, non prout *acedia* tristiia est de spirituali bono communiter accepto: sic enim potius est circumstantia cujuslibet vitii; sed neque prout refugit spirituale bonum, quatenus laboriosum est, vel corpori molestum, aut delectationem ejusdem impediens: sic enim a vitiis carnalibus minime distingueretur; sed quatenus homo tristatur de bono divino, qua parte ad ipsum pertinet. Acedia namque importat tristitiam, aut recessum a bono divino, cui mens ex necessitate inhaerere tenetur.

III. *Acediae filiae, et primum de* Malitia.

Ex acedia, tanquam ex capite quodam multa peccata oriuntur; sexque praecipua enumerat S. Gregorius Magnus lib. 30. Moral. cap. 17. videlicet *malitiam*, *rancorem*, *pusillanimitatem*, *desperationem*, *torporem* circa *praecepta*, et *mentis evagationem* circa illicita: quae paucis explicabimus. *Malitiae* nomine venit hic horror, impugnatio, et contemptus bonorum spiritualium, eorumque, qui piis exemplis, adhortationibus, ac doctrinis suis alios convertere, et ad pietatem, vitamque Christianam provocare student. Quod sane peccatum gravissimum est, et character reproborum hominum.

IV. *De Rancore.*

Rancor hic non sumitur pro odio, sive odii effectu, sed pro quadam indignatione adversus praesertim Superiores, Pastores, Confessarios, qui acediosos ad spiritualia bona sectanda, viamque meliorem capessendam monitis, increpationibus, et salutari correptione impellere satagunt. Hic quoque lethale peccatum est, quia hujusmodi homines facto comprobant, se nolle converti; nec ad profectum vitae spiritualis tendere, sed in vitiis suis, et peccaminoso statu se velle perseverare.

V. *De Pusillanimitate.*

Pusillanimitas vitiosa est virium suarum diffidentia, qua quis officia, et opera difficilia, et ardua ad consilium spectantia, et facultatem suam Dei gratia adjutam non excedentia ex animi parvitate refugit. Peccatum esse probat S. Th. 2. 2. q. 133. art. 1. ex Evangelii textu Matth. 25. et Luc. 19. ubi *servus, qui acceptam pecuniam Domini sui fodit in terram, nec operatus est ex ea propter quemdam pusillanimitatis timorem, punitur a Domino.* Et hoc peccatum quandoque ex eodem S. D. ad 2. mortale est.

VI. *De Desperatione.*

Desperatio est vitium, quo quispiam de ultimi finis, sive aeternae salutis suae consecutione diffidens omnem salutis curam abjicit. De hac, quum de vitiis spei oppositis, fusius agendum erit.

VII. *De Torpore.*

Torpor est languor animi, quo quis praeceptorum, aut obligationem suarum observantiam vel poenitus praetermittit, vel eas negligenter, aut oscitanter adimplet. Vitium hoc S. David exprimit, dum Psal.

118. ait: *Dormitavit anima mea prae tedio.* Mortale peccatum est, si praecepta, quae graviter obligant, omittat; immo etiam si quis in tanta salutis suae negligentia vitam agat, ut ea media non adhibeat, quae secundum statum ad quem a Deo vocatus est, necessaria sunt. Modus quippe iste vivendi adversatur illi sollicitudini nobis a Deo praeceptae, quae prae ceteris omnibus Regnum Dei studiose quaerere tenemur. Sed et periculosus saltem est, et dispositio ad sempiternam animae ruinam torpor ille, quo praecepta quidem implentur, sed valde perfunctorie, ut in iis adimplendis sin graviter, saltem continuo leviter deficiamus. Hinc Apostolus ad Rom. 12. magnopere commendat, *ut simus sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.*

VIII. *De Evagatione mentis.*

Evagatio mentis, postrema acediae filia, definiri solet *inquieti animi motus, quo propter tristitiam, et taedium a spiritualibus, divinisque bonis ad exteriora se transfert, ut illicitas ex eis delectationes percipiat.* Ex hac mentis evagatione consequitur instabilitas corporis, qua acediosi uno in loco consistere nequeunt, et varias regiones peragrare amant. Consequitur etiam multiloquium, quod in gravia peccata praecipitare solet, detractiones, rixas, discordias etc.

CONSECTARIA.

I. *Fastidiens spiritualia, peccat.*

Qui plena deliberatione fastidit, et aversatur spiritualia, ac divina bona, quibus inhaerere tenetur vel ex praecepto naturali, vel ex officio, aut proprii status conditione, peccatum lethale committit: secus veniale. Ita ex doctrina jam producta S. Thom. Acedia tamen proprie non est, si quis fastidiat spirituale bonum, quatenus laboriosum est, aut corpori molestum; adeoque si propter molestiam aut laborem vitandum quis omittat praeceptum, ad quod implendum obstringitur, peccat quidem, sed non speciali *acediae* peccato, specialiterque in Confessione explicanda.

II. *Alienus ab amore coelestis patriae, acediae reus est.*

Acediae proprie dictae reus est, adeoque et peccati mortalis, qui ita alienus est ab amore caelestis Patris, et Patriae, ut quum audit, vel cogitat, sibi a Deo esse propositum, ut sit *civis Sanctorum, et domesticus Dei,* de hoc tristatur, quemadmodum Cajetanus tradit in Summa, verbo *Acedia.* Idemque judicium ferendum est de eo, quem taedet de quovis spirituali bono ad divinam amicitiam, et beatitudinem ipsi necessario. Si quis autem in particulari tristetur de jejunio, de festorum observantia etc., peccat quidem, quia tristatur de bono virtutis; sed illud non est peccatum *acediae,* speciale; quia hujusmodi tristitia pertinet ad vitium illi virtuti oppositum, de cujus bono tristitia est.

III. *Otium iners, peccatum est.*

Otium iners, ac desidiosum, quod ex acedia progigni solet, peccatum est; et saepe peccati lethalis occasio. Peccatum esse liquet ex eo, quod homo tempus consumat in rebus otiosis, et inutilibus, quod in seriis, et gravibus impendere deberet. Occasionem vero plurium peccatorum etiam mortalium sacrae Litterae, Ecclesiae Patres,

et spiritualis vitae Magistri unanimiter esse docent; unde et ab eo fugiendo summopere nos hortantur. Ecclesiast. cap. 53. dicitur: *Multam malitiam docuit otiositas.* Et Ezech. 16. de Sodoma: *Haec fuit iniquitas Sodomae Superbia, saturitas panis, abundantia, et otium ipsius.*

IV. *Quinam peccati evagationis mentis, rei sint.*

Hinc peccati *evagationis mentis*, quae postrema acediae filia est, rei existimandi sunt inquieti illi, et curiosi homines, quibus nihil negotii est, nihil pensi, nisi ut audiant, vel referant aliquid novi, nisi ut in res, et actiones alienas inquirant, et nullis occupati negotiis aliis negotia facessunt, et familias inquieti animi levitate perturbant. In hoc peccato maxime vessantur Clerici, et Monachi otiosi, inquieti, gyrovagi, qui huc illuc discurrere amant; qui Superioribus inobedientes sunt, aequalibus infesti, inferioribus intolerabiles, sibimetipsis graves; quibus nec oratio sapit, nec studium, sed iners otium placet. Hujusce etiam peccati reae sunt tum Moniales in Coenobiis laxioribus degentes, tum maxime mulieres saeculares; quae, ut scribit Apostolus 1. ad Timoth. 5. *Otiose discunt circuire domos: non solum autem otiosae, sed et verbosae, et curiosae, loquentes, quae non oportet.*

APPENDIX

De quibusdam peccatorum generibus.

CAPUT I.

De peccatis in Spiritum Sanctum.

I. *Peccati in spiritum Sanctum definitio.*

Non eadem est peccati in Spiritum Sanctum apud Ecclesiae Patres notio, et expositio. Eorum sententias refert S. Thom. 2. 2. q. 14. a. 1. Ex iis autem, quae ibidem habet S. D. haec hujus peccati colligi definitio valet. *Peccatum in Spiritum Sanctum est illud, quo abjicitur, aut contemnitur id, quod peccatum impedire, aut removere potest.* Non est itaque peccatum in Spiritum Sanctum peccare ex certa malitia, sive ex inclinatione pravi habitus, qui *malitia* appellatur, de qua egimus suo loco: sic enim peccatum omne dici potest in Spiritum Sanctum; sed quando ea est alicujus malitia, ut sciens, et volens per contemptum abjiciat ea, quae possent vel impedire, vel removere peccatum. Siquidem peccatum hujusmodi adversatur *bonitati, quae speciale attributum est Spiritus Sancti.*

II. *Sex peccata in Spiritum Sanctum, et primum de* Praesumptione *et* Desperatione.

Sex esse peccata in Spiritum Sanctum, concors est Theologorum cum S. Th. sententia, videlicet *desperatio, praesumptio, impoenitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitae, et invidentia fraternae gratiae.* Quoad *praesumptionem* spectat, peccant in Spiritum Sanctum, qui fiducia divinae misericordiae freti audacter peccata committunt, abjecta omni consideratione divinae justitiae, ac timoris Dei; sola saepe fide in Christum sibi blandientes, ac aeternam felicitatem sibi promittentes, quamvis in coeno peccatorum immersi, ab eo nullatenus

emergere curent. Per *desperationem* vero non minus ex opposito peccant in Spiritum Sanctum, qui spem omnem impetrandae peccatorum veniae, adeoque et consequendae salutis abjiciunt, dicuntque cum impio Caino: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.*

III. *De Impugnatione veritatis cognitae; nec non de Invidentia fraternae gratiae.*

In Spiritum Sanctum tertio peccant *impugnatione agnitae veritatis*, qui praesertim in sinu Catholicae Ecclesiae geniti, ac enutriti, fidei, ac religionis Christianae veritatem non ex ignorantia, sed ex malitia studiosae oppugnant. Rei quarto loco sunt peccati in Spiritum Sanctum, qui *fraternae gratiae invidunt*: dolentque graviter de affluentia, vel augmento virtutum, aut donorum Dei, quibus proximus excellit. Hujusmodi erant ii, qui in *Actibus Apostolorum* referuntur, qui ex Judaeis ad Christianam religionem conversi Apostolorum praedicatione nascentem Evangelii gratiam gentibus invidebant.

IV. *De Impoenitentia.*

Quoad quintum peccatum in Spiritum Sanctum attinet, scilicet *impoenitentiam*, illud incurrunt, qui animo prorsus obfirmato in peccatis perseverant, nec ullis vel admonitionibus, vel minus, vel flagellis a pravo instituto se revocari sinunt. Sic Pharao, cujus *cor*, ut saepe dicit Scriptura *induratum erat*, ne Dei populum a servitute dimitteret, licet toties a Moise admonitus, ac tot flagellis attritus.

V. *De Obstinatione.*

Demum in sextum, quod a praecedente parum differt, peccatum in Spiritum Sanctum, *obstinationem videlicet*, cadunt, qui abs se omnem abjiciunt considerationem salutarem, quae prodesse posset, ut a peccatis, in quibus miserrime jacent, resurgerent, aut saltem impedire, ne voluntas ipsorum magis in peccato firmetur: unde peccatorum suorum nullum finem, modumque facientes nolle, se unquam poenitentiam agere proponunt. Horum sicut vita, ita et mors pessima est, qui extinguentes in semetipsis Spiritum Dei, et obdurati fallacia peccati similes sunt iis, qui intra se dicebant: *Percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.* Horum peccatum proprie *ad mortem est*, et de illo praecipue verum est, quod *non habet remissionem neque in hoc saeculo, neque in futuro*, ut Christus ait: Quia, subdit S. Augustin. Serm. 71. de verb. Dom. *sola poenitentia, quam isti a se longius removent, impetrat remissionem in hoc saeculo, quae valeat in futuro.*

CAPUT II.

De generalibus, et peculiaribus quorumdam statuum obligationibus, et peccatis in earumdem omissione.

I. *Peccatum omissionis quid sit, et quando incurritur.*

Qui status sui obligationes non implet, peccat peccato omissionis. Porro peccatum *omissionis*, ut ipsum nomen denotat, est *praetermissio boni debiti, sive boni, quod lege fieri praecipitur*: quemadmodum peccatum *commissionis* est *actio, quae lege fieri prohibetur*. Quare peccatum *omissionis* est contra praecepta affirmativa, quae quidpiam agere jubent; v. g. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices: Honora*

Patrem tuum, *et Matrem tuam etc.* sicut peccatum *commissionis* est contra praecepta *negativa*, quae fieri quidpiam vetant. Haec praecepta negativa obligant *semper*, et *pro semper* ut loquuntur Theologi, praecepta autem affirmativa obligant quidem *semper*, sed *non pro semper*. *Et ideo*, inquit S. Th. 2. 2. q. 71. art. 5. ad 3. *solum pro tempore illo aliquis cessando ab actu peccat*, *pro quo praeceptum affirmativum obligat*; sive quum implendi praecepti tempus adest, et facultas.

At quando imputetur omissionis peccatum? Distinguere oportet peccatum ipsum prout *externum* est, et prout *internum*. Si enim omissionis peccatum spectetur, *prout externum* est, illud demum incurritur, dum tempus est ponendi actum, qui praecipitur: si vero *ut internum*, illud committitur, dum aliquis sive expresse, sive interpretative vult ipsum omittere. Quia eo ipso, quod homo deliberate vult omittere actum praeceptum, jam vult ipsum omissionis peccatum.

II. *Obligationes omnibus communes.*

Jam ad obligationes quod attinet, obligatio, quae cuicumque statui hominum communis est, et quam si non impleant, gravis peccati rei fiunt, in eo posita est, quod *quilibet otium fugiat*, et in aliqua mentis, vel corporis occupatione, aut labore sese exerceat. Haec obligatio ex ipso naturae jure derivatur, et expresse a Deo imposita est cuicunque homini post lapsum primi nostri Parentis Adam verbis illis: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quae verba expendens S. August. lib. 6. Oper. imperfect. contra Julian. ita scribit: *Nomine sudoris generalem sacra Scriptura significat laborem*, *a quo nullus hominum est immunis quum alii laborant operibus duris*, *alii sollicitantibus curis etc.*

III. *Consectaria quaedam.*

Ex dictis consequitur 1., in magno salutis periculo versari eos omnes quorum vitae tenor ille est, aut esse solet, ut a lecto ad epulas, ab epulis ad ludos, sive ad spectacula, rursus ab illis oblectamentis ad coenam, et a coena ad lectum transeunt, atque ita vitam omnem inertes, ac desides transigunt. Pugnat enim hoc vitae cum monitis, atque praeceptis in Evangelio Christianis omnibus traditis. 2. Illos quoque sive nobiles sint, sive ignobiles, qui aut nummorum ingenti copia ditati, aut fundis, sive possessionibus praediti, redditibus suis fruuntur sine cura, sine labore, sine honesta occupatione, sed molli otio difluentes. 3. Majori adhuc prae caeteris salutis periculo versari viros Ecclesiasticos, sive saeculares sint, sive religiosi, qui sola divini officii recitatione, aut etiam Missae celebratione contenti reliquum diei tempus insumunt in otio, in ludis, in colloquiis inanibus, in ambulationibus, et visitationibus minime necessariis, aut in vanis aliis, atque inutilibus occupationibus. 4. Eos Ecclesiasticos culpabiles esse coram Deo, qui quum possint juxta conditionem sui status, viresque corporis et animi prodesse proximis suis vel praedicatione, vel consiliis, vel studiis proficuis, vel aliis bujusmodi mediis; otio vacare malunt, tempusque in rebus inutilibus terere.

IV. *Obligationes magistrorum.*

Ut ad particulares quorundam statuum obligationes veniamus dicemus 1. de obligationibus Magistrorum, atque studentium. Ut Ma-

gister recte munere suo fungatur, quaecunque sit ars liberalis, aut scientia, quam aliis communicandam assumit, tria ipsi necessaria sunt juxta D. Th. doctrinam 1. 2. q. 101. a. 4. Primo, quod *homo sit sortitus plenitudinem cognitionis* rerum, quas docendas suscipit, *ut ex hoc instruere alios possit.* 2. quod *possit confirmare, aut probare ea, quae dicit;* alias *non esset efficax ejus doctrina.* 3. quod *ea, quae concipit possit convenienter auditoribus proferre.*

Hinc sequitur, obligationi suae deesse, ac peccare, qui Magisterii officium suscipiunt, aut quaerunt in aliqua arte, vel scientia, quam ipsi perfecte non callent; aut neglectis propriae artis studiis, aliis intendunt animum, quibus in arte, quam profitentur peritiores nequaquam fiunt. Praecipua, qua arctissime tenentur Magistri Theologiam aut sacras Litteras docentes, obligatio est, ut sanam doctrinam, tum quae Fidei dogmata, tum quae mores spectant, semper doceant; nullaque tradant, quae sint Scripturarum, et Traditionum Ecclesiae authoritati contraria, aut a communi SS. Patrum consensione abhorreant, prout in Concilio Tridentino definitum est. Quapropter qui hanc obligationem non implent, aut in adimplenda deficiunt, gravissime peccant; nec a peccato absolvi queunt, nisi prius retractent, quae tradidere, aut quanta fieri potest diligentia errorem, quem docuerunt, a mente auditorum aboleant. In aliis vero, quae hinc, atque inde a Theologis disputantur, eam tradere sententiam debent, quae libratis utriusque partis fundamentis, certior sibi visa fuerit, ac probabilior. Neque enim se aliter gerere potest, quin conscientiae, suae contradicat, et suos Auditores in re gravi decipiat.

V. *Obligationes studentium.*

Quoad studentes, sive discipulos attinet, illum imprimis S. Th. textum prae oculis habeant oportet, qui legitur quodlib. 3. a. 10. hisce verbis: *Dicendum, quod diversae opiniones Doctorum sacrae Scripturae, si quidem non pertineant ad fidem, aut bonos mores absque periculo Auditores utramque opinionem sequi possunt. In his enim locum habet illud Apostoli:* Unusquisque in suo sensu abundet. In his vero (N. B.) *quae pertinent ad FIDEM, et BONOS MORES, nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat.*

Ulterius qui ad artes liberales, aut scientias addiscendas se applicant, iis studiis operam navare debent, quae aut inutilia, aut noxia non sunt, sed aut scitu necessaria, aut saltem utilia ad erudiendam mentem, et promovendam earum veritatum cognitionem, quas addiscere sibi proponunt. Quare peccant in primis, qui falsis doctrinis student, quae fidem, aut bonos mores corrumpere possunt. Peccant, qui immodico sciendi desiderio illecti tempus pietati et exercitiis spiritualibus debitum profano studio impendunt: qui in vanis quaestionibus, et speculationibus tempus terunt. Peccant qui scientiis saecularibus addiscendis immoderato studio inardescunt, easque *salutis scientiae* praeponunt: quaeque status, ac officii sui magis propria sunt, vel scire omittunt, vel superficie tenus attingunt. Peccant adolescentes Scholas frequentantes, qui magistris suis honorem ac reverentiam non exhibent, ac animum beneficii memorem non servant. Qui vero studium notabiliter negligunt, curasque tum parentum suo-

rum, qui eos non exiguis expensis in Scholis alunt; tum suorum Praeceptorum, qui eis excolendis, et imbuendis non sine magno taedio, multaque patientia dant operam, in re gravi defraudant, lethaliter peccare dicendi sunt.

VI. *Obligationes medicorum.*

Quemadmodum ad mentem excolendam necessarii, atque utiles sunt Magistri; ita ad curanda corpora necessarii, atque utiles sunt Medici, si dotibus praediti sint ad hunc finem consequendum requisitis. Hae porro dotes praecipuae, ac generales, sunt *scientia morborum, peritia in applicandis remediis*, ac *diligentia in invisendis aegrotis.* Scientia quidem, ac peritia instructus Medicus sit, oportet; quum sine his nec morbum a morbo, nec remedium salutare, aut idoneum ab inutili, et noxio discernere valeat. Diligentiam pariter habere debet in aegrotis invisendis juxta morborum qualitatem, et infirmi necessitatem. Ex hac enim diligentia valetudo, aut mors aegroti saepe dependet. Quare si in aliquo horum deficiat, obligationi suae haud satisfacit; et peccat contra legem naturalem, qua adstringitur, ut officio suo recte fungatur, nec se periculo exponat inferendi proximo gravissimum detrimentum.

Medicus, sicut etiam, proportione servata, Chirurgus, remedium aegrotanti applicare non potest, quod dubium est, profuturum ne sit an nociturum. Hoc enim in casu periculo se exponit necandi, vel laedendi infirmum, qui forte ex ipsa naturae vi sanaretur. Quod si unicum remedium suppetat, Medicus ex variis circa remedium illud opinionibus tenetur sequi probabiliorem, atque tutiorem, consentientibus ipsis probabilismi defensoribus, qui in hisce rebus temporalibus tutiora sectantur. Sic etiam quoties certum habet, pharmacum aliquod infirmo profuturum esse, illud adhibere tenetur, eo praetermisso, de quo dubitatur, aut solum probabiliter profuturum putat. Si certa pharmaca non occurrant, debet uti probabilioribus. Quod si nulla spes affulgeat de proximi salute, nec adsit remedium, nisi dubium; de quo scilicet dubium est, num sit profuturum, vel damnum potius allaturum; illud adhibere licite potest, ac tenetur; quoniam sic negotium infirmi utiliter geritur; ac si mors fortasse sequatur, morbi magnitudini imputabitur. Obligantur etiam Medici, quemadmodum quoque Chirurgi, ac Pharmacopolae succurrere pauperibus aegrotis, qui ab omnibus deserti sunt, aut probabiliter deserendi; eorumque curationem gratis suscipere. Ita namque ab ipsis exigit praeceptum divinum de proximi dilectione.

Tenentur demum Medici sub gravi monere infirmum, quum vocantur ad eum curandum, ut vocet Confessarium, ut provideat de salute animae suae, ita praecipiente Concilio Lateranensi in Cap. *Quum infirmitas de Poenit. et Remiss.* Et S. Pius V. in sua Constit. 3. in Bullario Rom. jubet, ut Medicus ante omnia id moneat; neque tertio die ulterius illum visitet, si vocare Confessarium recusaverit. Non tamen tenetur sub gravi monere aegrotum in quocunque morbo; sed quando ita aliquo morbo corripitur, ut, attentis omnibus, judicare possit, periculum esse, ut evadat mortalis. Ita S. P. Benedictus XIV. Inst. Eccles. 22. §. 18.

VII. *Obligationes Pharmacopolae.*

Obiter etiam dicam de obligatione *Pharmacopolae.* Peccat is primo, si absque simplicium, sive medicamentorum notitia suam artem exercent. 2. Qui ex arbitrio remedia conficit, aut absque necessaria diligentia; vel etiam remedia a Medico, cui necessario adhaerere debet, praescripta non ministrat, nisi forte nimium manifestus sit Medici error in praescribendo, quo in casu peritiores consulat oportet. 3. Qui remedia nullius virtutis praebet, aut quae virtutem ex vetustate jam amiserunt. 4. Demum qui remedia parat, quae bonis moribus contraria sunt; de quibus Cap. 5. de homicid. volunt etc. habetur: *Si aliquis caussa explendae libidinis, vel odii meditatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, aut dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur.*

CAPUT III.

De obligationibus Judicis, Accusatoris, et Rei.

I. *Dotes Judicis.*

De *judicio publico*, prout actus justitiae est, supra disserentes nonnulla diximus, quae huc revocantur. Nunc autem de peculiaribus judicum obligationibus plura addenda sunt, doctrinam S. Th. sequentes 2. 2. q. 67., ex qua quatuor praecipue colliguntur Judicis obligationes; nimirum 1. quod *authoritate judicandi* gaudeat. 2. quod *scientia discernendi*, quae recta sunt, polleat; 3. quod *constantem* habeat jus suum unicuique reddendi *voluntatem*; ac 4. tandem quod in judicio exercendo quamcumque *venalitatem fugiat.*

II. *Judex, pollere debet authoritate Judicandi.*

Primo judex pollere debet *authoritate judicandi.* Hinc 1. peccat quicunque in judicando alterius jurisdictionem usurpat. 2. peccat Judex civilis, qui in rebus spiritualibus judicium exercet; et similiter Judex Ecclesiasticus, qui in rebus temporalibus ad saeculares Judices pertinentibus judicium usurpat. 3. Quicunque ficto diplomate constitutus est Judex; vel qui se Judicem fingit, qui Judex non est; vel qui sub ementito Doctoratus gradu fallit Principem, et Judex constitutus est. Judicia tamen, quae ab illo exercentur, qui titulum coloratum habet, nisi aliud impedimentum adsit juris naturalis, aut divini, non improbantur a Principe, sed rata habentur, ut statuitur *l. Barbatius* ff. de officio Praetoris.

III. *In Judice, requiritur scientia sufficiens.*

Altera, quae in Judice dos requiritur, est *scientia sufficiens* eorum, quae officium suum spectant. Nam juxta vulgatam S. Th. regulam *singuli tenentur scire ea, quae ad eorum statum, et officium spectant.* Quare judex 1. debet habere scientiam legum, juxta quas in ejus tribunali exercendum judicium est. 2. Debet scire, quomodo applicandae sint leges ad peculiares casus; prudenterque ponderare rationes pro utraque parte militantes. 3. In examine, et judicio rationum debet determinare quaestiones quidem *juris* per *jus scriptum*, vel *non scriptum* juxta praesentem vigorem utriusque: quaestiones autem *facti* per instrumenta, et testes. 4. Probationes, dum aliquam ambiguitatem praeseferunt, in causis civilibus Judex debet in partem veriorem, aut

probabiliorem accipere; et in causis *criminalibus* in interpretatione *favere reo potius, quam actori* juxta regulam juris. Porro Judex in examine tum legum, tum istrumentorum, tum in testium discussione haec sedulo observare debet: 1. Judicare non debet, nisi audita utraque parte, 2. Ad judicandum tribus mediis uti debet; *accusatione* scilicet, *denunciatione*, et *inquisitione*, nisi crimen notorium sit: tunc enim sufficit evidentia facti. 3. Processus acta exequatur oportet per publicam personam, aut saltem duos viros idoneos, ut in Concilio Lateranensi IV. cap. 8. constitutum est. 4. Actorem admittere non debet ad judicandum, nisi libellum de caussa dederit, aut quippiam simile juxta loci consuetudinem. 5. Demum sententiam contra absentem pronunciare non potest, nisi citatus comparere recuset.

IV. *Judex, debet habere constantem voluntatem, reddendi uniquique, quod suum est.*

Quoad tertiam Judicis dotem, et obligationem attinet, quod babeat scilicet *constantem voluntatem reddendi unicuique, quod suum est,* sive quod *justum est*; haec obligatio intima officio Judicis prae ceteris est ex ipsa lege naturae derivata, et in lege divina diserte praecepta. Unde peccat Judex, qui corruptus vel odio, vel amore, vel timore, vel praecibus justitiam violat, sive non judicat juxta legum praescripta. Circa relaxationem poenae, ait S. Th. art. 4. quod ejus *relaxatio non est in arbitrio alicujus Judicis; quia quilibet Judex tenetur jus suum reddere unicuique. Sed tamen*, subdit, *quantum ad hoc differt inter inferiores Judices, et supremum Judicem, scilicet Principem, cui est plenaria potestas publica commissa. Judex enim inferior non habet potestatem absolvendi reum a poena contra leges a superiore sibi impositas ... Sed Princeps, qui habet plenariam potestatem in Republica, si ille qui passus est injuriam, velit eam remittere, poterit reum licite absolvere, si hoc publicae authoritati viderit non esse nocivum.*

V. *Judex, venalitatem omnem devitare debet.*

Demum quoad quartam, ac postremam Judicis dotem spectat, ut *venalitatem* omnem devitet; haec obligatio jure saltem divino positivo nititur. Deus enim Deut. 16. diserte praecipit: *Non accipies* (in judicando) *personam, nec munera: quia munera excoecant oculos sapientum, et mutant verba justorum,* Unde haec obligatio in ipso quoque naturali jure fundamentum habet. Eadem lex a jure positivo humano ob eamdem rationem communiter praescripta est. Peccat igitur Judex, quoties vel munera, aut aliud quidpiam pretio aestimabile recipit, vel ut sententiam ferat, vel ut alicui partium faveat, vel ut crimina impunita relinquat. Rei quoque gravis peccati sunt Judices, qui pro commisso aliquo delicto compositionem ex arbitrio faciunt, sive a puniendo delicto desistunt, modo vel ipsis, vel parti civili pecunia aliqua impendatur: tum quia pecuniam accipiunt pro non reddenda justitia, quam juxta leges reddere tenentur: tum quia in caussa sunt, quod crimina debitis poenis non puniantur.

VI. *De obligationibus Accusatoris.*

Haec ex S. Thomae doctrina circa Accusatorem observanda sunt, 1. in eo differre *denunciationem* ab *accusatione*, quod illa ordinetur ad emendationem fratris, sive proximi sui, quae in ea duntaxat at-

tenditur: in ista vero attendatur criminis punitio relate ad bonum Reipublicae, cujus tranquillitati consulitur, quum delinquentes poena, quam merentur, puniuntur. 2. Teneri hominem ad alium accusandum Judici, quoties crimen ab illo commissum hujusmodi sit, quod vergat in detrimentum Reipublicae, aut Communitatis. Siquidem unusquisque tenetur malum corporale, aut spirituale, quantum potest, avertere a corpore, cujus est membrum. Quod si crimen in praejudicium communitatis non vergat, abstinere debet tum ab accusatione, tum a denunciatione, solaque uti fraterna correctione, ut alibi dicemus. 3. Duobus ex capitibus excusari quempiam ab obligatione *accusandi*; si nempe vel delictum ab alio commissum in *multitudinem*, aut communitatem non redundet: vel etiam dum sufficientem probationem adhibere nequit; sive si delictum, quod patratum est, satis coram Judice probare non possit: nemo quippe tenetur ad illud, *quod non potest debito modo perficere.* Hoc tamen in casu ad avertendum commune malum, quod fortassis impendeat, si *juridica denunciatio* sufficiat, eam negligere minime possumus.

VII. *De Reo, ejusque obligationibus.*

Jam vero de Reo, ejusque obligationibus dicendum. Ex D. Th. Doctrina, quam tradit tota q. 69. compertum est 1. peccare mortaliter reum, sive accusatum non confitentem delictum a se commissum, aut mendaciter illud negantem, dum interrogatur a Judice competente: quoniam Judex, quum sit Superior, jus habet exquirendi ab ipso veritatem. 2. Reum tunc duntaxat ad respondendum non teneri, quoties delictum ab eo Judex exquirit, quod exquirere non potest *secundum ordinem juris*, sed tunc posse vel per appellationem, vel alio modo subterfugere ejus judicium. *Mendacium tamen dicere non licet.* Haec de reo a Legitimo Judice interrogato pura, et illibata S. Th. Doctrina est, quam hausit ex SS. Patribus; eamque tradit pluribus aliis in locis suorum Operum, ac tradiderunt cum ipso veteres omnes Theologi, traduntque meliores quique inter modernos. Ex quibus inferas, negandam esse a Confessario Sacramentalem absolutionem reo, qui a Judice legitime interrogatus crimen a se commissum confiteri detrectat. Nam non confitendo mortaliter peccat, et in statu lethalis peccati est, quamdiu serio non proponit confiteri. Neque audiendus est, si contra propositam D. Th. sententiam afferat juniorum quorundam auctoritatem: nullius quippe momenti haec reputanda est in conspectu totius antiquitatis, qua nititur opposita S. Th. sententia.

Docet vero idem S. D., alterum ex his tribus requiri, ut Judex reum interroget *secundum ordinem juris*, ut propterea ad veritatem ingenue confitendam teneatur; et, si quae alia sunt, ad haec revocantur, nimirum vel *infamia praecedens*, vel *aliqua expressa criminis indicia*; vel *semiplena probatio* jam habita criminis ejusdem. *Infamia* censetur, quando de crimine est multorum opinio, qui communi judicio honesti, aut boni viri reputantur, aut saltem malevoli, aut maledici non audiunt, ut Cap. *Qualiter, et quando* 2. tit. de Accusat. quodque hoc Judici constet. Neque sufficit inter paucos sparsum esse rumorem. *Judicia* sunt circumstantiae, et signa, ex quibus prudenter judicari potest de aliorum actionibus. Haec si perfecta fuerint, autho-

ritate scilicet duorum, vel trium testium comprobata, vel si plura sint, aut unum adeo perspicuum, ut merito sufficiens existimetur; ex. gr. si quis juxta recenter interfectum deprehendatur cum gladio evaginato, et recenti sanguine cruento; satis sunt, ut reus a Judice interrogari juridice valeat. Demum *semiplena probatio* est testimonium unius testis omni exceptione majoris: ut si vir probus ac honestus nullum defectum habens, ob quem ipse, vel ejus testimonium jure repelli queat, cum juramento affirmet, se vidisse, aut audivisse, aliquid, quod merito puniendum sit. Unum igitur ex his tribus, ad quae reducuntur et *notorietas facti*, et *probatio plena* delicti, sufficit, ut Judex interroget *secundum ordinem juris*, reusque tacere non debeat, sed crimen suum veraciter confiteri teneatur.

Diximus ex D. Th., reum Judici non interroganti secundum juris ordinem non teneri ad confitendam veritatem delicti commissi, sed modis omnibus licitis et convenientibus, sive absque fraude, dolo, ac mendacio ejus judicium subterfugere. Inter hosce modos memorat ille *appellationem* ad alium Judicem. Porro hanc esse posse licitam et illicitam docet art. 3. Ea licita est, quando Judex inferior vel non procedit *secundum ordinem juris;* vel quando movetur in judicando ab aliquo odio, aliave prava affectione, vel praesertim accusatus *in justitia caussae suae* confidit. Illicita autem, quando sola appellationis caussa est, ut effugiat aliquo modo sententiam, quam se juste promereri cognoscit: unde ad appellationem confugit, ut, si quo modo possit, evadere queat. Injuriam quippe irrogat tum Judici, cujus officium impedit; tum parti laesae, quam a sui juris usu inique turbat.

At vero reo ad poenam debitam propter aliquod crimen damnato quid agendum superest? Num licet illi se defendere, aut alio pacto mortem declinare? Respondet S. Th. art. 4. cum distinctione. Nam potest quis ad mortem damnari *dupliciter.* Uno modo *juste: et sic non licet condemnato se defendere. Licitum enim est Judici eum resistentem impugnare: unde relinquitur, quod ex parte ejus sit bellum injustum:* adeoque *indubitanter peccat. Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit, et ipse sibi damnationem acquirit* etc. Alio modo *injuste. Et tale judicium simile est violentiae latronum, secundum illud Ezech.* 22. Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sanguinem. *Et ideo sicut licet resistere latronibus; ita licet resistere in tali casu malis Principibus: nisi forte propter scandalum vitandum; quum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur.*

Quoad reum juste damnatum sive ad mortem, sive ad mutilationem, sive ad aliud supplicium haec duo notanda sunt. 1. Ipsum non teneri sibi ipsi poenam, ad quam damnatus est, infligere; sed illam ab aliis illatam sustinere debet. Hoc eruitur ex resp. D. Th. ad 2. Siquidem lex minime jubet, quum ministros, aut carnifices habeat ad finem hunc destinatos; et ipsa quoque ratio aversatur, quod quis sibi manus violentas inferat. 2. Eum posse, non resistendo contra justitiam, se a morte, vel mutilatione, vel triremibus, si congrue potest, liberare: quoniam jus ad vitam suam, membrorum conservationem etc. a nulla potestate humana ipsi aufertur. Unde damnatus, ut fame pereat, cibum occulte sibi ministratum sumere

valet; et, si pateat aditus, se fuga e carcere proripere, minime tamen fugere tenetur. An vero reus ad mortem damnatus effringere carcerem licite queat, plurimi quidem Theologi hoc concedunt. At opposita sententia mihi D. Th. doctrinae magis consentanea videtur, adeoque in praxi sequenda: praesertim quum leges latae fuerint *contra carcerum effractores*, quae abolitae nunquam fuerunt; et carcerum effractio, quantum quidem sapio, sine *positiva resistentia ad justitiam*, quae nunquam licet intelligi nequeat.

CAPUT IV.

De Testium, et Advocatorum obligationibus.

I. *Obligationes Testium.*

Ad complementum obligationum ad rem judicialem pertinentium pauca quaedam etiam debemus oportet de Testis et Advocati obligationibus ex S. Th. Doctrina, quam habet qq 70. ac 71. De testibus haec habet art. 1. » In testimonio ferendo distinguendum est; quia *aliquando* » *requiritur testimonium alicujus*, *aliquando non requiritur*. Si requi» ritur testimonium alicujus subditi authoritate superioris, cui in his, » quae ad justitiam pertinent, obedire tenetur; non est dubium, » quin teneatur testimonium ferre in his, in quibus *secundum ordi-* » *nem juris testimonium ab eo exigitur*: puta in manifestis, et in his, » de quibus infamia praecessit. Si autem exigitur ab eo testimonium » in aliis, puta in occultis, et de quibus infamia non praecessit, non » tenetur ad testificandum.

» Si vero requiratur ejus testimonium non authoritate superioris, » cui obedire tenetur, tunc distinguendum est: quia si testimonium » requiratur ad liberandum hominem vel ab injusta morte, seu » poena quacunque, vel a falsa infamia, vel ab aliquo damno tunc » tenetur homo ad testificandum. Et si ejus testimonium non requi» ratur, tenetur facere, quod in se est, ut veritatem denunciet alicui, » qui ad hoc posset prodesse etc.

» Super his vero, quae pertinent ad condemnationem alicujus, » non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi quum a superiore com» pellitur *secundum ordinem juris*; quia si circa hoc veritas occulte» tur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur; vel si immineat pe» riculum accusatori, non est curandum quia ipse in hoc periculum » sponte se ingessit. Alia autem est ratio de reo, cui periculum » imminet, eo nolente ». In hac doctrina D. Thom. totum id continetur, quod spectare potest testis obligationem. Ex ea autem intelligitur, quod tertia ejus assertio exceptionem patiatur eo in casu, quo grave detrimentum toti multitudini, vel alicui tertiae personae crearetur, nisi quis id, quod novit, testificetur, etiam non requisitus, aut non requisitus juridice.

Ad numerum testium quod attinet, docet S. Thom. art. 2, duorum testimonium, vel trium ad moralem certitudinem in judiciis ordinarie sufficere. Illud tamen necesse est, ut hi duo vel tres sint omni exceptione majores, et depositio eorum factum idem respiciat, ita videlicet, ut non sint testes singulares, sed rei ejusdem contestes; adeoque convenire debent tam in circumstantiis potioribus, quam in praecipuo puncto rei, de qua agitur.

Quidam sunt, qui a testificando jure vel naturali, vel humano repelluntur, qui ad decem personarum genera revocari solent. 1. Delirus, aut semifatuus. 2. Persona vilis, et inops, de qua suspicio est facile posse corrumpi; secus autem, si honesta sit. 3. Servus, sive mancipium. 4. Mulier, quae tametsi in jure civili admittatur, in jure tamen canonico, quibusdam exceptis casibus, non admittitur. 5. *Minor viginti annis* in criminalibus: in civilibus autem *impubes*. 6. Infames. 7. Perjuri, et infideles. 8. Inimicus. 9. Consanguinei, et domestici actoris, quibusdam tamen demptis casibus 10. Tandem socii criminis.

II. *Advocati et Procuratoris dotes necessariae, et primum de Scientia qua ipsi pollere debent.*

Advocati, et *Procuratoris* nomine veniunt ii, qui caussas litigantium defendendas suscipiunt. Quatuor in Advocato, sicut et in Procuratore requiruntur ad rite officium suum obeundum; 1. nempe *notitia legum*: 2. *fidelitas* erga clientem: 3. aequitas caussae, quam defendendam suscipit; ac demum 4. pretium moderatum. pro suo labore, vel patrocinio praestito. Quod attinet ad priorem dotem Advocatus, et Procurator habere debent *scientiam convenientem* eorum, quae ministerium suum spectant; Advocatus scilicet *peritiam legum*, ex quibus caussae resolutio pendet; Procurator autem *notitiam formalitatum juris*. Hinc ad restitutionem uterque tenetur damnorum, si quae ex inscitia et imperitia sua clienti damna obvenerint; itemque si scientiam illam non exerceat, vel ob negligentiam, caussarumve multitudinem Clientum suorum caussas non expendat.

III. *De Advocati et Procuratoris fidelitate.*

Quoad *fidelitatem*, hanc servare omnino debent Clientibus suis Advocatus, et Procurator, adeout caussam illorum non prodant, ut aliam partem juvent, aut secreta caussae suae alteri parti revelent, aut quidpiam aliud agant, quod caussae, quam defendendam suscipiunt, detrimentum afferat. Sic etiam ad ipsos pertinet indicare Clienti caussae aequitatem, aut injustitiam, probabilitatem obtinendae victoriae, et periculum amittendae, ne forte superfluos sumptus faciat in ea prosequenda. Quare lethaliter peccant Advocati, et Procuratores, qui duobus inter se litigantibus simul consilium offerunt: ea quippe agendi ratio aperte pugnat cum fidelitate, quam utrique litigantium debent.

IV. *De Justitia advocati et Procuratoris.*

Circa *justitiam* caussae, pro qua advocat, quam cognoscere debet tum Advocatus, tum Procurator, antequam ad eam tuendam operam praestet: audiamus S. Th. art. 3. ubi ait: *Si scienter injustam caussam defendit, absque dubio graviter peccat, et ad restitutionem tenetur ejus damni*, *quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injustam caussam defendit putans esse justam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusari potest.* Admonet vero in resp. ad 2. quod si Advocatus in principio credidit, caussam esse justam, et postea appareat, eam esse injustam, *debet caussam deserere; vel eum, cujus caussam agit ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno.*

Quid si justitia caussae non liquida, et certa, sed incerta est solumque probabilis? Communior, et mihi, aliisque probabilior sen-

tentia est, Advocatum posse defendendam assumere caussam dubiam. Cliente tamen admonito de victoriae incertitudine, sive de periculo amittendae litis. Quoniam pars utraque jus habet sive per se, sive per alium suas proferendi rationes coram judice, ut ipse determinet, quid sibi reapse debitum sit, aut non: et Advocatus sui Clientis vices gerit, et ejusdem jura solum proponit, non autem judicat; adeoque, nisi utatur captiosis verbis, aut ratiunculis nullius ponderis, ut certa appareat, vel probabilior caussa, quam dubiam ipse cognoscit, non video, cur in ea defendenda peccet. Hoc tamen intelligendum est, nisi partis contrariae Cliens praeter jus aequale gauderet rei possessione. Nam possessio jus majus ipsi praeberet juxta illud, quod hic tantummodo locum habet: *Melior est conditio possidentis.*

V. *De Moderatione Advocati in exigendo pretio.*

Quoad *moderationem* in exigendo pretio docet S. Th. art. 4 posse quidem Advocatum quidpiam pro suo labore, ac patrocinio exigere; at peccare contra justitiam, si exigat immoderate: *Si autem,* inquit, *per improbitatem aliquid immoderate extorquentur, peccant contra justitiam.* Illud notandum, minime licere Advocato pactum inire cum Cliente de quota litis sibi loco salarii solvenda. Hoc enim jure vetitum est, ne detur occasio per fraudes, ac modos iniquos vincendi litem: immo nec pacisci licet, ut si in caussa victor existat, tantum stipendii recipiat. Quamquam absque peccato convenire possit, ut sive vincat, sive non; certam pro labore recipiat, eamque justam, pretii quantitatem.

Ceterum etsi Advocatus pro labore suo pretium justum recipere, quin et exigere queat, tamen pauperum caussis *gratis* aliquando ex praecepto charitatis patrocinari tenetur. Tenetur in *extrema* necessitate, tametsi superflua non habeat, et fortasse passurus sit jacturam eorum bonorum, quae ad statum suum simpliciter necessaria sunt. In gravi autem cum aliquo eorum detrimento, quae etsi ad statum suum non sint simpliciter necessaria, sunt tamen quasi necessaria ad ejus decentiam. Interdum etiam tenetur caussam pauperis agere in *communi* necessitate existentis; si nempe id praestare valeat absque sui status imminutione, et tales occurrant ex parte pauperis circumstantiae, ut ad ei ferendum auxilium charitas suadeat, ac praescribat juxta ea, quae suo loco dicenda erunt de hujusmodi necessitate.

VI. *Praecipua capita, in quibus delinquere advocati solent.*

Ex his omnibus colligamus omnia, aut saltem praecipua capita, in quibus graviter delinquunt, aut delinquere solent Advocati in officio suo obeundo. 1. Si Advocatus, aut Procurator officium suscipiat, dum peritia, et idoneitate sufficienti caret ad illud recte exercendum. 2. Si caussam assumat, quam injustam esse novit. 3. Si quamlibet caussam sine discrimine, et consideratione suscipiat, nihil expendens merita caussarum. 4. Si in progressu litis caussae iniquitatem deprehendens Clientem non moneat, ut ab ea prosequenda desistat; nec ipse illam dimittat. 5. Si ob ejus imperitiam, negligentiam, aut malitiam Cliens caussa cadat, aut indebitas expensas facere debeat, vel damnum aliud patiatur. 6. Si in caussa dubia periculum amittendae litis Clienti non manifestet. 7. Si expeditionem caussae protrahat cum Clientis damno. 8. Si caussae secreta adversanti parti revelet. 9. Si in-

caussa defendenda proferat scripturas falsas, testes mendaces, leges obliteratas, aut abrogatas; aut veras quidem sed cavillis, et artificiis in falsos sensus detortas. 10. Si falsa crimina adversae parti imponat; aut vera, sed occulta ad caussam non pertinentia detegat; vel conviciis utatur. 11. Si plures caussas simul agendas accipiat, quibus apte expediendis impar sit. 12. Si pretium justo majus exigat. 13. Si injustis dilationibus adversam partem vexet; vel impediat, ne jus suum legitime prosequatur. 14. Tandem si scripta, quae exarare opus est, nimium extendat; vanisque, et inutilibus verbis aut rationibus impleat ob majus lucrum aequirendum.

VII. *Notariorum obligationes; et quibus in casibus peccent.*

Pauca etiam cursim adnotemus circa Notarii obligationes. Notarius, qui etiam *Tabellio* vocatur, ille est, qui contrahentium voluntates tamquam testis publicus conscribit, et publicat itidem instrumenta tamquam depositarius custodit. Quare duo praecipue in Notario requiruntur; *scientia*, qua calleat, et observet solemnes contractuum formulas; et *fidelitas*, qua nihil contra aequitatem, et veritatem in Scripturis suis irrepere patiatur.

Peccat igitur Notarius contra debitum officii sui, si instrumenta haud recte conficiat; si juramentum, vel secretum violet; si in testimoniis testium, vel dictis, aut factis partium adjiciat aliquid, vel detrahat; si omnia, prout reapse se habent, sincere non scribat, vel circa diem, vel circa res, quae sunt materia contractus; si scribat, contrahentes praesentes esse, quum praesentes non sint; si attestetur, numeratam esse pecuniam, quum revera numerata non est. Haec enim mendacia sunt, immo perjuria, quum Notarii jurent, se nihil falsi in suis publicis instrumentis relaturos. Peccant pariter contra fidelitatem, et veritatem, si in testium depositione quidpiam haud levis momenti ex arbitrio varient; sicut etiam si in voluntate contrahentium exprimenda addant aliquid, vel detrahant, quod ei non respondeat; si amisso instrumento, aliud simile confingant, atque substituant; si scribat testamentum hominis rationis usu destituti, vel sui minime compotis; si testes falsos ad testimonium ferendum admittat; si ex animo verba equivoca adhibeat, quae varium sensum pati possint, ut partes contrahentes decipiat, aut ut commodum, sive favorem amico praestet.

Demum, aliis fortasse casibus omissis, contra justitiam, et aequitatem Notarius peccat, si vel ipse justitiam violet, vel partibus injuste contrahentibus suffragium praebeat; si aliquid exigat ultra pretium a legibus, vel a legitima consuetudine statutum, si publica instrumenta iis ostendere renuat, quibus necessaria sunt, puta haeredibus testamenta. Legatariis legata, vel si pro exhibendis hujusmodi instrumentis pretium excedens extorqueat etc. Ac de horum quidem statuum, aut officiorum obligationibus satis. Nam de aliorum, quae supersunt, obligationibus suis in locis opportunior sermo erit.

CAPUT V.

De occasione peccati.

I. *Occasio peccati alia remota, alia proxima; alia voluntaria, alia necessaria.*

Nedum peccata, sed occasiones etiam peccatorum vitandae sunt. Quare pro coronide praesentis Tractatus *de Peccatis* agendum arbitror de peccatorum occasionibus. Occasio universaliter 1. dividitur in *remotam*. et *proximam*: nam *occasio peccati* generatim accepta illud omne dicitur, quod ad peccandum allicit, aut inducit; allicere autem, aut inducere quidpiam potest ad peccandum vel remote, vel proxime. *Remote* ad peccandum alliciunt res hujus mundi omnes, quae peccati objecta sunt, aut esse valent, ut divitiae, voluptates, honores etc. Atque has occasiones fugere, aut vitare minime tenemur; sed neque, saltem omnes, possumus. *Proxime* vero ad peccandum allicere, aut inducere dicuntur ea, quae vel ex natura sua, vel ex conditione subjecti nexum, sive connexionem habent cum ipso peccato, prout postmodum explicabitur.

Atque hinc alia suboritur *proximae occasionis* divisio; nimirum in eam, *quae per se* ad peccandum pertrahit, sive de se, ac natura sua apta est inducere homines ad peccatum; et aliam, quae dicitur *per accidens*, quae nempe hujusmodi vim non habet ex semetipsa, sed duntaxat ratione specialis fragilitatis, ac dispositionis aliquorum hominum saepe in illa occasione peccantium. Utraque occasio proxima tum *per se*, tum *per accidens*, subdividitur in *voluntariam*, et *involuntariam*, sive necessariam. Prior ea vocatur, quae deseri potest sine gravissima difficultate, aut incommodo. Altera, sive *involuntaria*, aut necessaria dicitur illa, quae vel *physice*, vel *moraliter* deseri nequit. Unde et alia divisio occasionis fieri potest; scilicet in necessariam *physice*, quae nullatenus a voluntate pendet, ut deseratur; puta si quis in carcere vinctus sit cum foemina, sive homine flagitioso: et in necessariam *moraliter*, quae deseri quidem absolute potest, sed non absque peccato, vel gravissimo damno temporali; ut quum quis dimittere officium non potest absque damno gravissimo, sive jactura sui status, vel famae, vel bonorum.

II. *Recentiorum casuistarum notio, de occasione proxima.*

Notio, quam de occasione proxima inter recentes Casuistas communior est, traditurque a Patritio Sporer, a Dominico Viva, aliisque pluribus vel iisdem, vel similibus verbis, haec est: *Occasio proxima ea est, in qua homo aut semper, aut fere semper peccat.* Haec nullatenus probanda est, sed rejicienda. Nam si quis ex. gr. quotidie cum muliere conversetur, neque tamen nonnisi bis, vel ter in hebdomada cum ipsa peccet, juxta eam definitionem dicendum foret, illum in occasione proxima nequaquam versari, eo quod minus frequenter peccet, quam peccet: adeoque absolvi a Confessario posset, quin cogeretur ad eam occasionem amovendam, utpote quae *remota* tantum esset.

III. *Vera notio, occasionis proximae.*

Hac rejecta *occasionis proximae* notione, hanc propono ex D. Thomae Doctrina depromptam. *Occasio proxima est illa, quae*

affert probabile peccandi periculum: adeoque *remotà* solum dicenda est, quae tale periculum non affert. Quum dico, occasionem proximam esse, quae affert *probabile* periculum peccandi; *probabile periculum* idem intelligo, ac *prudenter timendum*, sive quod juxta *sanae prudentiae regulas* timeri merito debet, ac viri prudentes timere solent in aliis similibus casibus, ne hoc, vel illud sibi contingat. Atque haec definitio locum habet tum in iis occasionibus, quae dicuntur *per se*; tum in occasionibus proximis *per accidens*. Sive igitur occasio peccandi sit *per se*, sive *per accidens*, quoties *probabile*, sive *prudens* afferat peccandi periculum, semper est occasio *proxima:* quoties vero hoc periculum non afferat, *remota* dicenda, et existimanda erit.

Ex quo sequitur, quicunque se huic proximae occasioni committit, semper peccare, etiamsi contingat, quod in actum peccaminosum non labatur: quoniam idem est peccare, ac se exponere probabili periculo peccandi; et in hoc consectario consentiunt vel ipsi graviores Probabilistae, ut Suarez, et de Lugo: idem enim est voluntarie se exponere *probabili* peccandi periculo, ac legem nihil pendere, et contemnere; quod sine peccato intelligi nequit. 2. Sequitur, Confessarium non posse absolvere poenitentem, quoties in ea occasione constitutus est, in qua *probabiliter* est peccaturus; neque tamen vult eam removere. Quoniam poenitens in ea occasione positus semper est in statu peccati mortalis; adeoque non est dispositus ad fructum sacramentalis confessionis percipiendum. 3. Sequitur, necesse non esse, ut quis teneatur peccandi occasionem devitare, ut in ea frequenter peccaverit. Satis namque est, ut *probabiliter*, seu *verisimiliter* in ea peccaturus sit. Semper enim peccat, qui se probabili periculo peccandi exponit.

IV. *Quaedam, ex praemisa doctrina colliguntur.*

Ut quidpiam colligamus ex data notione quoad occasiones proximas involuntarias, sive necessarias, quas homo vel nullo modo, vel saltem sine peccato, aut absque gravissimo temporali damno, dimittere nequit; satagere omnino debet, omnemque curam impendere, ut ex *proxima*, occasio, *remota* fiat; scilicet, ut tollatur periculum proximum in ea peccandi, adeoque et Confessarius absolutionem differre tenetur, donec tale periculum sublatum sit; aut sibi persuadeat, jam esse sublatum, spectatis circumstantiis, ac poenitentis cura ad eam removendam, animique sui dispositione. Quamdiu enim hujusmodi probabile periculum subsistit, tamdiu est in statu peccati mortalis, atque adeo incapax absolutionis. Remedia, quae adhibere debet, ut ex *proxima remota* occasio fiat, praeter frequentem orationem, qua necessarium a Deo auxilium imploret, sumenda sunt ex circumstantiis, et ex qualitate occasionis. Si servus ex. gr. aut filius familias, qui facultatem abeundi impetrare non potest, saepe cum famula peccaret; debet, quantum fieri potest, nunquam solus cum illa versari, aut colloqui, nunquam in eam oculos defigere, nulla ei amicitiae signa exhibere; quin potius despectum, aut aversionem erga ipsam ostendere, piis mentem suam cogitationibus munire, et id genus alia peragere. *Si vero*, subdit Magnus S. Carolus in Instruct. Confessar. absolutionem *differre non possit, quia poenitentem exponat gravi infamiae periculo; tunc si contritum certis qui-*

busdam notis videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus sit, quae ad illius emendationem necessaria judicaverit prudens Sacerdos, tunc aptiora praescribet, et utiliora etc. Imponet et preces, et corporis macerationem aliquam, et in primis frequentem Confessionis usum, similiaque exercitia, quae si in se recipiat, tunc debebit Confessarius absolvere.

Quid vero si remedia quidem adhibeat, ut occasio ex proxima remota fiat, et nihilominus peccare pergat, ut antea? Nihil aliud tunc superest, nisi ut, quocunque temporali damno posthabito, eam deserat, et ad eam deserendam, ut idem S. Carolus monet, Confesfessarius absolutionem negando compellat. Tunc enim urget praeceptum illud Christi: *Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum, et projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam; et si dextera manus tua scandalizet te, abscinde eam, et projice abs te.* Nimirum res ipsae dilectissimae nobis dimittendae sunt, dum agitur de vitando peccato; aut, quod perinde est, proxima occasione peccati. Atque haec satis sint in hac celebris controversia. De ea namque sermo recurret, dum de Sacramento Poenitentiae.

ETHICAE CHRISTIANAE
SIVE
THEOLOGIAE MORALIS
TRACTATUS QUARTUS
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS
FIDE, SPE, ET CHARITATE.
DISSERTATIO I.
De Fide.

Prima omnium Theologicalium virtutum Fides est, a qua tamquam a radice, et fundamento meritum omne, salusque aeterna dependet.

CAPUT I.

De objecto Fidei; ejusque necessitate ad justificationem, et salutem, ac de credendis necessitate medii.

I. *Fidei nomen.*

Fidei nomen hoc loco non sumitur sive pro *veracitate*, aut *fidelitate*, sive pro *fiducia*, sed pro ea virtute, qua assensum nostrae mentis rebus a Deo revelatis praebemus in ipsius revelationis obsequium. Haec fides ita accepta trifariam sumitur; *pro rebus*, nempe *creditis*; 2. *pro ipsa Dei revelatione*; 3. propriissime pro mentis assensu, et adhaesione ad ea, quae ad credendum proposita a Deo sunt.

II. *Definitio Fidei.*

Fidem in posteriore significatione acceptam definit Apostolus Paulus in Epist. ad Heb. cap. 11. his verbis: *Est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.* Hanc probat, ac illustrat S. Th. tum lect. 1. in hunc locum, tum 2. 2. q. 4. a. 1. Quod si fidei magis pressam definitionem quis desideret, ea utatur, aut simul eum mox explicata conjungat, scilicet: *Fides est habitus, seu virtus divinitus infusa, per quam intellectus firmiter iis assentitur, quae a Deo revelata sunt.* Ex hoc, quod sit *virtus*, convenit cum caeteris omnibus virtutibus: ex hoc autem, quod est *divinitus infusa*, differt a virtutibus moralibus; quod hae nostris actibus acquiri valent, non ita vero fides. Alia verba differentiam designant a ceteris quibuscunque ad intellectum pertinentibus.

III. *Fidei objectum.*

In proposita Fidei definitione comprehenditur objectum Fidei, quod duplex distinguitur a S. Thom. hic q. 1. a. 1. coeterisque Theo-

logis: nempe *id*, *quod materialiter cognoscitur*; et *id*, *per quod cognoscitur*, quod est formalis ratio objecti. De hoc infra. Nunc de *materiali* solum objecto sermo est; quod esse asserimus *ea omnia*, *quae a Deo nobis revelata sunt*; adeo ut nedum veniant, quae rationem naturalem excedunt, et gratuito Dei munere nobis innotescunt, verum etiam quae supra naturalem cognitionem non assurgunt, et creaturarum ministerio cognosci queunt. Prioris generis sunt misteria omnia gratiae, et gloriae; Deus unus, et trinus, divini Verbi Incarnatio, realis Jesu Christi in Eucharistia praesentia, aliaque complura, quae in Fidei Symbolis proponi consueverunt. Posterioris generis sunt existentia Dei Creatoris, perfectiones ipsi convenientes, Mundi creatio in tempore, aliaque id genus multa; ad quae etiam revocantur facta plurima, quae in Sacris Litteris utriusque Testamenti recensentur. Nam a synchronis Scriptoribus experimento, a posteris historica traditione cognosci potuerunt, quum tamen Sacris Litteris mandata sint a Scriptoribus Canonicis a Deo inspiratis. Haec omnia comprehenduntur sub objecto materiali Fidei, quia subsunt rationi ejus formali; quae non est alia praeter infallibile ejus testimonium, sive revelationem nobis factam, ut illa credamus.

Quamquam vero res omnes a Deo revelatae sub objecto Fidei comprehendantur, non aequo tamen modo, parive nisu iis fides suum praebet assensum. Ejus quippe primarium objectum *Deus* est. Praecipua autem, quae ordinem habent ad hoc *primarium* objectum, sunt articuli, qui communiter appellantur articuli *fidei*, qui non alii sunt, nisi propositiones quaedam, quae principalia capita continent *fidei*, quam profitemur; quique non distinguuntur, nisi ob peculiares, quas menti exhibent, difficultates, quae in aliis non distinguuntur.

IV. *Objectum formale Fidei.*

Ex Fidei natura, et indole satis liquet, objectum *formale fidei*, sive motivum, quo inducimur ad ea credenda, quae revelata sunt, aliud non esse praeter divinum testimonium. Quum enim fides sit ex auditu, nititur authoritate loquentis, sive testificantis. Quae autem nobis proposita sunt ad credendum, perfecte credibilia fiunt ex testimonio primae veritatis. Eo ipso namque, quod aliquid a prima veritate testatum sit, praescribit recta ratio, ut ipsi, seposita omni formidine, fidem praebeamus, quum neque falli, nec fallere quemquam possit.

V. *Pius voluntatis affectus.*

Praeter rationem formalem, quae se tenet ex parte objecti, alia ad fidem exigitur, quae ipsum afficiat credentem, eamque ad credendum moveat. Haec ratio duplex est, quarum altera ad intellectum pertinet; altera ad voluntatem, de qua primum dicimus, et in pio voluntatis affectu posita est. Pium hunc affectum ad fidem habendum prorsus necessarium esse, dubitare non sinunt plura Scripturarum testimonia. *Gratiam fides*, *et gratiam ad obediendum Fidei* vocat Apostolus ad Rom. Obedientia autem proculdubio in affectu voluntatis consistit. Idem quoque cap. 10. tradit, *corde credi ad justitiam*, idest voluntate bene affecta intellectum inclinari ad credendum.

Ratio altera se tenens ex parte intellectus, qua iste ad credendum movetur, consistit in argumentis, quibus suadetur divinae revela-

tionis existentia, applicaturque divinum testimonium mysteriis, quae creduntur. Ratio haec ad fidei assensum conspirat, quatenus praestat, ut *prudens* sit assensus, quem Deo praebemus. Neque enim prudenter, sed imprudenter ac leviter crederemus, testimonium Dei existere, sive Deum loquutum esse, nobisque revelasse, quae credenda proponuntur, nisi argumenta suppeterent divinae hujusce revelationis; quemadmodum neque fidem prudenter praeberemus testimonio alicujus hominis, si deessent argumenta, queis suaderetur, illum reapse esse loquutum. Hujusmodi argumenta, quae dici solent, *argumenta credibilitatis*, non est praesentis instituti exponere.

VI. *Necessitas Fidei.*

Quoad necessitatem Fidei, ad justificationem et salutem obtinendam illud primum affirmo, in nullo statu potuisse, aut posse homines justitiam, et salutem consequi absque fide Theologica, utpote medio ad utrumque finem necessario, juxta praesentem quidem providentiae divinae dispositionem; qua nempe hominum justitia in filiatione Dei adoptiva consistit, eorumque felicitas cognitionem Dei ex iis, quae facta sunt, depromptam excedit, et in clara Dei visione posita est. Quae tamen fides *habitualis* est in infantibus, qui baptismate justificantur in lege gratiae. Circumcisione, aut aliis signis, piisve ritibus in statu legis Mosaicae, et naturalis: *actualis* vero debet esse in impiis adultis, ut justitiam obtineant; et in justis, ut salutem consequantur aeternam. *Sine fide* enim, ait absolute Apostolus ad Hebr. 11., *impossibile est placere Deo*, docens eodem loco. Fidei testimonio probatos fuisse, quotquot justi, et sancti extiterunt ab origine mundi. Consona est Patrum Ecclesiae consensio, quorum omnium testimonium complexa est Tridentina Synodus sess. 6. cap. 8. ubi declarat, verba Apostoli dicentis, *hominem justificari per fidem*, eo sensu intelligenda esse, quem perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit, et expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur; *quia fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire.*

VII. *Duplex necessitas*, medii, *ac* praecepti.

Fides, quae ad salutem necessaria est, in aliquod objectum tendere debet: Quoniam vero in objectum tendere potest vel implicite, vel explicite; idcirco hujusmodi objectum, sive objecta assignanda sunt, in quae fides tendat sive explicite, sive implicite. Tenentur itaque omnes necessitate medii aliqua explicite credere. Antequam autem quid ab omnibus credendum sit, dicamus, explicemus oportet quid sit *necessitas medii*, quid *necessitas praecepti*. Necessitas porro *praecepti* sumitur ex obligatione quidpiam agendi, vel omittendi ex solo praecepto legitimi Superioris orta. Necessitas vero *medii* ex ipsa repetitur ratione finis, qui sine medio obtineri non potest; ut conservatio vitae absque alimento. Haec necessitas *medii* est etiam praecepti; sed non e contra: quia praeceptum solum obligat eos, qui praecepti sunt capaces, uti sunt adulti. Rursum haec *medii* necessitas alia *absoluta* est, nititurque naturali connexione inter medium, et finem, qui sine ullo obtineri nequit; prout est status gratiae habitualis relate ad gloriam aeternam, quam nullus sine ista gratia consequi valet: alia

pendet ex libera Dei institutione hoc, vel illud medium ad salutem necessarium declarantis. Prima suppleri minime potest; bene vero aliquando altera per aliud aequivalens: et sic Baptismus acquae licet institutus a Christo fuerit velut medium ad salutem necessarium, suppleri potest per martyrium, et animi votum in casu necessitatis. His positis,

VIII. *Credenda necessitate medii.*

Docet nos D. Paulus loc. laud. quid *explicite* ab omnibus *necessitate medii* credendum sit: *Credere enim*, inquit, *oportet accedentem ad Deum; quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Fides ergo explicita *Dei existentis*, et *Dei Remuneratoris* necessaria est *necessitate medii* ad justificationem et salutem: nam sine ea *impossibile est placere Deo*. Satis autem non est, ut *Deo placere possimus*, ipsum cognoscere principium, auctoremque naturae; sed oportet in Deum ferri, quia Auctor est, et Finis *supernaturalis*. Atque idem sentiendum de *remuneratione*, de qua loquitur Apostolus; quod nempe ea non sit, quam tribuit Deus ut naturae Author, posita in aliquo bono, quod naturali lumine attingere possumus; sed alia altior, et excellentior, et in clara Dei visione, et possessione consistit, quam sola fide cognoscimus. Haec sunt necessitate *medii* credenda ob naturalem connexionem inter medium, et finem.

Alia sunt Mysteria a Deo revelata eadem *necessitate medii* credenda ex libera Dei institutione. Hujusmodi est fides Dei Redemptoris seu Incarnationis Christi vel implicita, vel explicita: implicita quidem ante ejus adventum, ut docet S. Th. 2. 2. q. 2. a. 7. Explicita vero post ipsius adventum, et post sufficientem Evangelii promulgationem. Id patet ex Scripturis et ex perpetua Ecclesiae traditione, et praecipue ex illo Marci c. ult. *Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.*

IX. *Fides Trinitatis.*

Quod si Fides Christi Redemptoris explicita necessaria nunc est necessitate *medii* ad justitiam, et salutem, sequitur, idem dicendum esse de fide SS. Trinitatis: quod egregie declarat S. Th. hic art. 8. dicens; » Mysterium Incarnationis Christi *explicite* credi non potest » sine fide Trinitatis: quia in Mysterio Incarnationis Christi hoc » continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit: quod per gratiam » Sp. Sancti mundum renovaverit: et iterum quod de Sp. Sancto » conceptum fuerit. Et ideo eodem modo, quo Mysterium Incarna» tionis Christi ante Christum fuit *explicite* creditum a Majoribus; » *implicite* autem, et quasi obumbrate a minoribus: ita etiam My» sterium Trinitatis ». *Post tempus autem gratiae divulgatae*, subdit S. Doctor, *tenentur omnes ad explicite credendum Mysterium Trinitatis: et omnes, qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis, secundum illud Matth. ult.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;

CONSECTARIA.

I. *Quae ratione naturali cognosci queunt, ad fidem proprie non pertinent.*

Quae per rationem naturalem cognosci possunt, sicut Deum esse, et esse unum, aliaque hujusmodi, ad fidem proprie loquendo non

pertinent. *Inter credenda tamen numerantur,* ait S. Th. art. 5. ad 3., *non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes, sed quia praexiguntur ad ea, que sunt Fidei: et oportet ea saltem per fidem praesupponi ab his, qui eorum demonstrationem non habent.*

II. *Motivum formalem credendi, non est Ecclaesia proponens.*

Quamquam credamus, et credere omnino debeamus articulos Fidei, qui nobis credendi ab Ecclesia proponuntur, formale tamen credendi motivum non est Ecclesia proponens, sed revelatio Dei, sive divinum testimonium, itaut eos credamus, quia sunt a Deo revelati. Quod unice Ecclesia praestat; ac praestare valet, in hoc consistit, quod declaret cum assistentia Sp. Sancti, quam ipsi Christus promisit, hos, aut illos articulos fuisse a Deo revelatos, adeoque vi hujusce revelationis fide divina esse credendos. Unde evidens est, Ecclesiae declarationem nihil aliud efficere, nisi ut certissime cognoscamus, has veritates esse revelatas.

III. *Ob oculos puerorum, et rusticorum ponenda sunt credibilitatis motiva.*

Curam diligentem adhibere debent tum parentes, tum Parochi, aliique Ecclesiae Ministri, ut dum pueros, aut rusticos de fidei articulis instruunt, et ad actum fidei eliciendum hortantur, ob oculos ponant credibilitatis motivo quibus Christiana, et Catholica Religio munitur, ut prudenter a Deo revelatis assentiantur. Neque enim adultis satis est fidei articulos explicare; sed primum omnium illos docere oportet, articulos, qui proponuntur, a Deo esse revelatos, et ab Ecclesia Catholica traditos, quam dilectam esse sponsam suam, et *columnam,* ac *firmamentum veritatis* innumeris miraculorum signis, atque portentis luculentissime testatus est, ut ita evidenter credibilia iisdem appareant Mysteria quae credenda sunt, ne levi corde, et assensu minime prudenti credere dicantur. Eos quoque, qui ad fidem Christianam, et Catholicam sive Infidelibus, sive Haereticis praedicandam mittuntur, in hoc operam suam conferre maxime debent, ut nedum mysteria fidei nostrae proponant, verum etiam declarent credibilitatis signa, quibus Catholica Religio confirmatur, ut haec prae quacunque alia secta illis credibilis appareat, et prudenti assensu digna cognoscatur.

IV. *Medium ad superandas tentationes contra fidem.*

Quum interdum homines tentationibus agitentur circa fidei articulos, nullum aptius medium arbitror ad eas superandas, sive removendas, quam mentem avocare a difficultatibus, aut objectis, quae ipsis se offerunt, ac eam defigere in consideratione argumentorum credibilitatis fidei nostrae. Quum enim fidei articuli, utpote divini imbecillis intellectus nostri vim, et capacitatem longe superent; mirum esse non debet, quod nos in hoc tenebroso statu ea intelligere minime possimus, sed in eorum consideratione deficiat humana ratio, pluribusque difficultatibus implicetur. Ut igitur ex iis semet vinculis exolvat, ad eam solum perpendenda motiva mentem applicet, queis fides nostra munitur et evidenter vera, et credibilis efficitur; cessabuntque statim omnium difficultatum nebulae in conspectu splendidissimae lucis tot signorum, quae quum nonnisi a Deo fieri potuerint, evidenter manifestant hominibus veritatem divinae revelationis; adeo ut nonnisi demens de eadem dubitare valeat, aut in controversiam adducere, quae revelata sunt.

V. *Justitia parvulorum, non est absque fide.*

Justitia parvulorum, qui nunc Baptismate abluuntur, olim vero Circumcisione, aliisque signis justificabantur, non est absque fide, quam vocant *habitualem*; imo quadantenus dici potest, eam non obtineri absque fide actuali; quae duplex est: altera consistit in ipsa Sacramenti susceptione, quae est fidei professio; altera est illa, quam habet S. Mater Ecclesia, ac profitetur per Ministros, qui Sacramenta conferunt secundum ejusdem Ecclesiae intentionem.

VI. *Actus fidei necessarius infideli, ut justitiam consequatur.*

Actus fidei est medium necessarium, quo tum adultus infidelis justificationem consequatur, tum ille, qui jam per Baptismum justificationem obtinuit, postquam ad usum rationis pervenerit, salutem aeternam obtineat. Nam neque ille justitiam, neque iste salutem consequi valet, nisi per liberam supernaturalem conversionem ad Deum justitiae fontem, et gloriae Authorem, quam sine fide haberi impossibile est.

VII. *Fides Incarnationis, conjuncta esse debet cum fide Passionis, et Resurrectionis.*

Quum dicimus, necessariam esse necessitate *medii* ad salutem fidem explicitam Incarnationis Christi, haec non est veluti solitarie accipienda, sed conjunctim cum fide Passionis, et Resurrectionis ipsius propter Redemptionem humani generis. Hinc fallitur Cardinalis de Lugo dum Disp. 12. *de fide* asserit, fidem horum Mysteriorum a nullo Theologo necessariam necessitate medii ad salutem existimari. Nam eam ita necessariam existimant S. Thomas, omnesque ejus veri discipuli.

CAPUT II.

De Praecepto fidei affirmativo.

I. *Quae sint credenda, necessitate praecepti.*

Sequitur, ut de credendis necessitate *praecepti*, sive de praecepto fidei affirmativo dicamus. Qua in re quatuor distinguere praecepta Theologi solent; quorum primum continet illa, quae sciri oportet, ut credantur: alterum respicit assensum fidei, quem elicere quandoque tenemur: tertium spectat externam fidei confessionem opportuno tempore faciendam: quartum denique professionem fidei ex Ecclesiae praecepto ab aliquibus emittendam. Haec quibusdam propositis regulis expediemus.

II. Regula 1. *Quid omnes scire, et credere debeant.*

Non est necesse, ut simplices, et rustici calleant abstrusiores, et subtiliores quaestiones de his, quae in articulis Symboli continentur, ut docet S. Th. art. 6. ad 2. ea tamen quoad substantiam scire debent. At tenentur omnes scire et credere veritates, quae continentur in Symbolo, vulgo Apostolorum noncupato; adeout si de singulis articulis interrogentur, eos noverint, et fide teneant. Haec regula perpetua Ecclesiae praxi nititur, quae semper a Catechumenis requisivit, ut ante baptismi susceptionem articulos omnes et singulos Symboli scirent, saltem quoad substantiam.

1. Itaque circa *Divinitatem*, scire et credere omnes debent explicite, Deum esse unum, omnipotentem, creatorem rerum omnium, Salvatorem generis humani, sanctitatis et gratiae largitorem, qui peccatores justificat, et in adoptionem filiorum Dei restituit, gloriaeque aeternae in sua clara visione positae participes efficit: quod tres sint Personae Divinae, quae quidem inter se distinguuntur, sed nihilominuus sunt unus Deus. 2. Quoad Christum, tenentur scire et credere, secundam Trinitatis Personam, scilicet Filium Dei humanam carnem assumpsisse, adeoque Deum esse, et hominem, conceptum fuisse virtute Spiritus Sancti, et ex Maria Virgine natum esse: insuper ad nos redimendos passum, et mortuum esse, ad inferos descendisse secundum animam, a mortuis tertia die resurrexisse, ad Caelos postmodum ascendisse, ac venturum tandem esse in fine mundi ad vivos, et mortuos Judicandos. Quae autem circa haec, ac praesertim circa unionem divinae, et humanae naturae excitari solent controversiae aliasque hujusmodi scire minime obstringuntur.

3. Quoad alios articulos, credere citra dubium tenentur omnes, Spiritum Sanctum tertiam esse Trinitatis Personam; Ecclesiam Catholicam; remissionem peccatorum esse in hac Ecclesia; resurrectionem omnium hominum in fine mundi, ac tandem vitam aeternam, quam justi recipient, sicut etiam aeternam mortem, sive damnationem, quam recepturi sunt impij.

Quoad duos tantum articulos, qui continentur in Symbolo, disputare Theologi solent; nimirum quoad *descensum Christi ad inferos*, et *Sanctorum communionem*. Missa vero fusiore discussione, assero, et hos esse credendos ab omnibus modo saltem aliquo confuso; adeout credant, *Christum ad inferos descendisse*, prout in Symbolo exprimitur, et *Communionem Sanctorum* esse in Ecclesia; quatenus, dum hanc concipiunt tamquam fidelium omnium *congregationem*, sive corpus quoddam mysticum ex omnibus fidelibus conflatum, simul percipiunt, invicem hujus corporis membra juvari, ac totius corporis bonorum participatione gaudere.

III. Regula 2. *Quid praeter Symbolum, scire omnes debeant.*

Praeter illa, quae continentur in Symbolo Apostolico, alia scire quoque tenentur fideles, scilicet quae spectant ad fovendam spem, ad dirigendos mores, et gratiam obtinendam. Hinc scire debent petitiones in Oratione Dominica contentas, quas Salvator ipse nos docuit, cui adjungenda est Salutio Angelica juxta morem universalis Ecclesiae, ut mediante intercessione beatissimae Dei Matris ea; quae petimus, facilius impetremus. Deinde ad informandos mores nostros decem Praecepta Decalogi, ac ulterius septem Sacramenta, ac praesertim ea, quae adultis omnibus necessaria sunt, Baptismum, Poenitentiam, et Eucharistiam.

IV. Regula 3. *Quid Episcopi, Parochi, et Doctores.*

Quamquam ea, quae expressa sunt, scire, et credere debeant omnes, et singuli fidelium, quidam tamen, ut Episcopi, Parochi, Doctores etc. ad explicatiorem cognitionem et fidem de iisdem habendam tenentur. De hac re agit S. Th. hic q. 2. art. 6. ubi haec habet: » Sicut superiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent » pleniorem notitiam de rebus divinis, quam inferiores; ita etiam

» superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere » pleniorem notitiam de credendis, et magis explicite credere ».

V. *Duplex praeceptum Fidei* affirmativum et negativum; *per se, et per accidens.*

Praeceptum aliud admittere necesse est circa fidem: quod duplex distinguitur *affirmativum* alterum, alterum *negativum.* Istud, quod semper, ac pro semper obligat, prohibet, ne unquam dissentiamus Mysteriis fidei, vel de eorum veritate dubitemus, de quo postea: illud vero, nempe affirmativum praecipit fidei actum, quem debemus elicere. Hoc praeceptum aliud est, quod *per se* obligat, ex vi nempe, et natura ipsius virtutis fidei: aliud *per accidens*, ut inquiunt; vi; nempe alterius praecepti, quod satis impleri nequeat absque fidei actu, vel assensu elicito: quod non de fidei actu duntaxat, verum etiam de actu spei, et charitatis est intelligendum. Quo posito regulas prosequor.

VI. Regula 4. *Praeceptum eliciendi fidei actus internos.*

Generatim loquendo praeceptum aliquod est, quod obligat ad eliciendos actus internos fidei. Mentio saepe fit de hoc praecepto in sacra Scriptura, cujus actus aliquos supra produximus. Praecepta autem virtutum, cujusmodi est fides, non respiciunt solos virtutum habitus, sed maxime actus, ad quos ipsi habitus ordinantur, ut docet S. Th. hic q. 2. art. 5.

VII. Regula 5. *Actus fidei, spei, et charitatis eliciendi sunt ex vi praeceptorum, ad has virtutes pertinentium.*

Tenetur homo actus fidei, quemadmodum et spei, et charitatis elicere ex vi praeceptorum ad has virtutes pertinentium. Id certissimum est: nam opposita sententia damnata est a SS. Pontificibus Alexandro VII. et Innocentio XI. A priore quidem in hac propositione: *Homo, nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ab altero autem in ista: *Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se.* Et merito quidem: nam juxta D. Paulum in Epist. ad Gal. 3. *Justus ex fide vivit.* Sicut igitur vita corporis sine cibi sumptione non conservatur, ita neque vita animae sine actu fidei. 2. quia procul dubio ad Deum tendere, et accedere debemus; ut ab eo illuminemur juxta illud: *accedite ad Deum, et illuminamini.* Ad Deum autem primo non tendimus, nisi fidei actibus. Quare damnata quoque merito est haec alia propositio. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Adductae namque rationes frequentiores actus fidei exposcere luculenter evincunt.

VIII. Regula 6. *Infedeles quando teneantur fidem amplecti.*

Quoties infideli Christiana fides est sufficienter proposita, sive quoties rationes, miracula, aliaque credibilitatis signa satis ei perspecta sunt, fidem amplecti, et actum fidei elicere tenetur. Idemque dicendum de quocunque etiam fidei, cui aliquod fidei dogma satis explicatur, et credendum proponitur. Si enim hoc casu suum assensum non praebeat, sed suspendat judicium suum, jam injuriam irrogat Deo revelanti.

IX. Regula 7. *Pueri quando teneantur erumpere, in actum fidei.*

Tenentur pueri inter Catholicos enutriti, quum primum ipsis affulget rationis lumen, in actum fidei interioris erumpere erga my-

steria satis ipsis ad credendum proposita. Haec est D. Thom., ac Thomistarum omnium doctrina, cui subscribunt et alii frequentius Theologi. Porro *instans rationis* non physice intelligi debet, sed moraliter, ac pro tempere congruo accipiendum est; nec aeque pueris omnibus ratio illucet, sed uni citius, quam alteri, ut experientia compertum est.

X. Regula 8. *Praeceptum alicujus actus fidei per se, obligat in probabili periculo mortis.*

Praeceptum actus fidei eliciendi *per se* obligat *in probabili periculo mortis*. Siquidem si ullo unquam tempore tenetur homo testimonium professionis suae Deo exhibere, illud profectò est tempore mortis, quo vita fidei vivat, ut visionem beatam assequatur, quae fidei virtuti respondet.

XI. Regula 9. *Praeceptum eliciendo actus fidei, obligat saltem semel in anno.*

Saltem semel in anno tenetur homo ad fidei actum eliciendum. Otiosa namque lex esset (eliciendi scilicet actum fidei), quae sui executionem non imperaret nec intra unius anni spatium. Unde, admisso praecepto fidei per se obligante, consequitur certo, fideles ad actum fidei eliciendum saltem intra annum urgeri. Dico *saltem*: quia quum etiam praeceptum Eucharistiae semel saltem in anno obliget ex Ecclesiae ordinatione, minorem statuere obligationem nemo audebit. Ceterum Authores graves non desunt, qui frequentiorem fidei actum requirant, ut Scotus diebus festivis; aliis quoties praecipua fidei mysteria celebrantur. Quorum doctrinae tamquam probabiliori, et totae libens subscribo. Quare admoneri fideles debent ad hujusmodi actus frequentandos. ut ita securius conscientiae suae consulant; nec omittant id, quod fortassis divina obligatione tenentur.

XII. Regula 10. *Quando obligat*, per accidens.

Praeter praeceptum obligans *per se*, est etiam praeceptum obligans *per accidens* vi scilicet alterius praecepti. Casus plures sunt. 1. quoties homo accedit ad Sacramentum sive Baptismi, sive Poenitentiae ob justificationem obtinendam: quoniam ad hanc plures actus praemittere oportet, quos inter est actus fidei: quum enim hi actus supernaturales esse debeant, debent dirigi fide. 2. Quoties ad Eucharistiae Sacramentum suscipiendum accedit. Tunc enim credere debet veritatem praesentiae realis etc. 3. Quum diebus festivis tenetur audire Missam, aut Religionis opera exercere. Non requiritur tamen actus formalis, et expressus, sed satis est *implicitus*, et *virtualis*, quatenus virtute fidei toties exercitae actus illos peragit, ad quos praecepto urgetur. 4. Quando vehementi aliqua tentatione pulsatur animus adversus fidem, aut aliquod fidei mysterium: tunc enim ad eam repellendum medium videtur esse necessarium actus fidei. Si tamen haud valde gravis tentatio sit contra fidem, satis erit, et medium fortasse opportunius eam contemnere, et alio mentem avocare. Denique si quis ad fidem Christianam abjurandam urgeat, praeceptum est nedum fidei exterius confitendae, de quo statim; sed etiam interior fides ob externam illam confessionem est necessaria.

XIII. Regula 11. *Praeceptum divinum, fidem exterius confitendi.*

Admittere oportet praeceptum divinum fidem Christianam, quam corde profitemur, exterius confitendi. Haec regula ita generatim

constituta extra omnem posita est dubitationis aleam. Siquidem, sicut in Evangelio habemus Matth. cap. 10, ex ore Christi: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo;* sic apud Lucam cap. 9 legimus: *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet quum venerit in majestate sua.*

XIV. Regula 12. *Non obligat semper, sed pro loco et tempore.*

Hoc praeceptum confitendae fidei, quum sit affirmativum: non obligat pro semper, sed pro loco, et tempore. Ita S. Thom. hic q. 3. art. 2. Casus autem, et circumstantiae, in quibus obligat sunt illae generales, quae ibidem afferuntur ab Angelico; nimirum *quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, vel utilitas proximi.* Si enim vel unum, vel alterum ex his occurrat inconveniens, tunc fidelis ad fidei confessionem obstringitur, quamvis mortis periculum immineret: id, quod regulis sequentibus magis declarabitur.

XV. Regula 13. *Interrogatus a publica potestate, tenetur confiteri.*

Si quis ab authoritate publica interrogetur de fide sua, hanc exterius confiteri tenetur; ita ut, si in hoc casu sileat, aut dissimulet, praeceptum affirmativum fidei transgrediatur. Quia hoc in casu honori Deo debito praejudicium infertur, adeoque peccat mortaliter, et a Regno Dei excluditur juxta laudantem Christi sententiam. Hinc merito damnata est opposita sententia ab Innocentio XI. qua dicebatur: *tacere*. hoc in casu, *ut peccaminosum per se non damno.*

Immo etiamsi Christianus interrogatus a publica potestate praevideat ex sua confessione oriturum scandalum aliquod, puta magis accendi infideles ad persequendam Ecclesiam, non ideo confiteri fidem obligatus non est: quoniam semper in gloriam et honorem Dei cedit ejus confessio, simulque in utilitatem proximi, qui ex suo exemplo inflammatur ad fidei professionem. Scandalum vero illud *pharisaicum* est ex sola ipsorum malitia profectum, quod Christus haud esse curandum docuit.

XVI. Regula 14: *Non tenetur respondere de fide sua, si a privata persona interrogatur.*

Si quis interrogetur a persona privata de fide sua, et in his circumstantiis inveniatur, in quibus ex silentio suo neque ullus honor Dei debitus subtrahatur, neque ullius utilitatis confessio sit relate sive ad interrogantem, sive ad personas circumstantes, tacendo, aut dissimulando non peccat. Immo aliquando laudabile etiam esse potest nullum praebere responsum, quemadmodum animadvertit S. Th. hoc ad 3.

XVII. Regula 15. *Alius casus, in quo urget praeceptum confitendi fidem.*

Si contingat, quod aliquis in periculo versetur abnegandae fidei, aut illam publice non confitendi coram Judice ob tormentorum metum, nedum qui tenentur ex officio alios instruere, et pusillanimes confirmare, sed etiam quilibet fidelis, qui auxilium periclitanti praestare valet, ad hoc tenetur, etiam manifestando fidem suam, quam profitetur. Ita S. Th. in resp. ad 2. *In casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendam fidelium insultationem.*

XVIII. Regula 16. *Licet quandoque fugere, ne quis ad fidem confitendam cogatur.*

Licet quandoque Tyrannum fugere, ne quis ad fidem confitendam cogatur. Christus enim dicit Matth. 10. *Quum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam.* Hoc quoque Christus exemplo suo comprobavit fugiens nonnunquam persecutionem Judaeorum: comprobavit et Paulus: comprobarunt et alii sanctissimi viri, quorum gesta cum laude commemorat Ecclesia. Quinimmo circumstantiae occurrere queunt, in quibus fuga hujusmodi nedum licita, sed etiam necessaria sit: ut si quis propriam imbecillitatem expertus praevideat probabile periculum succumbendi tormentorum atrocitati, fidemque abnegandi; aut si persona sit bono publico admodum necessaria, aut valde utilis.

XIX. *Quinam teneantur, edere fidei professionem.*

Nunc de praecepto Ecclesiastico, edendae fidei professionis, dicendum. Praeceptum hoc de fidei professione a quibusdam personarum generibus facienda juxta formulam ab Ecclesia praescriptam, quum mere Ecclesiasticum sit, juxta Ecclesiae ejusdem dispositionem determinandum est. Igitur in primis Tridentina Synodus haec sess. 24. cap. 12. de Reform. statuit: » Provisi de beneficiis quibuscunque » curam animarum habentibus, teneantur a die adeptae possessionis » ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel, eo » impedito, coram generali ejus Vicario Orthodoxae suae fidei pu» blicam facere professionem, et in Romanae Ecclesiae obedientiam » se permansuros spondeant, et jurent ». Hanc subinde obligationem extendit ad Canonicos Cathedralium inquiens: » Provisi autem de » Canonicatibus, et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non so» lum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo » idem facere teneantur; alioqui praedicti omnes provisi, ut supra, » fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur ». Idem praeceptum repetit sess. 25. cap. 11.

His in S. Synodo expressis, S. Pius V. in sua Constitutione, quae incipit, *In sacrosancta*, obstrinxit eadem obligatione etiam omnes Doctores, Magistros, Regentes, Concionatores, et cujuscunque facultatis Professores. Atque haec decreta, sive Concilii, sive Pontificis, sub gravi peccato obligare, communis Theologorum sententia est, ubi saltem recepta sunt; ut Superiores satagere debent, ut ad praxim demandentur.

Sub nomine porro *Beneficiarii* comprehenditur etiam Commendatarius illius Ecclesiae, de cujus fructibus disponendi facultate gaudent: Est enim vere de beneficio *provisus*. Secus autem dicendum est, si Episcopus commendet alicui Ecclesiam, quin de beneficio provideat, ut frequentius asserunt Canonistae. Canonicos quoque, ac dignitates, quum a Concilio specialiter nominentur, eadem obligatione teneri omnino dicendum est. Beneficiarii porro est Canonici, qui intra bimestre mandatum Concilii Tridentini non adimplent, fructus beneficii restituere tenentur. Quae sententia prorsus est tenenda; quia Synodus Tridentina expresse declarat, *eos non facere fructus suos.* Fructus autem restituendi sunt a die elapsi bimestris ad diem usque, qua emittitur praescripta confessio. Nec satis est juxta plures Sacrarum Congregationem decisiones ut fiat per Procuratorem; sed fieri debet per ipsum, qui Beneficium recipit.

Consectaria.

I. *Peccant ignorantes fideles, qui interesse negligunt catechesibus.*

Peccant graviter Christiani, qui ignorantes Fidei Mysteria, praesertim quae ad salutem necessaria sunt, interesse negligunt catechesibus, aut familiaribus instructionibus, quae singulis diebus festivis fieri solent in Ecclesiis Parochialibus, vel in aliis de praecipuis Christianae doctrinae capitibus. Gravis item peccati rei sunt Parochi, qui catecheses, aut instructiones hasce praetermittunt: necnon Parentes, et Domini, qui filios, ac servos, quos in Doctrina Christiana imperitos, ac rudes noverint, iisdem adesse catechesibus, et addiscere, quae scire debent, non sinunt, aut non etiam compellunt.

II. *Quomodo se gerere debeat confessarius cum his, qui praecipua fidei capita ignorant.*

Christianus, qui ignorat Symbolum Apostolorum, aut alia praecipua fidei, aut legis divinae capita, non debet absolvi a Confessario, nisi vel illa prius addiscat, vel, si ea scire necessitate medii necessarium non sit, saltem proponat addiscere. Ita statuit S. Carolus. Haud valde tamen vexandi sunt, sed benigne tractandi, qui adeo simplices, rudesque sunt, vel memoria deficiunt, ut vel Symbolum, vel praecepta Decalogi, vel Sacramenta verbo tenus retinere nequeunt. Satis quippe est, ut saltem quoad substantiam articulos noverint; adeo ut, si interrogentur de hoc, vel illo ita respondeant, ut eos aliquo modo nosse patefaciant. Neque ab hi clara, et omnino distincta exigenda notitia est: sufficit enim, quod modo suo rudi, ac simplici se declarent, modo non ex negligentia in addiscendo clariore notitia careant.

III. *Non sufficit memoria tenere articulos, nisi quoad substantiam eorum significatus intelligatur.*

Si rustici, pueri, ac rudiores memoria teneant articulos contentos in latina lingua, quam ignorant; satis quidem esse potest, dum aliquo modo saltem quoad substantiam eorum significatum intelligant. Si tamen ita ignari latinae linguae forent, ut nihil prorsus eorum perciperent, quae memoriter sciunt; haec notitia non sufficeret: nihil enim ipsis prodesset; sed verba redderent veluti psittaci. Quare ut obligationi sciendi res fidei satis fiat, oportet, ut saltem modo imperfecto, et confuso noverint, quod verbis exprimunt: consultumque magis erit, si parentes, et Parochi pueros, et rusticos Symbolum, et alia ad credendum necessaria edoceant lingua vernacula, cujus sensum facilius intelligunt.

IV. *Quid agere Confessarius debeat cum moribundo, ignorantia Mysteriorum fidei laborante.*

Confessarius vocatus ad poenitentem in mortis periculo constitutum si deprehendat, eum ignorantia laborare Mysteriorum fidei, si quidem mysteria, quae ignorat, ex iis sint, quae necessitate medii credenda sunt; non debet illum absolvere, nisi prius ipsum instruat, et ad actum fidei eliciendum inducat: non enim absque illorum notitia justificationis capax est. Si autem ignorantia versetur circa alia, quae sola praecepti necessitate sunt credenda; tunc sollicitus Sacerdos

sit, ut doleat, et conteratur de culpabili negligentia praeterita, proponatque emendationem.

V. *Confessarius tenetur interrogare eos, de quorum ignorantia dubitare potest.*

Quum interdum contigat, nonnullos esse, qui ad Poenitentiae Sacramentum accedant plane ignari mysteriorum fidei, quae scire, et credere debent; idcirco Confessarius illos saltem, de quorum ignorantia dubitare merito potest, interrogare tenetur. Sunt enim, qui licet ea in pueritia didicerint, postmodum curis, et negotiis saecularibus solum intenti illorum poenitus obliviscuntur, ut experientia compertum est.

VI. *Circa praeceptum confitendi fidem, regula S. Thomae prae oculis habenda est.*

Circa praeceptum exterius confitendi fidem ad casus plures resolvendos, qui occurrere queunt, tenenda sub oculis est doctrina illa a D. Th. tradita; quod scilicet obliget, quoties *per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et utilitas proximo impendenda.* Hinc si persona, quae intorrogat, publica non sit, sed privata, frequentius fidem profiteri non tenetur; sed vel tacere potest, vel alio sermonem convertere, vel ei reponere: *Quid tua hoc scire refert? quis te judicem constituit?* Contingere tamen potest, ut quis ad confessionem in hoc casu obligetur; veluti si persona gravis authoritatis interrogetur coram multitudine; tunc enim silentio suo grave scandalum caussaret in populo.

CAPUT III.

De praecepto Fidei negativo.

I. *Praeceptum Fidei* negativum, *diserte in Scripturis exprimitur.*

Praeter praeceptum fidei *affirmativum*, quod solum obligat pro tempore, loco, et circumstantiis, admittendum est etiam praeceptum *negativum*, quod semper, et pro semper Christianos omnes obstringit, nunquam scilicet fidem abnegandi, aut quidpiam agendi, quod sit contrarium fidei, quam profitentur. Praeceptum hoc adeo diserte exprimitur in Evangelio, ut nullus relinquatur dubitationi locus Christus enim Matth. 10. ait: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.* Quod praeceptum ipso jure naturali nititur: qui enim veram fidem negat, cultum Deo debitum subtrahit, Deumque ipsum, qui nobis Fidei arcana revelavit, quantum est in se, de medio tollit. Hinc semper Ecclesia aversata est Priscillanistas, qui nefas esse minime credebant, fide in corde retenta, illam exterius abnegare. Quare de hoc nulla est inter Catholicos opinionum discrepantia; et omnes fatentur, negationem fidei sive expressam, sive tacitam, sive verbo fiat, sive signis, sive factis, semper esse grave peccatum. Dissident vero in assignandis casibus, in quibus hujusmodi transgressio contingat. Tres proinde regulas statuo; quas certas existimo, quae pluribus casibus resolvendis admodum inservient.

II. *Regulae, pro casibus pluribus resolvendis.*

Reg. 1. Nunquam licet ulla de caussa, aut intentione simulare falsam religionem. Siquidem simulatio falsae religionis, negatio quae-

dam est verae fidei, ac mendacium in re gravi, quo divinus honor violatur, et scandalum proximo praebetur.

Reg. 2. Verba, signa, et actiones omnes, quae vel seipsis, vel relate ad circumstantias significare queunt, aliquem interius non profiteri Catholicam fidem, existimanda sunt peccata apostasiae, aut abnegationis verae fidei: quoniam, licet etiam ex seipsis ad hanc significationem non determinentur, satis determinantur ex circumstantiis, in quibus fiunt.

Reg. 3. E contra verba, actiones, vel signa, quae neque determinata sunt ex seipsis, neque ex circumstantiis loci, temporis, aut personarum, ut significent, nullam tunc fieri fidei Christianae, vel Catholicae professionem, censeri minime debent veluti fidei abnegationes, adeoque nec criminosae. Quibus positis, ad aliqua, quae ex his regulis deduci possunt, Consectaria devenio.

Consectaria.

I. *Thus adolere Idolo, aut genuflectere coram ipso, nunquam licet.*

Nunquam licet, etiam vitandae mortis caussa, thus adolere idolo, genuflectere coram ipso, aut alia exhibere religionis signa, etiam absque animo colendi, sed potius deridendi ipsum, vel intentione ad Deum, aut ad Christum directa. Quoniam tendunt ex se hi actus in honorem idoli, et ad hunc finem instituti sunt, et spectatis circumstantiis, nonnisi ad id ordinantur. Sicque declaratum est a S. Congr. *de Propaganda Fide* die 12. Septembris 1645. approbante Innocentio X.

Ad exemplum Naamani, quod objici solet, dico, non petiisse ab Elisaeo, ut sibi liceret vel cultum exhibere Idolo, vel simulare Idololatriam; sed ut obsequium humanum, quod Regi praestabat extra Templum, praestare etiam posset in Templo; atque adeo quando Rex ipsi innixus se incurvaret adorare volens Idolum, posset Naaman se quoque incurvare, non ad cultum Idolo exhibendum, sed caussa humani istius officii, quod Regi praestare solebat.

II. *Reus est, qui negat se esse* Christianum.

Negationis fidei reus est, qui negat, *se esse Christianum*, aut *Papistam*, aut *Pontificium*, si interrogatio ab infidelibus fiat ad investigandam religionem; non autem si dirigatur ad deprehendendam patriam, nationem, aliasve rationes ad fidem, aut religionem minime pertinentes. Quia in primo casu esset negare fidem Christi, aut Ecclesiae; non autem in alio, in quo aliò quam ad fidem interrogatio spectat.

III. *Negans se esse* Sacerdotem, *non peccat contra fidem.*

Si quis interrogetur ab Infideli, vel Haeretico non de Christiana, et Catholica professione, sed de munere, aut officio, quod in illa exercet, puta num sit *Sacerdos*, vel *Monachus*; non peccat contra fidem, si negat. Consistit enim professio fidei absque eo, quod munus illud exerceat. Peccaret tamen contra veracitatem, si ejus responsio a mendacio purgari non posset.

IV. *Transeunti per Haereticorum loca, non licet esus carnium in diebus vetitis.*

Non licet Catholico transeunti per Haereticorum loca, aut cum Haereticis versanti esus carnium diebus ab Ecclesia vetitis. Quan-

quam enim id ex se non sit signum falsae sectae protestativum; in his tamen locis ex utentium consuetudine tamquam signum habetur, nisi constet de contrario. Solet enim ab Haereticis talis consuetudo frequentari in contemptum legis Ecclesiasticae, vel certe in protestationem libertatis conscientiae: cui contemptui, aut protestationi nunquam consentire fas est. Fieri tamen potest, ut in quibusdam circumstantiis haec ratio locum non habeat, ut si quis carnes comedit diebus ab Ecclesia vetitis, testetur se iis ad valetudinem indigere.

V. *Fidem negant, qui utuntur vestibus, aut signis falsae sectae protestativis.*

Fidem implicite negant, falsamque sectam profiteri censentur, qui utuntur vestibus, aut signis sive ex lege, sive ex consuetudine institutis ad ministrum, aut professorem falsae sectae designandum; licet nemo dubitet, licere uti vestibus, quae sunt peculiares nationi, vel patriae, in qua Infideles commorantur absque ullo ad religionem respectu. Nam, tametsi usus talium vestium absolute, et ex natura sua indifferens sit; posito tamen, quod vestes institutae fuerint ad falsam religionem protestandam, jam in communi hominum aestimatione falsam religionem significant, itaut omnes, qui hisce indumentis indutum cernunt, statim judicent, ipsum talem, aut talem sectam profiteri, qualem vestimenta produnt.

VI. *Qui Templa ingrediuntur infidelium, non peccant contra fidem.*

Haud peccant contra suae religionis professionem Christiani, qui templa ingrediuntur Infidelium, Judaeorum, aut Haereticorum. Hujusmodi enim ingressus protestatio religionis non est, ut ex consuedine et usu commune constat. Unde si qui Infidelium Templa ingrediantur, inque ritibus, ac caeremoniis non communicent, nec ullum impendeat subversionis periculum; non est, cur ex hoc capite alicujus peccati contra fidem damnandi sint. Si tamen Princeps aliquis haereticus publico aedicto injungeret omnibus subditis suis frequentare haereticorum Templa, eorumque precibus, coetibus, et concionibus interesse; parere minime debecent Catholici, qui in ejus ditione versantur. Hinc quum Rex Angliae sub initium saeculi praecedentis talem frequentiam Catholicis praecepisset, interrogatus Paulus V. an id ipsis liceret, re cum doctissimis Theologis communicata, respondit anno 1605. in haec verba: *Zelo pastoralis officii nostri impulsi, et pro paterna sollicitudine, qua de salute animarum vestrarum assidue laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad Templa Haereticorum accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis haec facere sine detrimento divini cultus, ac vestrae salutis.*

CAPUT IV.

De vitio fidei opposito, scilicet Infidelitate.

I. *Infidelitas duplex est*, negativa, *et* contraria: *Et an peccatum gravissimum.*

Vitium fidei oppositum infidelitas est. Duplicem ex D. Thom. 2. 2. q. 10. distinguere oportet infidelitatem: aliam, quae mere *negativa*

est, et in his locum habet, *qui nihil de fide audierunt*, seu quibus fides satis proposita non est; et haec non est peccatum, sed peccati poena ex peccato primi parentis profecta: adeoque qui hujusmodi infidelitate, seu ignorantia divinorum laborant. *damnantur quidem*, inquit S. D. *propter alia peccata, quae sine fide remitti non possunt; non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.* At infidelitas *contraria* (ad quam aliqui revocant etiam *privativam*) semper peccatum est; et in eo consistit, quod aliquis repugnet fidei, seu fidei veritati sibi sufficienter propositae.

Hoc peccatum infidelitatis, quamvis non sit peccatorum maximum relate ad peccata, quae opponuntur aliis virtutibus Theologicis, ac praesertim charitati; gravissimum tamen est, ac *majus peccatis omnibus, quae contingunt in perversitate morum*, ait S. Thom. a. 3. ad 2. Subdit vero: *Ex parte autem ignorantiae habet aliquam rationem excusationis, et maxime quando aliquis ex malitia non peccat.* Idque asserere possumus de quibusdam simplicioribus; ac rudioribus maxime inter haereticos, qui renituntur quidem veritati fidei catholicae, et in hoc graviter peccant, sed tamen id non agunt *ex malitia*, sed ex sola ignorantia, licet vincibili, et culpabili.

II. *Tres infidelitatis species, et quaenam gravior.*

Tres assignari communiter solet infidelitatis species; nempe *Paganismus*, *Judaismus*, et *Haeresis*, ad quam reducitur *Apostasia*; quemadmodum Atheismus, et Mahometismus ad Paganismum. *Quum peccatum infidelitatis*, ait S. Th. q. 10. art. 5, *consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere dupliciter: quia aut renititur fidei nondum susceptae; et talis infidelitas est* Paganorum, *sive* Gentilium. *Aut renititur fidei Christianae susceptae: et hoc vel in figura; et sic est* infidelitas Judaeorum: *vel in ipsa manifestatione veritatis*, et sic est infidelitas Haereticorum. *Unde in generali possunt assignari tres praedictae species infidelitatis.*

Ex tribus hisce infidelitatis speciebus definit S. D. art. 6., simpliciter graviorem esse infidelitatem *Haereticorum*, quam *Judaeorum*, et *Judaeorum*, quam *Paganorum*, si culpa infidelitatis spectetur ex hoc, quod renititur fidei. Major namque culpa est reniti fidei susceptae, quam nondum susceptae; et major reniti fidei susceptae in manifestatione veritatis, quam in figura. Addit tamen, graviorem esse infidelitatem Paganorum, quam aliorum, prout scilicet consideratur corruptio eorum, quae ad fidem pertinent: quia in pluribus errant Gentiles, quam Judaei, et Judaei, quam Haeretici.

III. *An liceat, cum infidelibus disputatio.*

Circa disputationem de fidei veritatibus fidelium cum infidelibus, controversia est circa rectam intelligentiam Canonis Alexandri IV. Cap. *Quicumque* tit. de Haereticis, ubi S. Pontifex prohibet, *ne cuiquam laicae personae liceat publice, vel privatim de fide Catholica disputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur:* quid nempe veniat nomine *personae laicae*. Et quidem frequentior apud Theologos expositio est, quod significet personam *saecularem*, prout contrapponitur *Ecclesiasticae:* Sed alii sunt Viri doctissimi, qui contra sentiunt, eo vocabulo *illiteratam* personam intelligi; quia sic ferebat usus latinae linguae temporibus, queis prae-

fatus Canon aeditus est, ut ita personae quaevis etiam ecclesiasticae rudes, et indoctae nominarentur: idque probat pluribus exemplis Ludovicus Antonius Muratorius sub nomine Lamindi Pritanii in Opere: *Riflessioni sopra il buon gusto* p. 2. cap. 7.

In hanc et ego sententiam proclivior sum, quia graviora mihi videntur illius fundamenta. Quidquid tamen sit, quum hujusmodi disputationes de fidei Mysteriis cum infidelibus, praesertim publicae rarissime probandae sint: ex iis namque nulla plerumque consequitur utilitas; si tamen eventus contingat aliquando, ut vel necessitas poscat, vel magna utilitas merito sperari valeat, puta si infidelis conaretur alios avertere a fide, nec adesset persona ecclesiastica, quae ejus sophismata dissolveret; tunc saecularis doctus posset, quin et deberet hoc officium assumere, et infideles sive privatim, sive etiam publicae de errore convincere, ac fideles in fide confirmare. Tunc enim lex ipsa naturalis urgeret, ut juxta Apostoli verba *eos qui contradicunt*, *argueret*, et fidelibus periclitantibus opem ferret etiam disputando, et veritatem fidei defendendo.

IV. *Communicatio cum infidelibus, quando illicita.*

Non licet etiam quibusdam in casibus cum infidelibus communicare. Nam praeter communicationem in ritibus, et in cultu superstitioso, quam nunquam habere fas est cum infidelibus, sunt casus aliqui, in quibus Ecclesia canonico jure eamdem vetuit praesertim cum Judaeis communicationem. Et hi praecipui sunt: nimirum ne Christiani cum Judaeis habitent, comedant, simul laventur in balneo, ipsis famulatum praestent, multoque magis se ipsis tamquam servos, aut mancipia subjiciant, ne ad morbos curandos adhibeant, aliaque hujusmodi, in quibus legitimae apud Christianos observandae sunt consuetudines; maximeque attendendus spiritus Ecclesiae praecipientis, qui eo tendit, tum ut subversioni praecaveatur periculum, tum etiam ne honor, ac dignitas Christianae Religionis violetur, aut ullo modo laedatur.

V. *Num infideles, ad fidem sint compellendi.*

Circa eam controversiam, num infideles ad fidem sint compellendi, de qua agit S. Th. quaest 8. art. 8. duplex infidelium genus cum ipso distinguendum est. Alii namque sunt, qui fidem nunquam susceperunt, ut Pagani, Mahometani, ac Judaei, et hujusmodi nullatenus ad fidem compellendi sunt, ut ipsi fidem complectantur, et credant: *quia credere voluntatis est*; et coactio non est legitima, nisi quis jurisdictione gaudeat in eos, qui coguntur. Porro nec Ecclesia, nec Christiani Principes jurisdictione gaudent in voluntatem praedictorum infidelium. *Sunt tamen*, subdit S. Doctor, *compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus.* Sed alii sunt infideles, qui fidem Christi jam susceperunt, ut sunt Haeretici, et Apostatae. *Et tales*, inquit S. Th. *sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt, et teneant, quod semel susceperunt.*

VI. *Notio Haeresis.*

Nunc de *Haeresi* distinctius agendum. *Haeresis*, prout hoc nomen in praesenti sumitur, scilicet pro specie quadam infidelitatis, qua *quis fidem Christi profitetur, sed ejus dogmata corrumpit*; definiri

frequentius solet: *Error intellectus voluntarius, et pertinax contra aliquam veritatem fidei Catholicae in eo, qui fidem recepit.* Error dicitur *intellectus*, quia sicut fides ad intellectum pertinet, sic et haeresis, quae fidei opponitur. *Voluntarius*: quia sine voluntate nullum peccatum est. *Pertinax*; quae particula maxime propria est haeresis, ac significat *electionem constantem*, sive obstinatam in errore deliberationem. Demum error iste ut haeresis dicatur, *in eo* sit oportet, *qui Catholicam fidem recepit.* Qui enim fidem nunquam recepit, non haereticus, sed Judaeus, Paganus, seu Mahumedanus dicendus est, cujus infidelitas ad aliam duplicem speciem jam expositam spectat.

VII. *Pertinacia quid sit.*

Ex doctrina D. Th. hic q. 11. art. 2. amplius declarandum censeo, in quo consistit *pertinacia*, quae propria est haeresis. *Non judicatur*, inquit, *aliquis haereticus*, *nisi adeo pertinaciter perseveret*, *quod ab errore non recedat*, *etiam viso*, *quid ex hoc sequitur.* Ut si quis negaret, Isaacum fuisse Abrahae filium, ac persisteret in negando, quamvis ipsi ostenderetur id contineri in Scriptura, quam Ecclesia ut verbum Dei proponit. Quare nemo haereticus proprie, ac formaliter dici potest, nisi qui pertinaciter assentiri recusat vel articulo alicui fidei, vel veritati in Scriptura contentae, quam ipsi Ecclesia proponit: nec ab errore recedere vult etiamsi videat ex hoc consequi, vel Scripturam non esse verbum Dei, vel decipi Ecclesiam in veritate, sive dogmate proponendo. Haec pertinacia illa est, quae proprie *haereticum* constituit; et sine hac *errans* quidem aliquis dici poterit, sed non *haereticus.* Neque vero haec pertinacia in eo sita est; quod quis errorem suum acriter, mordicusque defendat; sed hoc satis est; quod aliquis sciens, et volens repugnet Catholicae fidei sibi sufficienter propositae. Sufficienter autem veritas Catholicae fidei proponitur ei, qui sibi conscius est, se sentire contra id, quod Ecclesia Catholica tenet, et fide certum proponit; nec tamen illi veritati vult submittere sensum suum, sed in suo errore persistit.

VIII. *Explicatur illud axioma:* dubius in fide, haereticus est.

Ex his haud difficile mihi videtur quaestionem solvere, num haereticus censendus sit, qui assensum quidem non praestat errori alicui fidei veritati contrario, sed solum dubitat de eadem. Et quidem veluti axioma circumfertur. *Dubius in fide haereticus est;* sed nihilominus distinctione indiget, et explicatione. Quaedam namque dubitatio est, quae ortum ducit ex mera ignorantia: veluti quum quis ideo dubitat de aliquo fidei dogmate, eo quod nescit, num sit necne ab Ecclesia definitum. Quaedam ex tentatione, aut mentis infirmitate nascitur, ex qua, licet quis non ignoret quidpiam esse definitum ab Ecclesia, vel ad fidem pertinere; quia tamen contrariis argumentis pulsatur, nonnihil fluctuat, sive vacillat, sed absque perfecta advertentia, et voluntatis consensu. At quaedam etiam dubitatio est, quae provenit ex pravitate, et pertinacia: ut quando aliquis, postquam doctrina Catholicae veritatis est ei sufficienter proposita, sciens, et volens de illa dubitat, sive anceps haeret, num sit vera vel falsa.

Qui primo modo, vel altero dubitat, haereticus non est, immo ne mortaliter quidem peccat, si nec ignorantia culpabilis sit, nec dubitatio plene voluntaria: ut contingere solet in iis, qui scrupulis agi-

tantur, licet aliquando diu persistant, quantumvis ipsorum voluntas repugnet. Si autem ignorantia culpabilis fuerit, vel, manente voluntate credendi omnia, quae fides proponit, dubitatio minime repellatur, juxta negligentiae quantitatem veniale, aut mortale peccatum est; neque tamen *haeresis* dicenda erit. Quoniam, ut ait S. Thom. 1. ad Corinth. cap. 11. lect. 4. *electio*, quae propria haeresis est, *famam importat inhaesionem: et ideo haereticus dicitur, qui pertinaciter proprium errorem sectatur.* Superest tertius dubitandi modus, qui a pertinacia sejungi non potest, quum quis videlicet certo cognoscens veritatem aliquam a fide, sive ab Ecclesia proponi, vult nihilosecius in ea dubitatione persistere. In hoc, si rem metaphysice consideremus, dubitans de aliqua fidei veritate, si ita anceps fuerit, ut nullum eliciat assensum, vel dissensum, non est iste vere ac proprie dicendus haereticus, quia nullam adhaesionem habet ad objectum fidei contrarium, prout ad haeresim formalem requiritur. Sed quia contingere vix potest, ut aliquis pertinaciter dubitet de objecto ad fidem pertinente, quin judicium aliquod in animo reflexum ferat, quo judicet, res fidei non esse omnino certas, et infallibiles, sed dubias: non enim de ipsis dubitaret, si certas omnino esse crederet; ideo in praxi haeretici judicandi sunt omnes, qui pertinaciter dubitant de aliqua fidei veritate; meritoque Theologi, ac Judices Ecclesiastici tamquam haereticos hujusmodi habent.

IX. *Apostasia a fide, quid sit.*

Apostasia a fide definiri potest *recessus hominis baptizati a tota fide.* Quare Apostata ab haeretico distinguitur, quod hic aliquam Christianae fidei veritatem negat, sed alias admittit, et Christum, ejusdemque Religionem profitetur, aut profiteri jactat. Apostata autem universae Christianae legi, ejusque Authori Christo, quem professus fuerat, renunciat. Sive haeresis et apostasia specie differant, sive non (qua de re Theologi dissentiunt) exprimere omnino debet poenitens in Confessione, num simplex *haereticus* sit, num *apostata*, et ad quas sectas, recedendo a fide Christiana sese converterit, ad Judaismum, Mahometismum etc. Poenae eaedem jure communi decretae sunt Apostatis, et haereticis, ut liquet ex Cap. *Contra Christianos* de Haeret. in 6. Prudens tamen Confessarius graviorem poenitentiam injungere debet apostatae, quam haeretico: illius quippe peccatum gravius est.

X. *Quid apostasia ab Ordine.*

Praeter apostasiam a fide, quae omnium gravissima est, duplex alia admittenda est, nimirum *ab Ordine*, et *a Religione.* Apostasia *ab Ordine* in eo posita est, quod quis sacro jam Ordine initiatus clericalem habitum deserit, ut laicali more vivat. Hinc apostata non est, qui solum recedit ab Ordinibus non sacris, sive minoribus, tametsi et habitum Ecclesiasticum dimittat, at uxorem accipiat; sed solum qui deserit statum, in quo per sacri Ordinis susceptionem collocatus est, et ad divinum servitium, et castitatem voto, vel lege Ecclesiastica mancipatus. Is incurrit poenas in jure statutas. Quamdiu enim in hac apostasia persistit, ex Cap. *Alieni*, 2. q. 7. *infamis* declaratur. Ad dignitatem, vel Ordinem promoveri non potest; et si uxorem ducat, ipso facto excommunicationis censura innodatur, ut ex Clementina unica *de Consanguineis, et affin.*

XI. *Quid apostasia a Religione.*

Apostasia *a Religione* est recessus a statu Religioso, quem quis professus est, ad statum vitae saecularis, dimisso habitu Religionis, vel cum animo ad illam non redeundi. Quia tamen non omnis hoc ipso solum, quod habitum religiosum exuat, statim efficitur *apostata*, propterea ad clariorem hujus apostasiae intelligentiam quaedam subjicio. Illud primo certum est apostatam esse, et excommunicationem incurrere ex cap. *Ut periculosa*, tit. *Ne Cler. vel Mon.* in 6., qui absque legitima authoritate dimittit habitum Religionis approbatae, quam professus est cum animo excutiendi jugum obedientiae regularis. Dico *cum animo excutiendi Religionis jugum*; quoniam si is qui vel habitum dimittit, vel a Religione recedit, non tamen cum intentione deserendi statum religiosum, ipsamque Religionem, sed ex aliqua vanitate, aut temeritate, graviter quidem peccat, at juxta gravium Doctorum sententiam *apostata* dicendus non est.

Communior, ac verior sententia videtur, quae docet, spectato saltem jure communi, non incidere in excommunicationem latae sententiae, qui licet Religionem deserat, habitum tamen suae Religionis non dimittit. Siquidem nullum extat jus commune, quod hanc poenam ipso facto incurrendam decernat. Nam cap. cit. *Ut periculosa*, non aliis Religiosis excommunicationem infligit, nisi eis, qui suae Religionis habitum temere dimittant: neque jus aliud aut offertur, aut afferri potest. Dixi tamen: *spectato jure communi*. Quoniam aliquae Religiones privilegio gaudent, quo earum apostatae ipso facto excommunicationem incurrant, quamquam Religionis habitum non dimiserint.

E contra vero in excommunicationem latae sententiae incidunt ex cap. cit. qui suae Religionis habitum temere dimittunt, quamvis cum animo reassumendi illum, et permanendi in Religione. Censetur autem *temere* habitum dimittere, qui sic habitum exuit absque caussa ulla rationabili, ut et mortaliter peccet, et juxta communem hominum sensum dici queat habitum dimisisse. Unde hanc censuram non incurrit, qui propter defensionem vitae, vel famae suae, vel proximi, aut ad grave scandalum devitandum, aut etiam ex quadam levitate etc. habitum ad breve tempus dimittit.

XII. *Haereticorum poenae.*

Poenae, quibus mulctantur haeretici, duplicis generis sunt: aliae namque sunt *temporales*; aliae *spirituales*. Temporales infliguntur a Catholicis Principibus qui tamquam Fidei Protectores, atque custodes ad fidem in propriis ditionibus incolumem conservandam in eos, qui ipsam corrumpere moliuntur, easdem constituerunt: et hae, quum a Principum arbitrio pendeant, non eadem constitutae apud omnes fuerunt. Frequentius tamen his poenis puniri solent. 1. confiscatione bonorum; 2. incapacitate ad publica officia obtinenda; 3. privatione jurisdictionis temporalis; 4. etiam poena mortis. Poenae spirituales, quas Ecclesia solum infligit, sunt 1. excommunicatio major, quam plures SS. Pontifices sibi reservarunt; 2. privatio Ecclesiasticae sepulturae. 3. irregularitas; 4. privatio jurisdictionis Ecclesiasticae, sicut etiam aliarum dignitatum, honorum, et officiorum Ecclesiae 5. Inhabilitas ad omnia beneficia: quae poenae omnes constitutae sunt in variis Canonibus.

XIII. *Triplex Haereticorum genus; quinam ex istis poenas incurrant.*

Porro haeretici distinguendi sunt. Alii namque sunt pure mentales, qui mente haeresim concipiunt, eique pertinaciter inhaerent; sed nullo exteriore signo errorem suum manifestant. Hi vere quidem haeretici sunt; sed non ideo excommunicationem incurrunt; adeoque a quolibet Confessario absolvi possunt. Neque enim hoc peccatum reservatum est aut ratione sui, aut ratione censurae, quam nullam habet adnexam. Alii dicuntur haeretici solo actu externo, qui scilicet aliquid exterius quidem vel faciunt, vel proferunt, quod haeresim praefert, sed interius ipsi non assentiuntur, et acquiescunt Ecclesiae judicio. Et hi quoque non incurrunt excommunicationem, aliasque poenas Ecclesiasticas, et a quolibet Confessario absolvi queunt. Hi enim revera non sunt haeretici, contra quos tantum inflictae sunt illae poenae, quamquam qui hoc peccatum committit in foro externo, pro haeretico facile reputetur.

Alii vero haeretici sunt, qui et animo haeresi assensum praestant, et aliquo signo externo eam produnt, quamvis occulto. Et hi procul dubio excommunicationem reservatam incurrunt latam per Summos Pontifices Innocent. III, cap. *Excommunicamus*, tit. de Haeret., et Honorium III. cap. *Noveritis* de sentent. Excommunicat. Dixi *quamtumvis occulto*; quoniam ad hanc excommunicationem incurrendam non est opus, ut haereticus haeresim suam aliquibus manifestaverit; sed satis est, quod illam verbo, scripto, nutu, vel signo aliquo prodiderit etiam, nemine aspiciente, aut audiente, ut si de haeresi sua cogitans ita loquatur: *Non sunt tres Trinitatis Personae*; aut *Christus vere non est in Eucharistiae Sacramento* etc. Hujusmodi quippe haeresis jam ad forum externum pertinet, et quamvis probari non possit, quantum tamen de se est, exterioris fori judicio subjicitur. Animadvertere tamen oportet, non omne signum externum sufficere, ut aliquis interiorem haeresim suam prodidisse dicatur: sed tale omnino requiritur, et sufficit, ut, spectatis circumstautiis, satis exprimat conceptum mentis, sive haeresim mente conceptam.

XIV. *Prohibitio librorum haereticorum duplex.*

Nunc de prohibitione librorum haereticorum pauca. Prohibitio legendi haereticorum libros alia est ex jure ipso naturali: alia ex jure humano positivo. Prima obstringit omnes illos, qui ex librorum lectione subversionis fidei periculum sibi imminere prudenter timent, mentemque suam gravibus adeo tentaminibus concuti sentiunt, ut in probabile saltem dubitandi de fide discrimen adducantur. Unde hujusmodi libros legentes, etiam habita quoscunque legendi facultate, graviter peccant.

Alia prohibitio legendi libros haereticorum, aliosque oritur ex jure humano positivo, sive ex authoritate Sedis Apostolicae, sive alia legitima authoritate. Et haec obligat omnes, quibus peculiaris legendi facultas concessa non est. Legem hanc justam esse quis in dubium revocet? Nam lectio librorum haereticorum, aliorumve periculi plena est relate ad quoscunque indoctos homines, qui saepe propter eam inficiuntur, et corrumpuntur in fide. Nemo igitur, qui facultate non fruatur obtenta ab authoritate legitima, absque peccato libros hujusmodi legere potest: praeceptum enim legitimi Superioris obligat in conscientia.

Vi tamen hujus prohibitionis non interdicuntur nisi ii libri, qui in decretis sunt expressi, adeoque in ea non comprehenduntur libri Judaeorum, Mahumetanorum, aut Ethnicorum, nisi quandoque eorum aliqui exprimerentur. Communis quoque inter authores sententia materiae parvitatem admittit in illorum lectione; quae tamen definiri vix potest, quum hoc pendeat ex pluribus circumstantiis, scilicet ex conditione legentis, ex periculo seductionis, ex qualitate controversiae, et ex ipsa materia, quae legitur.

Consectaria.

I. *Infideles, admittendi non sunt ad inspiciendas functiones sacras.*

Infideles communiter admittendi non sunt ed eas inspiciendas sacras functiones; quae propriae sunt Religionis Christianae, puta ad Missae Sacrificium: quoniam nullum plerumque fructum ex hoc percipiunt, sed potius eas contemnendi, aut deridendi occasionem sumunt. Hinc ex antiqua consuetudine Catechumeni admitti quidem solebant ad Conciones, et preces, ac Missam, quae dicebatur Catechumenorum tamquam Christianae Religionis candidati; non autem ed sacratiora Mysteria consecrationis Corporis et Sanguinis Domini, Communionis etc.

II. *Quaenam communicatio cum infidelibus vetita sit.*

Quum plures sint casus, in quibus ex jure humano interdicta est communicatio Christiani cum infideli, nec ubique aeque obtinueriut; ideo in eorum observantia, attendenda est regionum, et locorum probata consuetudo, maximeque inspiciendus est spiritus, ac intentio legis ejusmodi communicationem prohibentis. Sic in primis, dum prohibetur cohabitatio fidelis cum infideli, ea intelligenda potissimum est, quae veram praefert societatem, ac familiaritatem. Quare vetitum Christianis non est habere in servum aliquem Judaeum, ut colligitur cap. *Judaei* de Judaeis. Nam servitus contemptionem prodit; intimam vero in eadem domo familiaritatem vetat, ut Christianae Religionis dignitas conservetur. Haec tamen prohibitio non extenditur ad Saracenos, aliosque Gentiles, quos propterea nedum servos habere licet, sed et in propriis domibus detinere.

III. *Comestio azymorum, vetita est duntaxat si fiat ritu Judaico.*

Dum Christianis prohibetur ab Ecclesia comedere Judaeorum azyma, hoc intelligi debet de comestione azymorum ritu Judaico, sive de azymis, prout sunt ad falsam Religionem profitendam instituta. Ceterum comestio ezymorum vel ad famem exaturandam, vel ad alium finem interdicta non est: idque patet ex plurium Christianorum consuetudine edendi azyma; quam nemo peccati condemnat. Item quum lege humana prohibitum sit Judaeos ad convivia vocare: haec lex intelligitur de conviviis in proprio sensu acceptis, quae nempe in symbolum amicitiae, et familiaritatis condicuntur, quaeque instrui solent singulari apparatu, ut dum celebrantur nuptiae, vel intimiores amici invitantur. In iis itaque nedum convivari, sed etiam choreas ducere, ludos, ac jocos cum Judaeis in his circumstantiis exercere interdictum est. Pariter dum a Sacris Canonibus, et a S. Pio V. prohibetur Christiani, ne Medicos Judaeos ad suos morbos curandos accersant, id intelligi debet, nisi gravis urgeat necessitas, et non suppetant Medici Christiani, qui ad eorundem curam aeque

idonei sint. Seclusa ergo necessitate, et praecisa contraria consuetudine, de qua mihi non constat, vocandi non sunt.

IV. *Non est haereticus qui vere paratus est, se judicio Ecclesiae submittere.*

Nemo est, et existimari oportet *formaliter* haereticus, quamdiu non ficte, sed ex animo paratus est judicium suum submittere judicio Ecclesiae. Hinc errantes in aliquo fidei dogmate, seu veritate ex aliqua ignorantia nedum invincibili, sed etiam vincibili, et moraliter culpabili, animo tamen parato ad ea omnia credenda, quae credit Ecclesia, si eis ab Ecclesia tamquam dogma proponeretur, dicendi non sunt formaliter haeretici: quia licet error ipsorum voluntarius sit saltem indirecte, adeoque peccatum non evitent, haud errant tamen cum pertinacia, quae ad haeresim proprie dictam constituendam requiritur. Ex quo colligere oportet, haud raro contingere, ut aliqui errent in quibusdam opinionibus, quin tamen *formaliter* haeretici dicendi sint. Hoc plerumque locum habet in rusticis, et mulierculis, qui plures errores in animo fovent, ob quos licet saepe lethaliter peccent propter culpabilem negligentiam in addiscendis fidei veritatibus, quas scire tenentur, non tamen haereticis adnumerandi sunt, defectu *pertinaciae*, quod nimirum prompti sint ad eos repudiandos, dum Ecclesiae fides iisdem innotescat.

V. *Alii recensentur, qui inter haereticos numerandi non sunt.*

Haeretici pariter dicendi non sunt, qui negant doctrinam, aut propositionem aliquam, quam plures quidem Catholici Doctores contendunt definitam esse ab Ecclesia, sed alii non minus Catholici negant non ex mero arbitrio, sed solidis fundamentis innixi. Siquidem hoc in casu definitio sufficienter proposita non est. Multo minus haeraetici sunt, qui aliquam veritatem impugnant, quam quidem plures credunt esse a Deo revelatam, sed nulla prodiit adhuc de ea Ecclesiae definitio, cui se submittere parati sunt. Contra vero haeretici formaliter existimandi sunt, qui judicium suum Ecclesiae definitioni submittere renuunt, nisi prius argumentis convincantur vel ex ratione, vel etiam ex Scriptura, aut Traditione depromptis. Hi namque *pertinaces* dicuntur in proprio judicio, quod judicio Ecclesiae submittere nolunt.

DISSERTATIO II.

De secunda virtute Teologica scilicet de spe.

CAPUT I.

De natura, et indole spei Theologicae.

I. *Spei Theologicae, definitio.*

Spes quandoque generatim sumitur pro expectatione rei futurae, quaecunque illa sit, sive bona, sive mala. Unde est illud Judith. cap. 13. *Sperabant, eam non esse venturam.* Sed haec acceptio minus propria est. Magis proprie sumitur pro expectatione boni futuri: propriissime vero pro expectatione boni futuri ardui, et sensibilis; et sub hac ratione est *passio animi*: ac demum pro expectatione boni

supernaturalis, prout eam summus in praesenti. Itaque spes hoc postremo modo accepta definiri potest: *Virtus Theologica, qua erigitur animus ad sperandam a Deo aeternam beatitudinem ejus auxilio obtinendam.* Esse virtutem Theologicam ostendit S. Th. hic q. 17. art. 5. » Spes, inquit, habet rationem virtutis ex hoc, quod attingit » supremam regulam humanorum actuum; quam attingit et sicut » primam caussam efficientem, in quantum ejus auxilio innititur, et » sicut ultimam causam finalem, in quantum in ejus fruitione beati- » tudinem expectat. Et sic patet, quod spei, in quantum est virtus, » principale objectum est Deus. Quum ergo in hoc consistat ratio » virtutis Theologicae, quod Deum habeat pro objecto, manifestum » est, quod spes est virtus Theologica ». Ceterae definitionis particulae patebunt ex iis, quae mox subjiciemus. Interim in quo virtus haec Theologica a duabus aliis, quae Deum pariter respiciunt, distinguatur ex eodem S. Doctore adnotemus.

II. *Discrimen spei ab aliis duabus virtutibus Teologicis.*

Totum discrimen ex diverso respectu oritur, sub quo tres istae virtutes in Deum feruntur. Nam fides Deum considerat, eique inhaeret tamquam principio, quo certo cognoscimus rerum veritatem: charitas respicit Deum in semetipso, efficitque, ut ei adhaereamus tamquam bonitati infinitae in seipsa. At verò spes tendit in Deum tamquam principium bonitatis communicabilis creaturae, adeoque ut principium, quod, dum suam bonitatem communicat, creaturam felicem, atque beatam reddere valet.

III. *Objectum spei.*

Objectum spei Theologicae aliud *primarium* est, et principale, aliud *secundarium*, et *instrumentale*. Primarium est bonum divinum, sive felicitas aeterna, quae a Deo, ejusque summa bonitate non distinguitur; caetera vero ad objectum spei *secundarium* pertinent, *quae scilicet petuntur a Deo*, ait S. Th. q. 17. art. 2. ad 2. *in ordine ad beatitudinem aeternam.* Verum ut hoc objectum, quod est divina increata bonitas, spei Theologicae speciem tribuat, necesse est, ut proponatur tamquam possibile, futurum, et arduum. Quoniam si bonitas divina beatificans proponatur ut *impossibilis*, jam evadit objectum *desperationis*, si ut *praesens*, non est objectum *spei*, sed *gaudii*, si ut *facilis*, esset objectum *desiderii*. Ut igitur objectum spei sit, proponi debet tamquam *possibilis*, *futura*, et *ardua*.

IV. *Explicatur* arduitas, *objecti spei.*

Sed mirum plane est, quanta sit opinionum inter Theologos discrepantia in hac explicanda *arduitate*, quam convenire beatitudini oportet, ut sit objectum spei. Missis plurimorum plerumque valde dissonis sententiis, legitimam *boni ardui* notionem repetendam duco ex doctrina S. Th., quae duo complectitur; ipsam nempe beatitudinem aeternam, et labores, molestias, atque perplexitates, sine quibus eadem comparari non potest, ac propterea veluti pretiosior efficitur. Ejus verba habentur lib. 3. sentent. dist. 26. q. 1. art. 2. ubi ait: *Difficile, vel arduum addit quamdam specialem rationem bonitati, scilicet pretiositatem ex hoc ipso, quod non de facili habetur, sicut dicitur: Omne rarum carum.* Quae expositio conformis est locutionibus Sacrae Scripturae, et Sanctorum Patrum. Non eadem tamen occurrunt homini-

bus sperantibus impedimenta, quae, spe elevante animum, vinci debeant; sed varia sunt difficultatum genera pro vario sperantium statu. Patent aerumnae plures, inter quas vitam nos ducimus, concupiscentiae effraenes, tentationes multae, occasiones obviae, incertitudo salutis, quibus difficillimam, ac molestis circumseptam effici beatitudinis consecutionem nemo non videt. Porro ubi deficiunt molestiae, labores, et anxietates, spes nulla proprie dicta locum habet. Unde Beati in patria futuram corporis gloriam expectantes magis eam desiderare, quam sperare dicuntur.

V. *Ratio, sub qua, spes Theologica, proprium attingit objectum.*

Etsi in assignanda ratione, *sub qua* spes Theologica attingit objectum, aeternam scilicet beatitudinem, non eadem sit apud omnes opinio; communis tamen, et certa existimanda est Thomistarum sententia, quae illam collocat in Dei omnipotentia auxiliante nos ad assequendam beatitudinem; quae tamen non excludit divinas alias perfectiones, quae spem nostram omnino firmam faciunt: nimirum divinam misericordiam, a qua imperatur, ac divinam fidelitatem, quae in promissis suis decipere neminem potest. Consentanea est haec doctrina divinis Scripturis, ut illi Isai. cap. 26. textui: *Sperastis in Domino . . . . in Domino Deo forti in perpetuum.* Atque rationi; omnipotentia enim Dei auxiliantis, sive auxilium Dei adjuvantis motivum est, cur speremus aeternam beatitudinem. Si enim ab aliquo quaeras, cur, aut unde speret aeternam assequi beatitudinem, quae tam ardua est: Respondebit: *Tantum bonum assequi spero: quia, tametsi arduum illud sit, attamen innitor auxilio divino, sive omnipotentiae Dei auxiliantis, quae me potest ad tantum bonum infallibiliter perducere.* Qua responsione proprium suae spei motivum, rationemque *sub qua*, sive adaequatam caussam assignabit.

VI. *Motivum formale spei* secundarium.

Quamquam vero formale motivum Theologicae spei sit ipsa omnipotentia Dei ex sua misericordia gratiae auxilia elargientis, quibus ad aeternam vitam perducimur; id tamen intelligi debet *de motivo formali primario:* neque enim excludimus motivum aliud *secundarium*, quod in suffragiis Sanctorum, ipsisque in primis meritis Christi Domini, ac etiam nostris fundatur, queis veluti mediis Deus auxilians perducit nos ad beatitudinem. Hinc homines justi pro bonis operibus, quae in Deo facta fuerint, exspectare et sperare possunt aeternam beatitudinem. Haec doctrina, quam definivit Concil. Trident. sess. 6. cap. 26. nititur Scripturis, et Patrum traditione. Tobiae cap. 4. dicitur: *Fiducia magna erit coram summo Deo, omnibus eleemosynam facientibus.* Ex Patribus vero S. Jo. Chrysost. in 2. Epist. ad Corinth. *Optamus*, inquit, *ut etiam ex benefactis habeas fiduciam.* Similia alia Scripturarum et Patrum testimonia omitto. Ratione ipsa id comprobatur. Possumus namque iis in rebus spem nostram reponere, quae a Deo sunt ad nostram salutem ordinata. Ejusmodi autem sunt merita bonorum operum: ita nempe dispositum est a Sapientia, ac Providentia Divina, ut mediantibus operum nostrorum meritis aeternam salutem obtineamus; adeoque in ipsis spem nostram collocare possumus veluti in mediis, causisque instrumentalibus ejusdem salutis.

CONSECTARIA.

I. *Confundendus non est amor spei, cum amore charitatis.*

Repudianda omnino plurium Theologorum sententia est, qui confundunt amorem spei cum amore charitatis. Deique amorem ut summi boni, et ultimi finis nostri vocant amorem spei minus perfectum. Existimant quippe amoris perfectioni obesse, quod Deus diligatur cum aliquo ad nos respectu, summi utique boni nostri, nostrique ultimi finis: adeoque perfectionem amoris in eo collocant, quod Deus diligatur praecise ut in se bonus est, atque perfectus. Nam vel sola verba, quibus nobis praecipitur in Scripturis primum, maximumque mandatum Legis de diligendo Deo, hanc sententiam falsitatis convincunt. *Diliges*, inquit, *Deum tuum ex toto corde tuo.* Quo mandato charitatis dilectionem praecipi, eodemque praecipi dilectionem perfectam, immo perfectissimam, quis in controversiam revocat? Porro ejusmodi dilectio non praecipitur absque ullo ad nos respectu: nam ipsa verba hunc clarissimi significant, dum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum;* quasi dicat: *Quia* ipse est Dominus Deus *tuus;* quia Creator *tuus:* quia principium *tuum*, et ultimus finis *tuus*: quia Benefactor *tuus*, omne bonum *tuum*: quae plane absque relatione ad nos intelligi nequeunt.

II. *Quid hac in re, Pastoribus curandum.*

Quoniam spei Theologicae objectum est aeterna beatitudo, et ea quae in ipsam ordininantur, enixe curandum animarum Pastoribus est, ut fideles, dum actus spei eliciunt, in eam potissimum tendant, ac caetera omnia, quibus ad ipsam pervenimus. Nam, tametsi etiam bona temporalia a Deo petere liceat, ac sperare, eadem nos a Deo assecuturos; nisi tamen haec in aeternam beatitudinem ordinentur, ad objectum Theologicae spei non pertinent. Quare frequenter fideles suos admoneant, ut ita temporalia bona a Deo petant, quod aeternis obtinendis obfutura non sint, sed profutura, Christumque Dominum audiant in Evangelio inculcantem: *Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus; et haec omnia adjicientur vobis*, si ad aeternae salutis consecutionem expedient.

III. *Confidere magis oportet in Divina Misericordia, quam in meritis nostris.*

Confidere quidem possumus etiam in meritis nostris, sive in bonis operibus, quae in Deo facta fuerint, nos assecuturos aeternam retributionem. Verumtamen magis, ac potissimum confidere semper in divina misericordia, et bonitate, et in meritis passionis Christi Redemptoris nostri. Illud quoque cavere debemus, ne meritis nostris plus nimio fidamus, vel nos justos esse certo existimantes, vel plura nobis arrogantes merita, vel nosmetipsos aliis praeferentes. Qui enim ejusmodi persuasiones animo fovent, facillime incidunt in laqueos Diaboli, et a timore salutari, ac ab humilitate excidentes, eadem ipsa, si quae reapse habent, merita, et gratiam amittunt, sine qua nullius sunt coram Deo aestimationis, atque valoris.

IV. *Spes, directe, solum respicit bonum ejus, qui sperat.*

Spes directe solum respicit bonum ejus, qui sperat; quia, ut habet S. D. hic art. 3. *Motus semper est ad proprium terminum proportio-*

natus mobili; bonum autem alterius non est proprius terminus speranti proportionatus. Consentit tamen Angelicus, quod si proximus spectetur ut nobis unitus, ac veluti unum quid factus nobiscum per amorem, consanguinitatem, aut simile aliud amicitiae vinculum, illi sicut et nobis ipsis, sperare possimus beatitudinem spe Theologica. Siquidem amor unit amantem, et amatum, et ex utroque unum efficit; itaut bonum unius alterius bonum reputetur: atque adeo quemadmodum amans sibi sperat beatitudinem, ita et alteri eamdem sperare potest.

CAPUT II.

De subjecto, ac necessitate spei, ac de timore.

I. *Spes Theologica in informem, et formatam dividitur.*

Spes Theologica unica quidem est specie virtus, quia unicum est ejus objectum formale, et formale motivum, quo in illud tendit; dividitur tamen accidentario, et ex adjunctis quibusdam, quemadmodum et fides, in spem *formatam*, et *informem*. Spes *informis* dicitur illa, quae est absque charitate justificante, ut in peccatoribus: spes *formata* et spes cum charitate justificante conjuncta, ut in justis. Spes informis *mortua* vocatur: quoniam a charitate sejuncta vel est absque motu, et actu, sicut corpus ab anima separatam, vel si quandoque operatur, opera ipsius, quamvis supernaturaliter bona sint, et ad justificationem disponant, viva tamen non sunt, nec aeternae vitae meritoria. Spes vero *formata* viva dicitur, quia charitas, quae eam format, est veluti vitalis spiritus vivificans, et in actu ponens sicut reliquas virtutes, ita quoque spem.

II. *Formata inest hominibus justis: Informis etiam in peccatoribus manet.*

Porro spes, et quidem formata, inest omnibus hominibus justis mortalem hanc vitam agentibus, quia charitas non est absque fide, ac spe, ceterisque supernaturalibus virtutibus, quibus vitam confert, non amittitur vero saltem informis a peccatoribus, qui eam in Baptismate receperunt, propter quodcunque peccatum, quod committunt; excepto tamen peccato desperationis, ac etiam praesumptionis presse dictae. Sicut enim in peccatoribus manet fides, ita et spes. Cognoscunt enim, praelucente fide, possibilem sibi esse beatitudinis assecutionem, si a via mala converti velint. Non manet vero in Beatis. In Patria enim non potest esse actus spei, qua hic respicit beatitudinem non habitam; adeoque nec habitus esse potest, quia habitus ordinatur ad actum. Neque est in damnatis: Nam *ad conditionem miseriae damnatorum pertinet*, ait S. Th. q. 18. art. 3., *ut ipsi sciant, quod nullo modo possint damnationem evadere ..... Unde patet, quod non possunt apprehendere beatitudinem ut bonum possibile; sicut nec beati ut bonum futurum. Et ideo neque in Beatis, neque in damnatis est spes.* Hinc ob rationem oppositam admittenda spes est in animabus justis, quae in poenis purgatoriis detinentur.

III. *Spem non amittunt, pueri in haeresi prognati.*

Circa infideles, et haereticos, compertum est 1., spem habitualem non amittere pueros in haeresi prognatos, quam in Baptismate rece-

perunt, si, retenta promptitudine credendi quidquid Ecclesia Catholica docet, per ignorantiam errant in quibusdam fidei dogmatibus. 2. Cathecumenos ab haeresi, et quacunque infidelitate venientes, si animo rejiciant quidquid in eorum sectis damnat Ecclesia, posse, Dei gratia favente, in actus fidei, et spei prodire, quibus credant, et sperent beatitudinem aeternam. 3. In aliis haereticis, et infidelibus, qui pertinaci voluntate fidei Catholicae sufficienter propositae reluctantur, spem Theologicam non inveniri: quoniam, sublato fundamento, quod est fides, ceteea omnia, quae superstructa sunt, corruant necesse est.

IV. *Certitudo spei Christianae.*

Inter praeclaras spei Christianae dotes praestantissima est certitudo aut firmitas, qua ipsa fruitur. Spes enim omnimoda certitudine, seu firmitate potitur: idque tamquam fidei dogma tenendum existimo. Perspicuis enim SS. Scripturarum authoritatibus haec veritas nititur, ut illud David: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Et: *in te speraverunt Patres nostri, speraverunt, et non sunt confusi.* Et illud Ecclesiast. cap. 2. *Scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est* etc. Ex quibus, et ex aliis hoc decretum inserendum putavit Synodus Trid. sess. 6. cap. 13. *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, et reponere omnes debent.*

At quamquam certa omnino sit spes christiana; nemo tamen de aeterna sua salute in hac vita securus est, nisi per divinam revelationem id alicui notum fiat. Ita eodem loco definivit Trid. Synodus: *Nemo de perseverantiae dono sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur*: quod pariter ex clarissimis Scripturarum textibus deduxit. Nam Sacrae Litterae passim monent, ac jubent, ut timeamus, ne a praesenti justitia, et futura excidamus beatitudine. Quo pacto utrumque consistat, spem esse certam, cum hoc timore conjunctam, haud difficile est explicare. Nimirum ex diversis principiis certitudo spei, ac timor de adipiscenda salute proficiscuntur. Nam si principia spectentur, quibus illa innititur, scilicet omnipotentia Dei, quam nihil impedire valet, veritas ejus, atque fidelitas, quae falli, ac fallere nescit, ac merita nostra, quae valorem certum obtinent, atque indefectibilem, prout sunt *Dona Dei*, ab ejusque gratia pendent, spes nostra certissima, ac firmissima est. At vero merito merita haec pendent etiam ex libero arbitrio, cujus sunt opera; eademque hoc modo sumpta defectum habere possunt juxta conditionem arbitrii, quod in malum vertibile est. Unde spes, quae certitutidinem trahit ex propriis principiis, defectum pati potest in subjecto, cui inest.

V. *Spes est necessaria, necessitate medii.*

Ad spei necessitatem quod attinet, assero in primis, actum spei in adultis necessarium esse necessitate *medii* ad justificationem, et salutem. Illud enim hoc modo necessarium est ad justificationem, et salutem, sine quo utraque obtineri non potest. Quod autem neutra sine spe obtineri valeant, constat ex iisdem momentis, quibus fidei necessitatem ostendimus. Siquidem, ut sapienter animadvertit S. Bern. serm. 10. in Psal. *Qui habitat*, *Germana fidei, speique cognatio est, ut quod illa futurum credit, haec sibi incipiat sperare futurum* .... *Dicit fides: parata sunt magna, et inexcogitabilia bona a Deo fideli-*

bus suis. Dicit spes: mihi illa servantur. Sicut ergo accedentem ad Deum credere oportet, *quia est;* quia poenitentibus peccata dimittit, deprecantes exaudit, inquirentibus se remunerator est, similiter eadem speret oportet, alioquin fides ejus inanis foret. Spes enim est dispositio necessaria tum ad peccatorum veniam obtinendam, ut aperte statuit Trid. Synodus sess. 6. cap. 6., tum ad coeteras gratias impetrandas.

VI. *Spes est necessaria, necessitate praecepti.*

Ex his sequitur, quod spes necessaria quoque sit necessitate *praecepti.* Illud enim, quod est necessarium necessitate *medii*, in adultis est quoque necessarium necessitate *praecepti:* quum omnis homo adhibere teneatur, quae ad assequendam salutem suam necessaria sunt. Sed praeterea divinum praeceptum de spe frequenter intonant Sacrae Scripturae. Psal. 65. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* Ecclesiast. 11. *Dirige viam tuam, et spera in illum.* Oseae 12. *Spera in Deo tuo.* Et Concil. Trid. de impiorum justificatione agens tum fidei, tum spei ad ipsam acquirendam actum necessarium esse definit. At non tantum spei actus eliciendi sunt ad donum justificationis obtinendum; verum etiam praeceptum divinum peculiare urget, quod spei actus quandoque elicere *per se* obligat, ut constat ex propositione 1. damnata ab Alexandro VII. *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actus fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum ad eas virtutes pertinentium.*

VII. *Quo tempore obliget praeceptum supradictum* per se, *et per* accidens.

Sed quo tempore hoc praeceptum obligat? Recolantur. quae superius dicta sunt de fide, deque obligatione *per se*, et *per accidens.* Eadem quippe de utriusque virtutis actibus eliciendis ratio ferme militat. Ex quibus certum 1. mihi est. *per se* teneri hominem Christianum saepe prorumpere in actus spei. 2. Hominem in primo suae rationis morali instanti debere sibi finem ultimum Deum praestituere, illi se devovere, omnem illi fidem, spemque, amoremque suum consecrare, ut consentiunt Thomistae, ac Theologi saniores. 3. Urgere hoc praeceptum, sicut et fidei, et charitatis in mortis periculo. 4. Saltem *per accidens*, quoties graves ingruunt tentationes contra spem, animusque desperationis motibus concutitur: ac etiam quum urget poenitentiae praeceptum: *Nemo enim bene potest agere poenitentiam, nisi speraverit indulgentiam*, ut inquit S. Ambrosius. Denique credunt aliquid (advertit Contensonius), eum, qui aliquoties per annum in fervidos spei actus prorumpit, hoc praeceptum adimplevisse. Ego vero crediderim, quo licet illi, qui in negotio salutis incuriosi sunt, et negligentes, vix de divinis cogitant, orationi non vacant, vitae interiori nullam operam navant, istud spei praeceptum non adimpleri merito censendi sint; illi tamen, qui e contra haud segnem rebus salutis diligentiam adhibent, piis exercitiis incumbunt, ad Deum crebro, et filiali affectu recurrunt, praeceptum istud adimpleant. Siquidem non illam adhiberent curam salutis, nisi vero spei motu cierentur.

VIII. *Non datur in hac vita status ita perfectus, qui excludat exercitium spei.*

Ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI., et ab Innocentio XII. in Decretis tum contra Michaelem de Molinos, tum contra Fenelonium Archiepiscopum Cameracensem editis, consequitur evidenter, semper locum esse spei Theologicae exercendae, dum in hac vita mortali degimus, hominemque in quocunque statu etiam excellentis perfectionis vitae spiritualis existat, non debere excludere abs se exercitium spei, sicut etiam timoris Dei. Propositiones duas hac de re damnatas, coeteris omissis ob oculos pono. Prima est in ordine XI. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso: nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis etc.* N. II. *In statu vitae contemplativae, seu unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris, et spei.*

IX. *Timoris plures species, enumerantur et explicantur.*

Timoris plures species distingui solent. Celebrior ea divisio est, quae traditur hic art. 2. a. S. Th. ex Magistro sent., qui dist. 34. cap. 4. ita docet: *Sciendum est, quatuor esse timores; scilicet mundanum, seu humanum; servilem, initialem, castum, seu filialem, sive amicabilem.* Humanus timor est, ut ait Cassiodorus, *quando timemus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi; propter quod delinquimus.* Hic timor malus est, eumque prohibet Dominus in Evangelio dicens: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Timor autem, *servilis,* ut ait Augustinus, est, *dum per timorem poenae continet se homo a peccato, praesentiam Judicis, ac poenam metuit; et facit quidquid facit non timore amittendi aeternum bonum, quod non amat, sed timore patiendi malum, quod formidat. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam.* Bonus est iste timor, atque utilis ad justitiam, tametsi se solo ad eam comparandam insufficiens. Huic succedit timor *initialis,* quando incipit amari, quod durum, ac molestum erat: atque ita incipit excludi timor *servilis* a charitate. Succedit demum timor *castus,* sive amicabilis, quo timemus, ne Sponsus tardet, ne discedat a nobis, neve illum offendamus, aut eo careamus.

CAPUT III.

De vitiis Christianae spei oppositis.

I. *Duplex vitium Christianae spei oppositum: Desperatio quid sit.*

Duo sunt vitia Theologicae, sive Christianae spei opposita, alterum *per defectum,* alterum saltem quadantenus *per excessum,* eo scilicet modo, quod virtus Theologica excessum habere potest: *Desperatio* nimirum, et *praesumptio. Desperatio est diffidentia obtinendi beatitudinem, et assequendi media ad illam necessaria.* Desperationem peccatum esse, et quidem gravissimum, quis dubitet? Sed num ceteris peccatis gravius sit, inquirit S. Th. hic art. 3. Coeteris peccatis, quae moralibus virtutibus opponuntur, gravius esse, spectata specie sua, et ipse, et ceteri Theologi consentiunt. Si autem compararetur cum iis peccatis, quae sunt duabus aliis virtutibus Theologicis

opposita, iis natura sua gravius non esse docet. Nam per odium Dei magis contemnitur divina bonitas, et per infidelitatem major injuria fit veritati divinae, quam per illam desperationem, quae non oritur ex infidelitate. *Sed si comparetur*, subjicit S. D., *ad alia duo peccata* (odium Dei, et infidelitatem) *ex parte nostra, sic desperatio est periculosior: quia per spem revocamur a malis, et inducitur ad bona prosequenda. Et ideo, sublata spe, irrefraenate homines labuntur in vitia, et a bonis laboribus retrahuntur.*

II. *Desperatio consistere potest absque infidelitate.*

Ex his sequitur, desperationem consistere posse, ac reapse saepius saltem, absque infidelitate consistere. *Aliquis*, ait S. Th. hic q. 20. art. 2., *retinendo in universali rectam aestimationem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest tamen pati motum desperationis; quod scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corrupta aestimatione ejus circa particulare. Et per hunc modum potest esse desperatio sine infidelitate, sicut et alia peccata mortalia.* Assentitur tamen in resp. ad 2., contingere interdum posse, quod desperatio sit cum infidelitate conjuncta; ut *si quis*, inquit, *in universali existimaret, misericordiam Dei non esse infinitam, esset infidelis:* aut crederet, *remissionem peccatorum haud fieri in Ecclesia.* Atque haec tota S. Th. doctrina diligenter a Confessariis attendenda est, dum ad ipsos accedunt peccatores, qui de venia criminum suorum desperant.

III. *Quid sit Praesumptio.*

Praesumptio, prout sumitur in praesenti est *temeraria confidentia consequendi beatitudinem, aut media ad illam necessaria.* Dicitur *temeraria*; nimirum vana, futilis, omnique fundamento destituta. Dupliciter *temeraria* esse potest: 1. ex eo, quod non innitatur divinae misericordiae, et omnipotentiae; sed humanis viribus, sive propriis, sive alienis. 2. quia inordinate confidit in divina misericordia, et omnipotentia: expectando videlicet, quae Deus nedum non promisit, sed se potius negaturum denunciavit.

IV. *Praesumptio, ex genere suo est peccatum lethale.*

Praesumptio ex genere suo peccatum est lethale, tum quia peccatum Theologicae virtuti contrarium, et in materia quidem gravissima, cujusmodi est beatitudo, et media ad illam perveniendi necessaria, nequit non esse lethale: tum quia in praesumptione gravis inordinatio, sive ad rectam rationem dissonantia relucet, prout est expectare aut justificationem absque poenitentia, aut gloriam absque meritis; quod ordinem pervertit a Divina Providentia constitutum. Veniale tamen quandoque erit *ob imperfectionem actus*, quemadmodum et in desperatione, et in aliis peccatis saepe contingit. Potest interdum praesumptio comitem habere infidelitatem, ut si quis existimet, Deum peccatoribus gratiam elargiri, tametsi poenitentiam non agant, aut gloriam sine meritis tribuere. At ut plurimum in Catholicis sine infidelitate invenitur, qui erroneas hujusmodi opiniones non habent.

V. *Non omnis praesumptio, spem excludit.*

Quamquam non omnis praesumptio spem excludat, ut in peccatoribus contingit, qui vitam in melius mutare renuunt, et nibilo-

minus salutem sperant, sibi persuadentes, Deum ad voluntatem suam, aut saltem in fine vitae poenitentiam concessurum; praesumptio tamen admittenda videtur, quae spem conficiat, ac destruat; illa nimirum, qua quis praesumit veniam peccatorum, ac beatitudinem consequi aut solis propriis viribus, aut sola Dei misericordia absque ullis bonis operibus, etiam quae per gratiam Dei fierent. Quoniam hujusmodi actus modum destruit tendendi in objectum spei theologicae, qui in hoc est positus, quod beatitudo expectetur per auxilia gratiae Dei, ac per merita, quae in nobis Deus operatur.

DISSERTATIO III.

De Charitate.

CAPUT I.

De natura charitatis.

I. *Charitatis descriptio.*

Sumitur hic charitas pro *amore benevolentiae*, quo Deum propter se diligimus; et est *amor*, *vel dilectio bonitatis divinae*, *quae nobis innotescit non per ea, quae facta sunt, sed per gratuitam revelationem, quae est visio Dei in patria, ac fides in via.* Ex hac charitatis descriptione sequitur, charitatem, de qua loquimur, non esse amorem naturalem, sed *supernaturalem.* Si enim per ea, quae facta sunt, assurgamus in cognitionem Dei boni; hac cognitione regitur amor Dei, qui *naturalis* dicitur. Si autem bonitas eadem nota fiat per gratuitam revelationem, sive prout bona quoque superiora communicat, quae nec oculos vidit, nec auris audivit, nec mens creata percipere potest creaturarum ministerio, sed revelatione opus est, quam gratuito favore inspirat Deus; amor noster hac directus cognitione mysteriorum gratiae, et gloriae, dicitur *amor supernaturalis*, sive *charitas.*

II. *Charitas princeps virtutum merito vocatur.*

Charitas non solum *virtutis* decorem habet, quum sit principium actus attingentis regulam non tantum naturalem, quae est recta ratio, sed etiam supernaturalem, quae est ipse Deus, in quo *virtutis* ratio posita est; sed etiam virtutum omnium princeps est, quod virtutum omnium sit excellentissima. Hanc asserit ipse disertissime Apostolus Paulus in Epist. ad Cor. cap. 13. ubi primum enumerans plura charismata, Apostolorum, Prophetiam, scientiam, gratiam curationum, genera linguarum etc. his omnibus *excellentiorem* vocat charitatem; ac deinde eamdem comparat *fidei*, et *spei*, et ait: *Manent fides, spes, charitas; tria haec: major autem horum est charitas.* Profecto si charitas nedum coeteris S. Spiritus donis, verum etiam coeteris virtutibus Theologalibus praecellit, quis inficias iverit, praecellere quoque virtutibus coeteris moralibus, quae theologicis longe inferiores existunt?

III. *Charitatis objectum.*

Objectum primarium, et adaequatum charitatis est summum bonum, quod est Deus. Charitas enim virtus est, quae primo, et per-

se respicit bonum summum, quod est Deus; adeoque ipse Deus est objectum ejus primarium, et adaequatum. Atque hinc consequitur, quod et nos ipsi, et coeterae quaecunque res creatae ad objectum secundarium pertinent, prout in Deum ipsum ordinantur: sic enim ea attingit charitas propter Deum, qui est primarium suum objectum.

IV. *Formale charitatis motivum, est summa Dei bonitas.*

At sub qua ratione charitas respicit hoc primarium objectum? sive, quodnam est objectum *formale quo* (ut vocant) charitas in Deum tendit? Non aliud, quam *bonitas* ipsa divina. Haec enim est motivum, seu tota ratio diligendi Deum, nosmetipsos, proximum, ceterasque res creatas. Deum quidem, quia ipse est originalis bonitas; nos vero, et proximum, quia eadem divina bonitas per communionem, et praeparationem bonorum supernaturalium in nobis, et proximo relucet tamquam in filiis, et domesticis Dei.

Haec autem divina bonitas, quam formalem amandi Deum rationem ponimus, non est peculiare divinae essentiae attributum, ut ab aliis divinis perfectionibus cogitatione nostra distinctum, sed prout omnem attributorum perfectionem complectitur. Ratio itaque diligendi Deum ex charitate alia non est, quam haec Dei bonitas substantialis, increata, independens, omnium attributorum perfectionem complectens, qua ipse essentialiter bonus est. Hinc si qua Deus nobis bona confert, ac beneficia creata ab ipso distincta, accipi haec debent tamquam rationes secundariae, et minus principalia dilectionis incitamenta, quibus ad charitatem disponimur; et haec omnia referenda demum sunt in summam Dei bonitatem, qua ipse bonus est. Legatur D. Th. hic q. 27. art. 3.

V. *De charitate, quae vocatur,* justificante minor.

Admittendum esse amorem charitatis proprii nominis, respicientis scilicet Deum propter seipsum, qui sit *justificante minor,* sive qui ad hominem justificandum non pertingat, plurimi Theologi sustinent, quorum sententia, spectatis omnibus, probabilior, ac fere certa mihi videtur. Horum argumenta videantur, si placet, apud Theologos de Schola, et in O. M. neque enim Compendii ratio postulat, ut ea persequamur. Sed et alia admittenda omnino est, quae vi sua, et efficacia, saltem juxta ordinem a Dei sapientia constitutum, etiam ante Sacramenti, sive Baptismi, sive Poenitentiae susceptionem, atque etiam extra casum martyrii, justificat impium, adeoque peccata delet, solvitque a reatu damnationis aeternae. Haec sententia ab omnibus tenenda est, quum in Bulla S. Pii V. proscriptae fuerint oppositae Bajanae quatuor propositiones, quarum postrema n. 71. haec est: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum voto etiam suscipiendi Sacramenta conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* Et Concil. Trid. sess. 14. can. 4. definit, contritionem, *si charitate perfectam esse contingat, hominem Deo reconciliare prius, quam hoc Sacramentum* (*poenitentiae*) *actu suscipiatur;* dummodo Sacramenti votum adjunctum habeat.

VI. *Quaenam sit charitas perfecta.*

At quaenam est charitas perfecta; sive gradus ille charitatis, qui requiritur, unaque sufficit, ut charitas perfecta dicatur, hominemque

peccatorem justificet? Non alium ego definio, nec definiendus mihi videtur praeter illum, qui definitus est ab ipsomet Deo, praescribitur que eo maximo in lege mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima, ex omnibus viribus tuis.* Judicio scilicet mentis Deus prae omnibus aestimandus, et appretiandus est, quum ipse sit summum bonum bonis coeteris longe, atque infinite perfectius, ac omnibus praeferendum. Verum hoc solum satis nequaquam est. Diligere ulterius Deum ipsum oportet voluntatis affectu, sive amore, qui reliquis quibusvis amoribus praedominetur, et in ipsum tamquam in ultimum finem nostrum nosmetipsos, omniaque alia referamus. *Dupliciter contingit*, egregie S. Th. 2. 2. q. 44. a. 4. ad 2., *ex toto corde Deum diligere: uno quidem modo in actu, idest ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur; et ita inquit, est perfectio patriae. Alio modo ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet, quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat: et haec est perfectio viae, cui non contrariatur peccatum veniale*; quo impeditur quidem charitatis usus, sed non alius a Deo finis super omnia dilectus praestituitur. Legatur etiam S. D. art. 5.

VII. *Plures charitatis justificantis gradus.*

Ex ejusdem quoque doctrina q. 184. habemus, plures esse hujusce charitatis justificantis gradus; nempe infimus, medius, ac supremus. *Infimus*, ait art. 3. ad 2. *divinae dilectionis gradus est, ut nihil supra Deum, aut contra Deum, aut aequaliter Deo diligatur: a quo gradu perfectionis qui deficit, nullo modo implet praeceptum.* Quibus verbis duo insinuat S. D. admodum observanda; 1. scilicet posse aliquem deficere ab eo gradu perfectionis charitatis amando Deum non ita perfecte, quod sufficiat ad praeceptum charitatis implendum, et justificationem obtinendam; adeoque eodem S. Th. Judice, habetur charitas *minor justificante*: 2. illum, qui ad eum gradum jam expositum charitatis pertingit, adimplere praeceptum ejusdem: qui autem praeceptum ejusmodi implet, dubio procul justus est. *Supremus* autem charitatis *gradus* creaturae possibilis tunc est, quum creatura secundum omnem potestatem suam semper actualiter tendit in Deum: quae perfectio solum erit in patria. Reliquis omnes gradus *medii* sunt; eoque magis minusque perfecti, quo magis minusque accedunt ad *supremum*, et recedunt ab *infimo*. Haec paucis explicare placuit, quae a Theologis Moralibus minime discuti solent; quia quum sint scitu dignissima, immo et necessaria, nemini nimia, aut superflua videri debent.

Consectaria.

I. *Qui amat Deum propter beneficia, non amat amore charitatis.*

Per beneficia, quae nobis a divina bonitate conferuntur, disponimur quidem ad Deum amandum, et propter illa incipimus etiam amare Deum. At si non ultra progredimur, ut Deum amemus propter ejus bonitatem, nondum amamus Deum amore charitatis: sicut non propter beneficia amamus aliquem amore *amicitiae*, sed tunc solum, quando amamus amicum propter ejus virtutem. Hinc consideratio beneficiorum, quae a Deo recepimus, quemadmodum et poenarum, quas per ipsum vitamus, sunt simplices dispositiones ad charitatem, sed non ipsa charitas.

II. *Differt quoque charitas, ab amore Dei benevoli, et benefici erga nos.*

Differt quoque charitas ab amore Dei erga nos benevoli, et benefici, quo regitur spes, et qui amor *concupiscentiae* appellatur. Utriusque discrimen declarat S. Th. in Disp. q. *de spe* art. 3. his verbis: *Est autem duplex amor: unus quidem* imperfectus, alius autem perfectus. Imperfectus quidem amor alicujus rei est, quando aliquis rem amat, non ut ei bonum in seipsa velit, sed ut bonum illius *sibi velit . . . . . . Alius autem est amor perfectus, quo bonum alicujus in seipso diligitur; sicut quum amando aliquem, volo, quo bonum ipse habeat, etiamsi nihil inde mihi accidat. Charitas autem non est quicumque amor, sed amor perfectus, quo Deus in seipso diligitur.* Nempe primo amore caussa diligendi est bonitas divina beneficia nobis: sed ratio diligendi Deum amore charitatis est ipsa Dei bonitas in se accepta, infinita, increata, independens, omnium maxima, perfectionum omnium plenitudo. Primo amore incipimus diligere Deum *imperfecte;* eoque disponimur ad perfectum amorem, nempe charitatem. Charitas vero *primario* diligit Deum, quia *in se bonus est;* diligit etiam *secundario*, quia benevolus nobis est, et beneficus: iterumque sancto quodam et casto circuitu refert omnem Dei beneficentiam in ejus bonitatem, quae in se summa, et infinita est.

III. *In eo, qui Deum adhuc perfecte non diligit, aliquid est, quod Deo placet, aliquid quod Deo displicet.*

Quoniam, ut dictum est, admittenda charitas est justificante minor, seu quae ad illum gradum perfectionis non pertingit, quae praeceptum adimpleat a Deo impositum, hominemque justificet; consequens est, in Catechumeno, vel Poenitente, qui Deum adhuc perfecte non diligit, sed tamen *tamquam omnis justitiae fontem*, ut loquitur Tridentinum sess. 6. cap. 6.; *diligere incipit*, aliquid esse, quod Deo placeat, et aliquid etiam, quod Deo adhuc displiceat. Deo placet exordium conversionis, et sancti amoris initium, sicut placet timori fides, spes, quae dona Dei sunt, quibusque ad conversionem disponitur. Displicet vero peccatum, quod est in homine; adeoque, et homo ipse peccati labe inquinatus, ac proinde aeternae poenae reatu obstrictus, donec macula, et reatus vel charitate perfecta, et Sacramenti in voti suscepti efficacia, vel ipsius Sacramenti reali susceptione expungatur.

CAPUT II.

De necessitate, et praeceptum Deum diligendi.

I. *Necessitas charitatis ad salutem obtinendam, et ad justitiam conservandam.*

Mirum profecto est, extitisse Theologos, qui necessitatem, et praeceptum amandi Deum, aut eliciendi expressos amoris actus, aut poenitus inficiati sunt, aut ad nihilum ferme redegerunt. At certum est, internum charitatis affectum omnibus ratione utentibus necessarium esse ad aeternam salutem obtinendam, et ad justitiam saltem conservandam. Necessitatem ipsius ad salutem absolute assero, et ad justitiam saltem conservandam tum propter eos, qui ad usum rationis

jam baptismate sanctificati perveniunt, tum propter eorum opinionem (si cui placeat), qui censent, justitiam obtineri posse sola servili attritione in Sacramento poenitentiae. Ad hanc veritatem confirmandam praesto sunt Scripturarum testimonia. Legisperito apud Matth. c. 22. sciscitanti, quodnam sit mandatum magnum in lege? respondit Jesus: *Diligis Deum tuum ex toto corde tuo: ex tota anima tua, et in tota mente tua: hoc est maximum, et primum mandatum.* Igitur hoc vel maxime servandum erit ad aeternae vitae consecutionem. Digna sunt animadversione verba Moysis, quibus haec dilectio praecipitur in lege Deuter. c. 6. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et tota anima tua, et ex fortitudine tua, eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in domo tua, scribesque ea in limine, et ostiis domus tuae.* Qui internum dilectionis affectum negare audebit divino praescriptum esse mandato? Pauca haec sufficiant, quum plura alia afferri possent.

II. *Praeceptum amoris Dei, negativum, et positivum.*

Praeceptum dilectionis Dei et negativum est, et positivum. Quatenus negativum imponit, ut nihil unquam faciamus, vel cogitemus; quod divinae dilectioni quoquo modo opponatur, et obligat, ut loquuntur Theologi, *semper*, et *pro semper*; quatenus vero positivum est, praecipit, ut aliquoties in actus amoris prorumpamus. Tempus autem, quo urgeat definiendum est quibusdam regulis. Unde sit

III. Reg. 1. *Tenetur homo diligere Deum, quum primo ad instans usus rationis pervenit.*

Ita S. Thom. 1. 2. q. 86. a. 6. his verbis: *Quum usum rationis habere inceperit homo . . . primum, quod illi cogitandum occurrit, est deliberate de seipso* (hoc est se in ultimum finem ordinare). *Igitur qui non ordinat seipsum in debitum finem, secundum quod in illa aetate est capax discretionis, peccabit mortaliter non faciens, quod in se est.* Et in resp. ad 3. idem docet, atque confirmat.

IV. Reg. 2. *Praeceptum dilectionis Dei, instat in fine vitae rationalis, aut probabili periculo mortis.*

Hujus regulae ratio depromitur ex multis, quae tunc temporis occurrunt, gravissimis circumstantiis. Tunc enim ad aeternam beatitudinem sibi promerendam debet homo studium omne, omnesque conatus adhibere; quod certe fieri non potest, nisi Deum amando. Tunc ultimum hujus mortalis vitae sacrificium Deo offerendum est; ut sicuti, *si vivimus, Domino vivimus, ita si morimur, Domino morimur*, ut scribit Apost. ad Rom. 14. Charitas vero est, quae nos Deo vivere facit, Deoque mori. Tunc insurgere graviores tentationes solent, quibus vincendis meliori, quo possumus, ac debemus modo sola charitas par est. Tunc demum pro gravitatis periculo tenetur homo tutiora quaeque adhibere media, quibus consulat aeternae saluti suae: aliud vero medium non est praeter charitatem, quae justos efficiat homines, vitamque promereatur aeternam.

V. Reg. 3. *Reliquo tempore non potest homo absque lethalis culpae reatu diu intermittere dilectionis actum, sed illum adeo frequenter exercere debet, ut aliquo modo Deum semper diligere censeatur.*

Id exposcit primo gravitas mandati de diligendo Deo, quod est maximum in lege, et legis plenitudo. Accedit summa dilectionis necessitas, a qua bona cuncta procedunt, et proprium accipiunt complementum opera nostra bona; ac meriti valorem obtinent. Id exposcit praeterea modus ipse dilectionis, qui nobis praescribitur: nam Deum diligere debemus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus; quod plene non praestat, qui diu dilectionis actum intermittit. Urget hujus actus frequentiam imposita cuique obligatio totius viribus enitendi, ut in justitia christiana, quae charitas praecipue est, crescat: Jubet enim Apostolus Epist. 2. c. 3., nos crescere in charitate: quod sine actuum frequentione haberi nequit.

VI. Reg. 4. *Praeter praefata tempora, in quibus per se urget praeceptum dilectionis, sunt et alia, in quibus obligat per accidens.*

Haec enumerantur a Theologis, et sic statuuntur. 1. Quotiescumque aliquis peccator ad Deum vult, vel tenetur converti, nec ad poenitentiae Sacramentum potest accedere. 2. Si debeat Sacramenta vel recipere, vel administrare eodem in casu. 3. Si urgeat gravis aliqua tentatio odii Dei: non enim fortius repellitur, quam elicito divini amoris actu. 4. Quum Deum audimus a libertinis aperte contemni, blasphemiis nomen ejus dilacerari, vel aliquod aliud enorme scelus perpetrari, praesertim si aperta fieri malitia conspiciatur, et in contemptum divinae majestatis. Tunc enim noster erga Deum filialis amor postulare videtur, ut Dei offensam, et injuriam pensemus charitatis actu, et si quae sunt aliae occasiones.

VII. *Quomodo amare Deum debeamus.*

At quomodo amare Deum debemus? Duplicem distinguunt Theologi Dei amorem, alium appretiationis, alium intensionis. Appretiatio autem duplex est, intellectus, et voluntatis. Prior in judicio consistit, quo judicamus, Deum esse summum bonum, creaturis omnibus infinite excellentiorem, adeoque ipsis praeferendum. Haec ob, omni amore sejungi potest, et locum habere etiam in scelestissimis, et obduratis peccatoribus, in quibus nec scintilla est divini amoris. Alia vero appretiatio voluntatis est, qua non solum judicamus, Deum esse rebus ceteris amabiliorem, ac eis praeferendum, sed revera actu voluntatis nostrae in ipsum ut talem ferimur. Et haec appretiatio voluntatis, ut patet, aliud non est, quam amor, et dilectio. Amor vero, qui intensionis dicitur, consistit in modo tendendi in ipsum Deum, qui latitudinem patitur, et major vel minor esse potest.

Ad impletionem igitur praecepti charitatis, quando urget, non sufficit quaecunque voluntatis appretiatio, quicunque amor, sed talis appretiatio, quae sit super omnia, ac proinde talis amor, quod sit super omnia; idest intensior affectu creaturarum, seu aliis amoribus major. Talis autem erit, si eas servet conditiones, quas praestituit S. Th., nimirum, *ut nihil supra eum, aut contra eum, aut aequaliter ei diligatur.* Recolantur, quae diximus superiori capite. Verum quum dicimus, Deum esse diligendum *super omnia amore summo, et intenso,* id non dicimus, quasi Deum diligere teneamur amore absolute

summo intensive, ultra quod progredi non valeat: hoc enim semper sollicita, et anxia redderet fidelium corda, quum nunquam nossa valeant, num eorum amor sit intensissimus. Praeterquam quod semper amor Dei augeri magis magisque potest. Sed hoc unum volumus; teneri hominem Deum majori dilectione prosequi, majorique conatu diligere, quam creaturas: et in hoc sensu verum est, nos summe diligere Deum etiam intensive, nempe comparare ad ceteros creaturarum amores. Immo et illud addimus, hanc amoris intensionem non esse ex sensu, et sensitiva parte pensandam: sic putandum non est, matris, quae tenere filium suum deperit, affectum erga filium semper esse majorem, et vincere affectum, quo Deum diligat. Siquidem illa teneritudo non necessario majorem supponit intensionem; sed ex objecti conditione oritur, quod sensus vividius percellit. Contingere utique quandoque potest, ut sit amor rationis magnus, et in sensu parvus, et ex opposito amor in sensu magnus, et in voluntate exiguus.

VIII. *Relatio nostrorum operum in Deum non est consilii, sed praecepti.*

Relationem nostrorum operum in Deum non esse consilii tantum, sed praecepti, manifeste patet ex primo et maximo mandato, quo jubet Deus Deuter. 6. et Matth. 27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis.* Quae verba expendens D. Th. sic commentatur 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. *Sub praecepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde. Ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, et ideo praecepta charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Confirmant idem praeceptum verba Apostoli 1. ad Corinth. cap. 10. scribentis: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Triplex porro a Theologis distinguitur relatio in Deum, habitualis, actualis, et virtualis. Habitualis relatio sita non est in praesenti aliquo amore Dei, quo referuntur opera in Deum, nec est amor Dei, qui praecesserit, ac permanere virtute censeatur, sed est potestas, quam quis habet, amandi Deum, eoque amore referendi opera in finem amatum, quae potestas in charitatis habitu fundatur, qui concipitur velut intimum principium amoris, eamque S. Th. in 2. dist. 41, a. 1. q. 3. ad 6. in eo cognoscit, *qui habet charitatem, per quam est habilis ad referendum.* Virtualis autem relatio est illa, quae permanet, et perseverat virtute praecedentium actuum. Tres propterea postulat conditiones: 1. ut praecesserit explicitus aliquis dilectionis actus, quo opus nostrum, vel seriem operum peragendorum in Deum ordinaverimus. 2. Ne aliquo actu contrario praedicta intentio, et directio fuerit revocata; immo nec tempus adeo longum fluxerit, ut inter varias humanae vitae distractiones eadem intentio censeatur omnino interrupta. 3. Ut et intentio, et applicatio in aliqua virtute perseveret, qua veluti moti, et excitati sequentes, quos elicimus, actus facere, vel agere dicamus. Nihil diximus, quod non sit ex D. Th. Doctrina depromptum. Actualis denique illa est, qua actu per charitatem opus nostrum ad Deum referimus. Porro ad implendum praeceptum relationis operum nostrorum in Deum non est necessaria relatio actualis, non sufficit habitualis, sed idonea et virtualis. Ita S. Th. variis in locis.

CONSECTARIA.

I. *Propositiones damnatae.*

Merito damnatae fuerunt a SS. Pontificibus sequentes propositiones. Ab Alexandro VII. an. 1663. *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ab Alex. VIII. an. 1690. *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae moralis.* Ab Innocentio XI. an. 1669. quinta in ordine. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.* 7. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* Hisce admodum affinem puto propositionem P. Castropalai tract. 6. disp. 1. punct. 4. num. 10. *Hac obligatione* (diligendi Deum) *existimo quemlibet adultum teneri non singulis annis, ut placuit Petro de Ledesma, quia hoc est nimis durum, et nullo firmo fundamento innititur. Sed aliquoties in vita .... Reputarem aut dilationem trium annorum esse gravem.*

II. *Praeceptum charitatis, obligat ad illius frequens exercitium.*

Licet occultum sit, et difficile punctum determinare, in quo urgeat charitatis praeceptum, illud tamen statuere pro certo possumus, praeceptum diligendi Deum per se obligare ad frequens illius exercitium, itaut non multo tempore differatur. Hoc certe indicant Scripturae, dum de praecepto dilectionis jubent spirituali Abrahae filio, *ut sit in corde ejus, ut narret illud filiis suis, ut meditetur sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens:* dum Christus fidelibus praecipit: *Manete in dilectione mea.* Quae verba ut exponunt SS. PP. Augustinus, Chrysostomus, Teophilactus, Beda, Rupertus continuationem, frequentiam, perseverantiam indicant, et urgent: Quis vero de hac continuatione, ac frequentia sibi blandiatur, si semel tantum in anno in actum charitatis erumpat? Hinc solidissima mihi videtur, et in praxim reducenda doctrina Scoti, qui putat hoc praeceptum urgere omnibus diebus festis, quem sequuntur alii plures; quam sententiam minime contemnendam appellat Cardenas, qui censet mortale peccatum ab eo perpetrari, qui per mensem actum amoris non emitteret; et P. Concina docet Tom. 7. diss. 4. cap. 9. n. 10. satisfacere praecepto, qui singulis diebus Dominicis actum elicit dilectionis Dei; et certe a lethali omissione non videtur excusandus, qui saltem in solemnioribus festivitatibus, in quibus praecipua recoluntur Religionis mysteria, per actum dilectionis cor suum in Deo non figeret. Hoc enim saltem postulare videtur illa frequentia, continuitas, et perseverantia, quae adeo in Scripturis commendatur.

III. *Animadversio circa rudes, et ignaros de modo dilectionis Dei.*

Circa rudes, et ignaros de modo dilectionis Dei, vel qui ignorare videntur supernaturalia motiva ad Dei dilectionem impellentia, hi non sunt statim rei habendi de omissione actus charitatis, sed est eorum vita expendenda. Si enim appareant suae salutis solliciti, et

Sacramenta pro sui status conditione frequenteot, Dei, et Ecclesiae praecepta fideliter eustodiant, censendum est, Deum eos iotus illuminare, et gratiae suae dono regere, quippe qui saepe revelat parvulis, ea, quae prudeotibus, et sapientibus abscondit, et cujus est eum simplicibus sermocinatio, et amor Dei opus est cordis, non mentis. At e cootra si vitiis dediti cernantur, ebrietatibus, impudicitiis, furtis, aliisque pravis habitibus implicati, eorum ignorantia poena erit justissima peccati, ac proinde rei omissionis praecepti diligendi Deum habeodi.

IV. *Praeceptum relationis operum in Deum, urget in primo vitae moralis initio.*

Quum relationis operum in Deum praeceptum in maximo mandato dilectionis Dei super omnia contineatur, tunc profecto obligat, quando et istud urget mandatum, et certe maxime io primo vitae moralis initio. Quum autem in praecepto non sit semper actualis relatio, sed sufficiat virtualis; haec virtualis intentio manet in cunctis operibus ex officio bonis in homine, qui per actum charitatis justificaotis se io Deum ordinavit tamquam in ultimum finem. Homo siquidem, qui virtute est, et manet ordinatus in Deum, virtute etiam in Deum refert quaecunque elicit opera, licet de expressa hac ordinatione non cogitet. Id tameo intelligas, nisi tempus adeo longum fluxerit inter varias, diversasque vitae humanae occupationes, ut eadem relatio interrupta censeatur. Durat siquidem impressio actualis charitatis, quae virtute manet, juxta majorem, vel minorem, quo actus elicitus est, fervorem. Renovanda proinde saepe saepius haec relatio, et a piis renovatur non solum quotidie, sed etiam saepe per diem, praecipue quum aliquod opus adoriuntur.

V. *Relatio supradicta, abrumpitur per lethale peccatum.*

Relatio istaec omnino abrumpitur per lethale peccatum: tunc enim homo omnino avertitur a Deo ultimo fine, solumque bonum proprium sibi pro fine praestituit; haec autem relatio iterum haberi non potest, nisi vel per actum dilectionis Dei super omnia perfectum et justificantem cum voto Sacramenti, vel per ipsum Sacramentum poenitentiae susceptum etiam cum charitate justificante minore, quando praeceptum non urget dilectionis Dei. Abrumpitur etiam peccato veniali, at non totaliter, sed solum respectu alicujus actionis, quae in Deum referri nequaquam potest: non enim impedit, aut destruit aliam ordinationem in Deum, scilicet habitualem. Ita S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 1. *Veniale peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem* (sive actu expresso elicitam, sive manentem virtute) *quia non excludit charitatem, quae habitualiter ordinat in Deum.*

CAPUT III.

De amore proximi, ac inimicorum dilectione.

I. *Quatuor subjecta respicit charitas.*

Charitas respicit 1. Deum, cui bonum omne, omniumque perfectionum, quae excogitari unquam possunt, plenitudinem inesse charitas gaudet. 2. Nos ipsos quibus charitate appetimus bonum di-

vinum in uno Deo supremam nostrae bonitatis, justitiae, perfectionis, felicitatis, beatitudinis caussam et formam constituentes. 3. *Proximos nobis*, quos etiam in eadem beatitudine socios charitas vult. 4. demum corpora nostra: nam et ipsa transformabuntur in gloriam ex animae beatitudine redundantem. *Quatuor*, inquit August. lib. 1. de Doctr. Christiana cap. 23., *sunt diligenda: unum, quod supra nos est*, scilicet Deus: *alterum, quod nos sumus; tertium, quod juxta nos est*, nempe proximus: *quartum, quod infra nos est*, videlicet corpus nostrum.

II. *Praeceptum, et norma dilectionis proximi.*

Praeceptum, et normam dilectionis proximi habemus apud Matth. c. 22. *Diliges Dominum Deum tuum etc. et proximum, sicut teipsum.* Et apud Joan. cap. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Norma igitur charitatis erga proximum duplex est: charitatis amor, *quo nosmetipsos diligimus*; et dilectio, qua *Deus diligit nos.* Verum nos utraque ad id unum urget, ut beatitudinem aeternam, dona gratiae, et gloriae, ac cetera bona, quatenus conferunt ad Dei assecutionem, proximo velimus. Quo posito, proximos recenseo charitate diligendos, quibusdam regulis constitutis.

Reg. 1. *Omnes homines mortalem vitam agentes Proximi sunt, adeoque charitate diligendi.*

Constat haec regula: tum quia mutuis officiis indigemus omnes, aut indigere saltem possumus. Tum etiam quia eo in statu degimus, in quo nobis invicem velle debemus aeternam beatitudinem, bona gratiae, et gloriae, perseverantiae donum etc. *Quis est*, ait August. serm. 9., *mihi proximus? Omnis homo proximus tuus est. Nonne duos parentes habuimus omnes? Proxima sibi sunt cujusque generis animalia etc. et non est proximus homo hominis?*

III. Reg. 2. *Peccatores, et inimici, si spectentur praecise ut homines, sunt proximi nostri, atque adeo charitate diligendi: si autem ut peccatores eos potius odisse debemus.*

Partem utramque diligentissime versat S. Thom. hic q. 25. art. 6. distinguens in peccatoribus naturam, et culpam. Docet primo, peccatores secundum naturam charitate esse diligendos: quia capaces sunt beatitudinis, super cujus communicatione charitas fundatur. At vero secundum rationem culpae, quae Deo aversatur, odio potius habendos censet. Nam culpa, secundum quam peccatores dicuntur, odio habetur ab ipsomet Deo, et beatitudinis consecutionem impedit. Immo hoc ipsum, quod est peccatorem odisse, ut *peccatorem*, idest odisse peccatum ejus, nobisque displicere, quod peccet, charitatis actus est.

Quod attinet inimicos, duplicem quoque in iis rationem considerat S. D. art. 8. nimirum *in quantum sunt inimici*: et hoc pacto decernit, eos diligere perversum esse, et charitati repugnans: quia hoc est diligere malum alterius. Secunda, *in quantum homines sunt;* atque sub hac consideratione determinat, sinceram generalem proximorum charitatem non esse, quae ad inimicos non extenditur: eadem siquidem manet diligendi ratio, quae est aeterna beatitudo omnibus hominibus etiam inimicis proposita. Hinc necessariam esse docet animi promptitudinem, ut exigente necessitatis casu, tum speciali, et expressa inimicos dilectione prosequamur, tum iisdem dilectionis officia praestemus.

Praeceptum idem, quo tenemur inimicos diligere in Evangelio clarissime definitum immutabilis rectitudo ordinis exposcit. Similitudo naturae, quam gerunt nobiscum inimici homines; imago Dei non detrita in illis, licet deturpata; eorum destinatio ad vitam aeternam nobiscum communis, si velint, totidem sunt rationes, quae odium omne damnant, sinceraeque postulant charitatis affectum, quo aequalitatis ordo servatur.

IV. Reg. 3. Sancti Angeli, Beatique homines cum Christo in Coelo regnantes, animae etiam in Purgatorio degentes, sunt charitatis affectu diligendi; non vero Daemones, ac damnati.

Probat priorem partem S. Th. hic art. 10. inquiens: » Amicitia » charitatis fundetur super communicatione beatitudinis aeternae, in » cujus participatione communicant cum Angelis homines. Dicitur » enim Matth. cap. 22. quod in resurrectione erunt homines sicut » Angeli in Coelo: et ideo manifestum est, quod amicitia charitatis etiam ad Angelos se extendit ». Haec autem sunt charitatis officia. Angeli, aliique Beati nos diligunt, ut beatitudinem obtineamus: nos illos beatitudine potiri gaudemus.

Altera pars constat. Hujusmodi quippe animae sunt beatitudinis capaces, immo certam spem gerunt ad eam perveniendi, ideoque charitatis nostrae, et officiorum, quae sunt orationes, et alia suffragia, beneficium percipere possunt. Eas enim maxima premit necessitas, nec eis suppetunt vires, quibus e carcere evadant, quo tenentur inclusae. Perpetua Ecclesiae praxis, atque traditio commendat orationes, et suffragia pro illis oblata. Liquet ergo charitate nos urgeri, ut illis, quando possumus, quantumque debemus, prodesse studeamus.

Tertiam partem admittit S. Thom. art. 11. maxime quia Daemonibus, et spiritibus damnatis beatitudinem velle nequaquam possumus. *Possumus* tamen, subdit S. D., *natura Daemonis ex charitate diligere, in quantum volumus illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei.*

V. *Quid agendum, ut praeceptum dilectionis proximi impleamus.*

At quid agere debemus, ut praeceptum dilectionis proximi impleamus? Ut rem hanc definiamus, ac in bono lumine collocemus, necnon morum doctrina sarta tecta servetur contra nonnullos Theologos, qui sicut charitatis erga Deum praeceptum extenuare ausi sunt, ita mandatum de dilectione proximi quadantenus subvertere, fermeque ad nihilum redigere conati sunt, sequentes statuimus regulas.

Reg. 1. *Solo Dei amore, non satisfit praecepto dilectionis proximi.*

Veritatem hujus regulae evincunt sacrae litterae, quae duos amores Dei, et proximi, duoque praecepta luculenter discernunt: *Diliges Dominum Deum tuum* (inquit Salvator noster) *ex toto corde tuo ... hoc est maximum, et primum mandatum; secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quid clarius? Si duo igitur sunt inter se distincta praecepta, cur unius tantum observantia et aliud nos implere dicendum erit?

VI. Reg. 2. *Praeceptum dilectionis proximi, non impletur sola externorum officiorum exhibitione.*

Suadent hanc regulam verba, queis sacrae Litterae praeceptum dilectionis proximi praescribunt, et urgent. Diligere enim aliquem

idem sonat, ac affectum erga illum habere; et si alios sicut nosmetipsos diligere tenemur, quis nescit, nos interno affectu benevolentiae prosequi nos ipsos, et omnia nostra? Accedit, exteriora officia proximis exhiberi posse vel pravo affectu movente, vel excitante humanitate sola naturali, quam Ethnici et Infideles habere queunt, et nonnunquam habent. Quum ergo proximos amare debeamus, non ut Ethnici etiam faciunt, sed ut Christianos decet hoc praestare convenit, sequitur interno affectu opus esse in dilectione proximi.

VII. Reg. 3. *Occurrente necessitate, tenemur Proximo officia nostra exhibere ex impulsu speciali charitatis erga proximum indigentem; semperque anima parati esse debemus ad eadem officia praestanda.*

Huic regulae favet disertissimis verbis D. August. tract. 8. in Epist. Joan. his verbis: *Opera modo illa sint in vobis, modo illa pro tempore, pro horis, pro diebus .... Numquid semper panem dare egenti? Numquid semper nudum vestire? Numquid semper aegrotos visitare? Numquid semper discordantes concordare? Numquid semper mortuos sepelire? Modo illud, modo istud. Inchoantur ista, et cessant. Charitas non intus intermittitur. Officia charitatis pro tempore exibentur. Charitas ergo, prout scriptum est, fraterna permaneat.*

VIII. Reg. 4. *Norma dilectionis Proximi duplex est, scilicet dilectio, qua Deus diligit nos, et amor charitatis, quo nos diligimus nos ipsos.*

Primam dilectionis normam exhibet Christus, dum Joan. cap. 13. dicit: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos.* Alteram praescribit Christus dicens: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hanc sapientissime exponit S. Thom. 2. 2. q. 44. a. 7. dicens: *Modus autem dilectionis tangitur, quum dicitur,* sicut teipsum, *quod non est intelligendum quantum ad hoc, quod aliquis proximum sibi aequaliter diligat, sed similiter sibi Et hoc tripliciter. Primo quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut seipsum propter Deum diligere debet, ut sic sit dilectio proximi sancta. 2. Ex parte regulae dilectionis, ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis; ut sic sit dilectio proximi. 3. Ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel dilectionem, sed ea ratione, quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi, ut sic dilectio proximi sit vera.*

IX. *Adest de inimicorum dilectione praeceptum.*

Jam de inimicorum dilectione dicendum. Praeceptum latum esse de inimicorum dilectione evincunt et veteris, et novi Testamenti apertissima testimonia. Levit cap. 19 jubet Dominus; *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, nec memor eris injuriae civium tuorum.* Nec adversatur, quod legitur in Evangelio: *Audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Nam sic sapientissime locum hunc interpretatur S. Thom. in 3. sent. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 2. scribens: *In veteri lege homines tenebantur ad dilectionem inimicorum, sicut patet per auctoritatem Levitici inductum* (et superius allatam) *.. Unde quod dicitur, odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in littera invenitur, sed est additum ex prava interpretatione Judaeorum, qui ex quo praecipiebatur dilectio proximi, concludebant, quod inimici erant*

odiendi. In novo vero Testamento conceptis verbis Salvator noster et interiorem praecipit, et exteriorem inimicorum dilectionem Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros; benefacite iis, qui oderunt vos, orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.* Quae verba expendens Augustinus serm. 68. *de tempore* haec habet: *Dominus in Evangelio, ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed praeceptum.* Ad impletionem hujus praecepti has ex S. Thom. regulas praestituimus.

X. Reg. 1. *A generali proximi dilectione, excludendi non sunt inimici.*

Ita S. D. 2. 2. q. 25. a. 8. ubi sic docet: *Potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam in universali, et sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis, ut scilicet aliquis diligens Deum, et proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat.* Quae verba exprimunt charitatis erga proximum generalem internum affectum, quem habere praecepto dilectionis jubemur, et ad inimicos extendi oportere.

XI. Regula 2. *Debemus etiam ex praecepto charitatis esse parati ad diligendos inimicos in particulari, si occurrat necessitas.*

Ita idem S. D. loc. cit. *Potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; et istud non est de necessitate charitatis absolute; quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile.* Prodire scilicet non tenemur absolute in expressos dilectionis actus, quibus diligamus sigillatim proximos nostros; verum solummodo data occasione, in qua vel odium, ad quod nos impelli sentimus, rejicere debemus, vel nos urget necessitas exteriora officia exhibendi. *Est tamen* (subdit S. D.) *de necessitate charitatis secundum praeparationem animi: ut scilicet homo habeat animum promptum, atque paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret.*

XII. Reg. 3. *Inimicis etiam veniam non petentibus actu, exhibenda sunt communia christianae dilectionis signa ex praecepto charitatis.*

Ita idem S. D. loc. cit. c. 9. in corp. *Sunt quaedam signa, et beneficia dilectionis, quae exhibentur proximis in communi; puta aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut quum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati: et talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate praecepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictae.*

XIII. Reg. 4. *Speciali dilectione inimicos prosequi, est de perfectione charitatis, nisi aliter necessitas postulet.*

Hac regula doctrinam suam concludit S. Th. a. 9. in corp. dicens: *Alia vero sunt beneficia, vel dilectionis signa, quae quis exhibet particulariter aliquibus personis. Et talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate salutis, nisi secundum praeparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis, secundum illud Proverb.* 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da illi potum. *Sed quod praeter articulum necessitatis hujusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis,*

per quam aliquis non solum cavet vinci a malo, quod est necessitatis; sed etiam vult in bono vincere malum, quod est perfectionis.

Consectaria.

I. *Propositiones damnatae.*

Merito ab Innocentio XI. proscriptae sunt sequentes propositiooes: *Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali: Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Ab iis parum, vel nihil distat doctrina Marci Vidal in *Arca* de charitatis praecepto inquisit. 1. n. 85. docentis: *Advertendum tamen, hoc praeceptum impleri per hoc, quod nullum malum ut malum proximo inferatur, et ideo non est praeceptum obligans ad habendum actum internum de dilectione erga proximum, quum per se non pateat proximo, sicut Deo.*

II. *Non implet praeceptum charitatis, qui actus charitatis erga proximos, sive in particulari, sive in communi non exercet.*

Noo implet praeceptum charitatis, qui nunquam internum actum elicit charitatis erga proximos io communi. Quum eoim charitatis proximi praeceptum sit affirmativum, non obligat quidem pro semper, sed aliquando, proinde eodem modo sentieodum est de actibus hujus amoris, ac de actu amoris Dei, et iis statuendum temporibus obligare, quibus ille adstringit. Pariter nec ille huic praecepto satisfacit, qui proximo particulari io necessitate coostituto auxilium ooo praestat, saltem aliquaodo, ex motivo charitatis, sive hoc praeceptum, tunc urgere dicatur per se, sive per accidens, parum enim refert. Dixi *saltem aliquando,* quia non est de oecessitate salutis, et praecepti ut semper, quum proximo indigeoti vel spiritualiter, vel corporaliter auxiliamur, id fiat actu expresso charitatis; quum hoc praeceptum noo semper urgeat, sed aliquaodo, ac proinde sine violatione hujus praecepti poterit quis proximo subvenire ex alio virtutis motivo, puta misericordiae. Utile tamen erit, et homine Christiano dignum, etiam charitatis actum semper adjungere.

III. *Odium, ac desiderium vindictae, a corde arcendum.*

Ex praecepto charitatis erga inimicos tenemur omoe odium, desiderium vindictae, vel mali infligeodi a corde arcere: hoc enim pertioet ad charitatis praeceptum ea parte, qua negativum est; uode obligat semper, et pro semper. Hioc peccatum lethale est, si odium diurnum, intestinum, et grave sit, et similiter si vindicta quae designatur sumenda, vel malum iofligendum sit grave.

IV. *Salutatio inimicis, quando sine peccato omittere possit.*

Ubi mos est, ut omnes sese iodiscriminatim saluteot, vel alloquantur, non licet ioimicum non salutare; sicut si aote ioimicitiam solebat intercedere salutatio, si plures occurrentes salutarentur, excluso ioimico, et denique si ioimicum salutantem resalutare quis contemneret, praesertim si deliberate, et advertenter fiat, contra charitatem peccatur. Haec enim sunt officia communia, quae juxta sanam doctrinam ioimicis absque charitatis laesiooe nequeunt denegari. Noo semper tamen lethale peccatum incurritur, sed quaodoque solum veoiale juxta diversas circumstantias persoonarum, loci, temporis, ac praesertim interioris animae dispositionis, et scandali, quod

inde posset oriri. Sic veniale erit salutationem vel allocutionem omittere non ex odio, sed ex verecundia, et animi pusillanimitate. In Superioribus, Parentibus, Magistris salutationem denegare inferioribus, filiis, discipulis, vel ob justam punitionem, vel ad culpabilis emendationem, vel ob detestationem peccati enormis, et cum scandalo perpetrati, nullum peccatum esse poterit, vel veniale erit, si modum aliquanto excedit, mortale, si diutius duret, subditos exasperet, offensionis illis, et scandali caussa sit. Venialis erit etiam hujusmodi omissio, si ex inadvertentia fiat, si brevi intervallo duret, si ex animi turbatione repentina procedat. Peccatum lethale erit, si ex odio fiat, si cum scandalo gravi proximorum, si diuturniore tempore, si salutationis, et allocutionis officia denegentur, quae opportuna, et efficacia vel ad inimicum placandum, vel ad odium a se, vel ab hoste depellendum deprehendantur, et praesertim inimico salutanti, vel alloqui volenti terga vertere, resalutationem denegare raro a gravi culpa excusarem, maxime si paris sint inter se conditionis, licet fortassis intimae.

V. *Inimico veniam petenti, pax danda.*

Inimico veniam petenti, et juxtam exhibenti satisfactionem non potest sine gravi charitatis offensione pax, et venia a privatis personis denegari. Dixi *a privatis:* possunt enim quandoque Superiores, servato intus amore, exterius veniam denegare, ut inferiores magis resipiscant, et errorem suum agnoscant; haec tamen dilatio suos habet limites, ne subditi vel exacerbentur, vel offensionem patiantur; immo etiam offensori non petenti veniam a vero Christiano exhibenda sunt dilectionis signa, et officia, et pax ac venia offerenda, si vel agnoscat illum prae timore ad veniam petendam non accedere, vel hoc ad odium e corde ejus evellendum noverit posse conducere.

VI. *Debitum honoris, famae, pecuniae non tenetur quis condonare.*

Charitatem non laedit, qui concessa venia offensae, debitum tamen honoris, vel famae, vel pecuniae satisfactionem renuit condonare, dummodo non ex vindicta fiat, sed solum ad se servandum indemnem. In satisfactione autem, et venia petenda hic ordo servandus. Qui prior laesit, veniam debet petere, vel saltem paci viam sternere, sicut et qui gravius laesit. Si pares sint in offensa, et pars in rixa excitanda, utrinque unus incumbit alterum praevenire, quum nulla sit ratio, cur alter potius alterum praecurrere debeat. Si qui offendit etiam injuste, longe sit offenso superior, non oportet, ut veniam petat, sed sufficit si specialia exhibeat benevolentiae signa; offensus vero prompte dimittere debet. Sic Pater respectu filii, Episcopus respectu Clerici, Superior respectu Religiosi non necesse est, ut veniam petant. Filius vero, et Clerici, et Religiosi offensi non debent nec allocutiones, nec salutationes, nec alterius generis officia subtrahere; haec enim adeo sunt stricte debita, ut ea omittere vel rescindere vix, ac ne vix quidem unquam sine peccato lethali fiat.

CAPUT IV.

De ordine Charitatis.

I. *Duplex ordo in charitate affectivus, et effectivus.*

Duplicem distinguit S. Th. q. 26. ubi fuse de hoc ordine agit art. 6. ordinem in charitate affectivum, et effectivum, amoris, et sub-

ventionis. Prior in interiori affectu cordis consistit, alter in exterioribus actibus, et operibus. Porro affectus charitatis spectari potest in ordine ad bonum, quod amatur, et tunc rectus ordo postulat, ut finis ametur propter se, et media propter finem, et magis diligatur bonum perfectius, et minus quod inferius est, ac omnium denique maximum bonum, quod est Deus, super omnia. Hinc magis diligendae sunt personae meliores, sanctiores, quam aliae.

Ordo charitatis custodiendus est etiam in desiderio boni, qui sumitur ex comparatione diligentis ad personam dilectam, et ex istius cum illa majori, vel minori conjunctionis vinculo. Hoc etiam modo prae omnibus diligendus est Deus. Deus enim est, ut evincit S. Thom. art. 3. est verum et summum singulorum bonum; unde vel ipsa conjunctionis ratio intensiorem, majoremque Dei, quam aliorum, amorem inspirat. Ceterum facta nostri et proximorum, ac inter proximos, eorum, qui magis nobis conjuncti sunt, comparatione, *possumus*, inquit S. Th. art. 7., *ex charitate velle, quod iste, qui mihi conjunctus est, sit melior alio, et sic ad majorem beatitudinis gradum pervenire possit.* Huic S. Thom. doctrinae innititur frequentior Doctorum sententia, quae asserit, nos teneri magis nos ipsos quoad animam, bona spiritualia, vitam corporalem aliorum vitae comparatam diligere, quam proximorum.

II. *Alii charitatis ordines, et gradus ex D. Thom.*

Alios etiam dilectionis gradus, et ordines exponit S. D., et 1. docet art. 7., illos, qui sunt sibi propinquiores, intensiori affectu diligi posse relate ad illud bonum, ad quod illi diliguntur, quam meliores ad majus bonum. Non enim repugnat charitati, ut bono alterum sibi propinquum, licet aeque, aut minus bonum altero, acriori intensione diligat magis expresso cogitationis, et dilectionis actu, ac saepe repetitis actibus amoris, quae omnia intensiorem faciunt charitatem. Docet 2., aliquando majorem esse unius, quam alterius dilectionem ea ratione, quod pluribus modis alter, quam alter diligi possit. Docet 3., contingere in Patria, quod aliquis sibi conjunctum pluribus modis diligat, quia non cessabunt in Patria honestae dilectionis causae in animo Beati; et Beatorum quemlibet intensius diligere seipsum, quam proximum etiam meliorem.

III. *Ordo in exterioribus charitatis officiis, duplicem normam habet.*

Ordo servandus in exterioribus benevolentiae officiis duplicem normam habet, ac regulam servat; nempe indigentiam personae, et ejus cum diligente conjunctionem. Gradus suos habet tum indigentia, tum conjunctio: alia siquidem est indigentia communis, alia gravis, alia extrema; hinc juxta varias circumstantias modo unum, modo alterum ordinem servat charitas in effectibus suis. Hinc nonnullae praestitui valent regulae custodiendae.

Reg. 1. est generale illud S. Augustini documentum lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 28. *Quum omnibus prodesse non possis, iis potissimum consulendum est, qui pro locorum, et temporum, vel pro quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi junguntur.*

IV. Reg. 2. *Quid in paris indigentiae casu agendum.*

In casu paris indigentiae, aut necessitatis spiritualis, et corporalis S. Th. 2. 2. qu. 26. a. 9. docet, Filium Patri in subventione praefe-

rendum, *quia filius* est magis propinquos parenti, utpote *pars ejus existens, quam Pater filio, ad quem habet habitudinem principii.* Nihilominus tamen in resp. ad 3. *In articulo necessitatis, filium obligari* docet, *ex beneficiis susceptis, ut parentibus maxime provideat.* Itaque extra hunc casum necessitatis extremae, vel gravis, potius filio quam patri succurrendum est; quia parentes filios debent curam provisionis: et quod de patre asserimus, est quoque de matre intelligendum.

V. Reg. 3. *An magis diligenda uxor, quam pater ac mater.*

Idem S. D. art. 11. docet; *Secundum rationem conjunctionis magis diligendam uxorem, quam patrem, et matrem, quia uxor conjuncta est viro, ut una caro existens.* Sed si gradus dilectionis *secundum rationem boni* considerentur, docet, magis diligendos esse parentes, quia hi diliguntur *sub ratione*, principii, *et eminentioris cujusdam boni.* Hinc etiam facta comparatione inter uxorem et patrem vel matrem extrema necessitate laborantem, bis potius quam illi subveniendum est propter ab eis accepta beneficia.

VI. Reg. 4. *Num propinquiores sint magis aliis diligendi.*

Doctrina est D. Th. art. 8., inter conjunctos, illos, qui secundum carnis originem sunt nobis propinquiores, ceteris paribus, debere magis diligi in iis, *quae pertinent ad naturam. Ad naturam*, inquit, sive ad vitam conservandam: quia quum praeter conjunctionem sanguinis aliae sint, unusquisque magis diligendus est in eo, quod pertinet ad illam conjunctionem, secundum quam diligitur, ut in iis, quae pertinent ad civilem conversationem plus diligendi sint concives, in bellicis commillitones, in iis, quae ad Religionem, Religiosi.

VII. Reg. 5. *Habenda ratio est differentiae conjunctionis, sanctitatis, et utilitatis.*

Optime monet S. Th. q. 32. art. 9. *Discretionis rationem habendam esse* secundum differentiam *conjunctionis, et sanctitatis, et utilitatis, et multo sanctiori magis indigentiam patienti, et magis utili ad commune bonum, esse magis dandam eleemosynam, quam personae propinquiori, maxime si non sit multum conjuncta, cujus cura specialis nobis non immineat, et si magnam necessitatem non patiatur.*

Consectaria.

I. *Nunquam licet velle pati quamcumque gratiae jacturam.*

Propter bonum spirituale etiam totius mundi nunquam licet velle pati quamcumque gratiae jacturam sive per peccatum mortale, sive per veniale. Quia charitas exigit, ne mala fiant, ut bona eveniant juxta Apostoli effatum ad Rom. 3. Pariter nunquam licet velle carere gratia seu charitate sive in perpetuum, sive ad tempus, etiamsi putemus, id fieri posse absque peccato, et ad salutem aliorum utile videretur. Quia ex ordinata charitate debemus nobis potius quam aliis velle bonum amicitiae divinae, alioquin magis diligeremus alios, quam nosmetipsos. Demum nunquam licet pro salute proximorum velle carere beatitudine in perpetuum. Quia ordinata charitas, quum sit amicitia hominis ad Deum, inclinat hominem, ut desideret unionem cum amato Deo in praesenti vita per gratiam, in futura per gloriam. Carentiam autem beatitudinis ad tempus aliquod ob spiritualem proximi utilitatem velle quempiam licite, immo laudabiliter

posse, dubitare non sinunt exempla SS. Pauli, et Martini, aliorumque.

II. *Ob bonum virtutis, licet vitam dare pro vita proximi.*

Licet vitam pro vita proximi offerre propter virtutis christianae bonum, ut v. gr. vita salvetur illius, qui prudenter existimatur magis utilis ad gloriam Dei, et animarum salutem promovendam. Ita S. Th. 3. Sent. dist. 29. q. 1, a. 5. Tenetur vero quilibet etiam cum periculo propriae vitae corporalis saluti aeternae proximi in extrema necessitate constituti consulere. Ita idem S. D. Opusc. de vita spirituali cap. 14. *Plus* enim *debemus diligere proximum* (quoad animam), *quam corpora nostra.* Eapropter tenetur, quilibet puerum jamjam moriturum etiam cum vitae periculo baptizare, et quilibet Sacerdos mox morituro, et Confessionem petenti debet etiam cum vitae periculo Poenitentiae Sacramentum administrare. Ad hoc vero multo magis teneantur illi, qui proximum in talem extremam necessitatem culpa sua conjecissent; sic obstetrices iniquae, quae pueros invalide baptizarunt, tenentur se prodere, et crimen suum etiam cum periculo vitae manifestare, si sit spes probabilis consulendi hoc pacto spirituali infantium saluti, nec alia sit via damnum illatum reparandi: sic enim postulat charitas, et justitia. Similiter qui proximum in haeresim vel infidelitatem pertraxisset, tenetur etiam cum periculo vitae ipsum ad veram fidem revocare.

III. *Nemo sui defensionem tenetur negligere, nisi aliquod spirituale bonum spectetur.*

Nemo tenetur sui defensionem negligere, ne injustum aggressorem occidat gravis culpae reum. Necessitas enim illa voluntaria omnino est, ac libera, potest siquidem ab illa se liberare, a crimine, et injusta invasione abstinendo. Nemo quoque tenetur propriam vitam corporalem minus diligere, quam vitam corporalem proximi. Hinc in extrema necessitate positus non debet alteri in pari necessitate constituto vel cibum cedere, vel equum praebere, quo mortem effugiat, vel tabulam in naufragio. Ita quidem si comparatio fiat vitae cum vita; at si majus aliquod spectetur bonum, id est vel publica utilitas, vel bonum virtutis, vel major Dei gloria, tunc licebit vitam pro vita ponere, ut initio Consectarii 2. diximus. Proinde a Salmaticensium recedimus opiniones, qui censent absolute licere in naufragio cedere alteri tabulam; quod verum non est, nisi aliquod accedat virtutis officium, quod cessionem honestet.

IV. *In gravi proximi necessitate, etiam spirituali nemo, exceptis Pastoribus, tenetur auxilium ferre cum vitae periculo.*

Nemo tenetur gravi proximi necessitate etiam spirituali cum vitae periculo auxilium ferre. Hinc si pater velit ob inopiam gravem filium prostituere, non teneris cum vitae periculo occurrere, et prostitutionem impedire. Excipiendi tamen sunt Pastores, quia obligantur ratione officii ad avertenda gregis sibi commissi spiritualia mala arctius, ac strictius quam ceteri, quibus non est ea cura commissa: quare, si coeteri in extrema necessitate teneantur subvenire, illi etiam in gravi. Praeterea Pastores ex officio adstringuntur gregem pascere Sacramentis, et verbo Dei, quotiescunque id ejus saluti est vel absolute, vel graviter necessarium. Tenentur proinde, grassante lue,

vel epidemicis morbis urgentibus, etiam cum vitae periculo, gregi suo opitulari: nec possunt officium dimittere; alioquin nullus Pastor teneretur in tali necessitate suis ovibus opem ferre; posset siquidem quilibet cessionis beneficio ab onere se subtrahere.

V. *Aliquando licet vitam exponere, pro bonis temporalibus proximi.*

Licitum non est pro tuendis honore, fama, bonisque temporalibus proximi propriam vitam periculo exponere. Non enim tunc rectus servatur charitatis ordo, qui jubet potiora bona esse bona inferioris ordinis praeferenda. Ob bonum tamen commune Reipublicae, vel ob vitam Principis tuendam ad commune bonum necessariam, licitum est privatis propriam vitam temporalem discrimini exponere. Quia charitatis ordo postulat, privatum bonum esse communi postponendum. Immo et nonnulli ad hoc tenentur, illi nempe quibus id competit ex officio. Sic milites stationem tenere debent etiam cum periculo vitae: Medici, et Chirurgi pretio conducti tenentur peste infectis servire, eisque mederi, praesertim nisi alii adsint, qui haec necessaria praestent officia.

VI. *Cum levi damno, tenemur avertere grave proximi damnum.*

Tenemur grave damnum in bonis temporalibus a proximo avertere cum levi damno temporali nostro. Id quoque maxime consonum est ordini charitatis, quae in naturali principio relucet, faciendum alteri quod sibi vellet fieri. Hinc si quis videat latrones paratos ad vicini domum expilandam, et potest exigua erogata pecunia avertere, ex charitate tenebitur tantum damnum a vicino arcere.

VII. *Ad mortem damnato, non licet sibi necem inferre.*

Non licet ad mortem damnato sibi necem consciscere: hoc enim esset contra charitatem sui; nec Judex hoc praecipere potest, quia crudele hoc esset, et inhumanum praeceptum, sed solum tenetur mortem sibi a carnifice illatam patienter, et fortiter tolerare. Propterea non licet damnato ut fame pereat cibum respuere, sed oblatum debet recipere, et vitam quoadusque sibi eripiatur conservare.

CAPUT V.

De actibus exterioribus Charitatis, Eleemosyna, et correctione fraterna.

I. *Exteriorum actuum charitatis enumeratio.*

Exteriores charitatis actus, quos omnibus amicis, et inimicis pro loco, tempore, et circumstantiis exhibere praecipimur, enumerat S. Th. 2. 2. q. 32. art. 2. scribens: » Ponuntur septem eleemosynae » corporales, scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire » nudum, recolligere ospitem, visitare infirmum, redimere captivum, » sepelire mortuum. Ponuntur etiam septem eleemosynae spirituales, » scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, » corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos, et » graves, et pro omnibus orare ». Quae hisce duobus versiculis continentur: *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. Consule, carpe, doce; solare, remitte, fer, ora.* Omnes igitur actus charitatis ad eleemosynam revocat D. Th., sive corporalem, sive spiritualem. Hinc opus non est de singuli agere, sed vestigia S. D. pre-

mentes de eleemosyna corporali primum dicemus, deinde de spirituali, idest de Correctione fraterna.

II. *Eleemosynae elargitio cadit sub praecepto naturali.*

Sub naturali praecepto cadere eleemosynae largititionem evincit S. Th. loc. cit. art. 5. *Quum enim*, inquit, *dilectio proximi sit in praecepto, necesse est illa omnia cadere sub praecepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur secundum illud* 1. *Jo.* 3. Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate. *Ad hoc autem, quod velimus, et operemur bonum alicujus, requiritur, quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynarum largitionem; et ideo eleemosynarum largitio est in praecepto.* Praecepto etiam divino teneri homines ad erogandas pauperibus eleemosynas evincunt luculentissima S. Scripturae testimonia Tob. 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini.* In N. T. expresse jubet Christus Luc. 11. *Quoad superest, date eleemosynam.* Et Matth. 25. aeternam damnationem indicit illis, qui eleemosynas pauperibus denegaverint: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum .... esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, sitivi, et non dedistis mihi potum* etc. Patrum testimonia adeo frequentia sunt, et cuique obvia, ut ea referre supervacaneum sit.

III. *Triplex necessitatis gradus.*

Porro ut de quibus bonis danda sit eleemosyna, definiamus, haec sunt praemittenda. Triplici necessitatis gradui subjacere indigentia proximi potest. Primus extremus dicitur, quando pauper est in proximo, seu probabili periculo vel amittendae vitae, vel alicujus membri, vel in amentiam incidendi. Et hic opportune animadvertit D. Th. non esse expectandam extremam penuriam, et necessitatem, *sed quum apparent signa probabilia extremae necessitatis*, urgere praeceptum eleemosynae dandae: *tunc enim forte non posset juvari natura jam fame vel siti consumpta*, ut ait in 4. dist. 15. p. 2. art. 1. q. 4. ad 4. Secundus necessitatis gradus est, qui gravis dicitur, quando nimirum ex deficientia eleemosynae, et auxilii, spectato consueto rerum cursu, imminet proximo grave damnum sive in vita, sive in honore, sive in statu, vel re domestica, puta si nobilis ad famuli conditionem redigeretur, si honestus civis cogeretur vel rustica opera exercere, vel emendicato pane vivere. Tertius est, qui communis dicitur, cui subjacent illi, qui victum sibi comparare non valentes ostiatim mendicare coguntur, et pauperum communi vocabulo designantur.

Superfluum pariter ex triplici capite desumitur, 1. ex superabundantibus naturae, ex iis nempe, quae necessaria sunt alendae vitae nostrae, et aliorum ad nos pertinentium. 2. Ex superabundantibus statui, iis videlicet, quae necessaria sunt ad statum conservandum, in quo divina nos providentia collocavit, et haec latitudinem patiuntur: quaedam enim absolute sunt statui necessaria, quaedam solum ad ejus decorem, atque decentiam. 3. Ex superabundantibus utrique, nimirum naturae, et statui. Ita S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 6. His costitutis has praestituimus regulas.

IV. Reg. 1. *De his, quae tum naturae, tum statui superabundant, danda est ex praecepto eleemosyna.*

Ita S. Th. pluribus in locis, ac praesertim loc. cit. a. 5. ad 3. *Est aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat ... ex parte dantis, quum habet superflua, quae secundum statum praesentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter aestimari potest. Nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum: hoc enim est de crastino cogitare, quod prohibet Dominus* etc. *Sed debet dijudicari superfluum, et necessarium secundum ea, quae probabiliter et ut in pluribus occurrunt.* Quod repetit in 4. dist. 15. q. 11. art. 1. q. 4. *dare eleemosynam de superfluo cadit sub praecepto.* Quae doctrina nititur his Christi Domini verbis Luc. 11. *Quod superest date eleemosynam.* In hac D. Thomae certa, et constanti doctrina illud est animadvertendum, totam rationem praecepti ex superfluitate desumi, nulla habita ad indigentium necessitatem relatione. Hinc qui superfluum habet, hoc solo nomine tenetur illud in eleemosynam erogare, sive pauperum necessitas gravis sit, sive extrema, sive communis.

Reg. 2. *In casu extremae, et urgentis necessitatis danda est eleemosyna ex superabundantibus naturae, licet necessaria statui.*

Ita docet S. D. loc. cit. scribens: *Et aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat: ex parte quidem recipientis, quum apparet evidens, et urgens necessitas, nec apparet in promptu qui ei subveniat.* Et revera si hoc in casu eleemosynae praeceptum non obligaret, mandatum supervacaneum omnino foret.

VI. Reg. 3. *Nemo tenetur ex necessariis propriae vitae, vel suorum stipem dare indigenti in extrema necessitate*

Ita S Th. loc. cit. a. 6. *Quia*, inquit, *de hoc necessario eleemosynam dare est sibi, et suis vitam subtrahere.* Subdit tamen: *Hoc dico, nisi forte talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi daret alicui magnae personae, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur:* quia pro talis personae liberatione seipsum, et sua laudabiliter (nota *laudabiliter, non necessario*) *periculo mortis exponeret, quum bonum commune sit proprio praeferendum.*

VII. Reg. 4. *In gravi proximi necessitate tenentur divites eleemosynam erogare indigentibus ex superfluis naturae, licet statui, decentiae, et decori sint necessaria.*

Hujus regulae ratio est luculentissima. Nam una ex parte gravis necessitas illa est, in qua pauper, nisi adjuvetur, in grave incidit malum, idest talem patitur miseriam ex qua facile est, ut morbum incurrat, et infirmitatem, vel in carcerem conjiciatur etc. Ex alia vero *hujusmodi necessarii* (ad decentiam) *non est*, ut ait S. Th., *in indivisibili constitutus, sed multis additis, non potest dijudicari esse ultra tale necessarium, et multis subtractis, adhuc remanet, unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum.* Ergo quum possit dives absque magno detrimento sui status pauperi gravi presso egestate subvenire, ex praecepto tenetur: nam ordo charitatis postulat, ut grave proximi malum levi, et tenui incommodo meo praeferatur; alioquin quomodo proximum diligere diceretur, qui illum gravi cernens pressum necessitate illi non auxiliaretur, quum posset sine gravi et magno suo incommodo?

VIII. Reg. 5. *Quando urget praeceptum dandae eleemosynae communiter loquendo illud non implet, qui tantum mutuum dat.*

Nam eleemosynae praeceptum, quod per se urgere supponimus, aliud omnino est a praecepto mutuandi: et quando urget praeceptum eleemosynae, tunc bona habentis licet sua sint quoad dominium, pauperum tamen sunt quoad usum; illis ergo sunt debita, et quod alteri est debitum, non est illi cum onere restitutionis tribuendum? Dixi *communiter*, quia scio dari posse casum, quo solo mutuo impleas praeceptum, nimirum si forte quis in urbe sua dives et locuples, in longinquas terras peregrinus naufragio, vel latronibus expoliatus ad extremam vel gravem miseriam deveniat; et de hoc casu loquitur S. Thom. quodlib. 5. art. 17. ad 2.

IX. Reg. 6. Inter necessaria statui, et ejus decori absit ut computentur ea bona et pecuniae quae in operibus lege divina vel humana vetitis dissipantur, puta in scortationibus, concubinis, in aleatoriis ludis, in ebrietatibus, et crapulis, in theatris, comediis, et similibus. Quis enim non videt, haec nulli Christianorum statui convenire posse, quia divinis vetita preeceptis, et quia non decentiam praeferunt, sed turpitudinem?

X. Reg. 7. *Nec inter necessaria statui et ejus decentiae computandae sunt opes, et divitiae, quae consumuntur in superfluo luxu, in vestibus praetiosis, in curribus, in aequis, et similibus.*

Hanc regulam non ego, sed SS. Patres constituunt. Unus audiatur D. Joan. Chrysost. hom. 1. super illa verba: *Ne timueris, quum dives factus fuerit homo:* ubi sic ait: *Cur geris sericas vestes, et equos habes aureis frenis, mulasque ornatu decoratas? .... Mulae rationis expertes ornantur, et pauper fame confectus pro foribus sedet, Christusque fame necatur: O summam amentiam! Quae defensio, quae venia, quando Christus stat pro foribus tuis habitu pauperis, tu vero nullo modo flecteris? Quis te ex suppliciis inferendis eripiet?*

XI. Reg. 8. *In divitibus frequenter multum superflui etiam ad actus decentiam reperitur.*

Quis enim inficiabitur in tanto divitum luxu, qui in divitibus, et matronis nostri temporis cernitur, plurima esse etiam decentiae status plane supereffluentia? Rem satis est perpendere non juxta saeculi mores, sed juxta Evangelii, et christianae doctrinae normam, et veritas apertissima apparebit. Hinc nulla doctrina falsa magis, laxa, et iniqua, quam illa, quae continetur in propositione a Sum. Pontificibus damnata: *Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui.* Hoc superfluum pene in omnibus pro modulo status uniuscujusque reperit Augustinus Ennarr. in Psal. 147. n. 12. *Multa superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus: nam si omnia quaeramus, nihil sufficit ..... Quare quantum tibi dederit, et tolle quod sufficit ... caetera quae superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Res alienae possidentur, quum superflua possidentur.* Divites ergo, nisi sibi attente caveant, de externa sua salute periclitantur vel eo solo nomine, quod eleemosynae praeceptum non implent.

XII. A quibus personis, et de quibus bonis facienda sit eleemosyna, nonnullis regulis breviter statuo.

Reg. 1. Eleemosyna debet fieri non de bonis alienis, sed de bonis propriis, quorum qui largitur eleemosynam aliquod dominium habeat.

Manifesta est haec regula ex Scripturis praecipientibus Tob. 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Et Isaiae 58. *Frange esurienti panem tuum etc.* Hinc S. Th. q. 32. a. 8. inquit: *Ille, qui est sub potestate constitutus, de re, secundum quam superiori subjicitur, eleemosynam facere non debet, nisi quatenus ei fuerit a superiore commissum. Si quis vero habeat aliquid, secundum quod potestati superioris non subsit, quantum ad hoc sui juris existens: et de hoc potest eleemosynam facere.*

XIII. Reg. 2. Eleemosyna non est facienda de bonis ex injustitia comparatis, nimirum furto, rapina, usuris. Ratio est, quia haec sunt dominis suis restituenda, nec in dominium transeunt rapientium. Si vero restitutio nullo alio modo fieri possit, possunt, ac debent pauperibus in eleemosynam erogari. Ita S. Th. q. 32. a. 7.

XIV. Reg. 3. Pecunia, sive alia bona per simoniam acquisita, sunt in usum pauperum, vel Ecclesiae eroganda. Ita S. Th. l. c. a. 7. *Et aliquid illicite acquisitum .... quia contra justitiam accepit, et alter contra justitiam dedit; sicut contingit in simonia, in qua dans, et accipiens contra justitiam legis divinae agit: unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynam erogari.* Et idem de acquisitis malis artibus intelligendum, puta sortilegiis, incantationibus, magia etc. sicut et de acquisitis pravis actibus, ut homicidiis, perjuriis, iniqua sententia, et similibus; quum in iis omnibus militet ratio D. Th., quia nimirum *contra justitiam divinae legis agunt.*

XV. Reg. 4. Ex bonis lenocinio, vel meretricio acquisitis licet eleemosynam facere. Ita idem S. D. loc. cit. *Quod enim,* inquit, *meretricium mulier exerceat, turpiter agit, et contra legem Dei, sed in eo, quod accipit, non injuste agit, nec contra legem. Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, et de eo eleemosynam fieri.* Monet tamen in resp. ad 2. *Quod non fiat de eo sacrificium, vel oblatio ad altare tum propter scandalum, tum propter sacrorum reverentiam.*

XVI. Reg. 5. Beneficiarii, sive redituum beneficiorum domini dicantur, sive non (de hoc enim inferius disputabimus) ex justitia tenentur superfluum pauperibus erogare. Si enim nullum habent eorum dominium, certum est, ab ipsis retineri non posse, sed esse, pauperibus distribuenda, solum ea portione retenta, quae ad eorum sobriam sustentationem sunt necessaria. Si vero illis aliquod tribuatur dominium, illud gravatum habent onere justitiae, ut quae eorum superabundant sustentationi, pauperibus distribuantur. Id evincunt plurimi Canones, et SS. Patrum testimonia. Conc. Carthag. IV. declarat, *Beneficiarios rebus Ecclesiae tamquam commendatis, non tamquam propriis uti debere.* Hinc S. Augustinus, qui huic interfuit Concilio, Epist. 185. scribit: *Si privatim quae nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Idem docet S. Thom. quodl. 6. q. 7. c. 12. scribens: *Bonorum Ecclesiasticorum Clerici non sunt vere Domini, sed dispensatores.* Deinde definit, eos peccare mortaliter, si quae eis superfluunt, in eleemosynas non elargiantur.

CONSECTARIA.

I. *Divites qui paucos obulos pauperibus distribuunt, non implent hoc praeceptum.*

Non implent praeceptum eleemosynae faciendae divites, qui amplis divitiis ornati solum viles reliquias, paucosque obulos pauperibus communi pressis necessitate distribuunt. Isti siquidem respectum habera tenentur ad divitiarum copiam, qua abundant, et juxta illam eleemosynas elargiri. Sic enim jubet Scriptura Tob. 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum, libenter impertiri stude.* Neque illud implent, ac peccant lethaliter, qui dum vivunt divitias congregantes, nullas, vel tenues eleemosynas erogant, sed in testamento omnia ad pias causas distribuenda decernunt. Deceptio diabolica haec est, qua multi falluntur Christiani. Praeceptum enim eleemosynae dandae adstringit, et ratione necessitatis pauperum, et superabundantiae divitum: quando igitur neget pauperum indigentia, et abundant superflua, tunc danda est eleemosyna, praecepto tunc temporis urgente, nec sine peccato differenda impletio.

II. *Praeceptum violant, qui superflua sibi retinent, ut ad altiorem statum ascendant.*

Violant, et quidem lethaliter, praeceptum dandae eleemosynae, qui superflua praesenti statui sibi retinent, ut ad altiorem statum ascendant. Nam licet absolute praesentis status mutationem appetere, sibique procurare damnabile non sit: plures tamen sunt conditiones tum ex parte divitum, tum ex parte pauperum pensitandae, ut haec status mutatio sine crimine, et violatione praecepti eleemosynae fiat. 1. conditio ex parte divitis est, ut non libidine, et ambitione altioris status moveatur, sed desiderio nobilioris, et altioris virtutis exercendae. 2. est, ut mutatio status sit honesta, et respondens donis, aptitudini, et virtuti illius, qui altiorem statum sibi comparare studet: sic artifex, qui ad mercaturam exercendam idoneus est, potest ad mercatoris conditionem aspirare, non vero, ut fiat nobilis; et pari pacto Mercator aliqualem nobilitatem poterit appetere, non vero illustriorem, et altiorem. Ex parte vero pauperum, quibus superflua denegantur, hae sunt attendendae conditiones, nimirum 1. Ne urgeat extrema, vel gravis necessitas pauperum: tunc enim qui in nobiliori statu versantur, tenentur aliquo modo ex sua conditione descendere, quanto magis ergo qui nobiliorem conditionem non obtinent, ad eam aspirare prohibentur, dum agitur de extrema, vel gravi proximorum necessitate? 2. Ne in communibus etiam necessitatibus pauperes omnino deserantur, sed semper stipes eis distribuantur, et respectus eorum indigentiis habeatur. 3. Ut ea, quae sibi reservant, non sint ex iis, quae pauperibus debentur tamquam superflua et naturae, et decori status, sed illa, quae posset sibi concedere tamquam convenientia conditioni et decori praesentis sui status: nam quum plura sint, ut diximus ex D. Th., *quibus additis non potest dijudicari esse ultra necessarium status, et multis subtractis adhuc remanet, unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum*, ex istis potest plura de-

cerpere et reservare, queis ad nobiliorem conditionem valeat ascendere, dummodo cetera supereffluentia eundem decorem et convenientiam pauperibus eroget.

III. *Pauperes in extrema necessitate, quid sibi de rebus alienis tribuere queant?*

Pauperes in extrema necessitate constituti possunt ex alienis rebus tantum sibi tribuere, quantum ad praesentem eorum levandam necessitatem sufficiat, cujus tamen rei, si sufficiat usus non obtinent dominium. Hinc si res non consumatur sed supersit, puta schifus, vel aequus ad salvandam vitam ereptus, est suo domino restituenda; et similiter si de pecunia vel frumento aliquid extremae necessitati supersit, est domino restituendum; non vero res per usum consumpta, licet constitutus in extrema necessitate postea ditescat, et possit dominium compensare. Non est tamen haec doctrina ad gravem necessitatem extendenda; unde merito damnata fuit ab Innocentio XI. haec propositio 36. in ordine: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

IV. *Filius familias, quando possit eleemosynas erogare.*

Filiis familias concessum non est eleemosinas erogare de bonis parentum, quippe quia nullum eorum penes illos dominium adest; *nisi forte*, ait S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 3., *aliquam modicam* (eleemosynam), *de qua praesumere potest, quod Patri placeat, nisi forte alicujus rei esset sibi a Patre dispensatio commissa.* Et praeter hos duos casus possunt filii de bonis parentum eleemosynas erogare de datis sibi ad honestam recreationem eam sibi subtraendo. Sic foris morantes ad agenda Patris negotia, vel ad studiis vacandum in aliquo Collegio, possunt congrua et suo statui decentes eleemosynas erogare. Immo si Pater ipse eleemosynae erogandae praecepto deesset, posset filius necessarias eleemosynas erogare. Idem dicendum de bonis tum adventitiis, tum profectitiis, quae vel subsunt dominio Patris, vel licet quoad dominium ad filium pertineant, eorum tamen usus, et administratio penes parentes est. Secus vero de bonis castrensibus, quae quum pleno jure sint filii, liberum est illi quas magis sibi libuerit eleemosynas dare.

V. *Uxores quid possint in eleemosinynam dare.*

Uxores de bonis communibus absolute eleemosynam erogare non possunt; quippe quae nullum habent illorum bonorum vel dominium, vel administrationem. Poterunt tamen aliquas tenues eleemosynas, et consuetas elargiri, quae juxta pauperum multitudinem, et divitiarum copiam, et mariti liberalitatem sunt taxandae. Possunt etiam, immo et debent, si adsit extrema pauperum necessitas. Concessum est etiam illis aliquando pauperibus auxiliari ex bonis familiae ad malum aliquod sive spirituale, sive corporale avertendum, quod marito, vel familiae immineat: agit enim tunc caussam et familiae, et mariti, qui invictos rationabiliter nequit supponi. Sicut si maritus negligat eleemosynas facere, vel absens sit. Si uxor parentes habeat vere indigentes, illis sicut ceteris pauperibus elargiri poterit, sicut et filiis ex alio viro susceptis, vel etiam fratribus suis. dummodo tamen legitimos custodiat terminos, nec marito, aut ejus filiis noceat; proinde si det parentibus, vel filiis, vel fratribus suis, non

debet tunc et aliis pauperibus dare, ne consuetam excedat eleemosynae mensuram. Caveant tamen uxores, ne in hisce erogandis eleemosynis marito displiceant, vel invitum habeant: tunc enim, ne pax turbetur, debent abstinere. Si vero uxor bona habeat paraphernalia, quae ipsi justo titulo haereditatis, vel donationis obvenerint, poterit, tunc etiam marito invito de illis eleemosynam dare.

VI. *Famuli et Tutores, an possint erogare eleemosynam.*

Famuli nequeunt de bonis dominorum suorum eleemosynas facere sine eorum consensu: nam aliena non sua donarent. Possunt tamen de victu sibi ad mensuram tributo, necnon de pecunia in mercedem assignata aliquid detrahere ad eleemosynam erogandam. Tutores, et Curatores, sicut minores, et pupilli licite possunt eleemosynas elargiri. Illi enim habent administrationem, isti dominium suorum bonorum, quorum administratione non ita earent, ut a pietatis officiis praepediantur, praesertim si Tutores, et Curatores ea negligant. Verum Tutores, et Curatores, quum justitiae praesertim ministri sint, non charitatis, nequeunt pro libito eleemosynas facere, sed solum juxta conditionem, statum, et facultates pupillorum, et minorum juxta quem modum et isti queunt eleemosynas erogare.

VII. *Regulares voto paupertatis adstricti, nequeunt sine Praelati licentia eleemosynas elargiri.*

Regulares voto paupertatis adstricti nequeunt eleemosynas sine Praelati licentia impertiri. Haec autem licentia praesumi non potest, quando Praelatus adest, sed ab illo est petenda; praesumi tamen potest, dum Regularis iter agit. Nequeunt aliquid sibi subtrahere ex iis, quae ad sui sustentationem a Monasterio accipiunt, ut in eleemosynam tribuunt, nec sunt Religiosi filiis familias in hoc comparandi, sed potius servis: quidquid enim aliquo modo acquirunt, non sibi sed Monasterio acquirunt, eapropter, ut haec quoque in pauperes licite distribuere valeant, veniam a Superiore petant oportet. Praelati vero, et Superiores licet bonorum Monasterii domini non sint, possunt tamen ratione administrationis, quam obtinent, quae superabundant pauperibus elargiri, quum et ad hoc fuerint Monasteriis bona donata, ut in pauperum etiam alimoniam cederent.

CAPUT VI.

De Eleemosyna spirituali, seu de Correctione fraterna.

I. *Correctionis fraternae definitio.*

Correctio fraterna ex D. Th. definiri optime potest. *Secreta admonitio, qua quis proximi malum studet repellere, quatenus est ipsi peccanti noxium.* De correctione fraterna latum est naturale praeceptum in illo contentum. *Quod tibi vis fieri, alteri facias:* quemadmodum enim quilibet vellet a se arceri malum aliquod imminens sive corporale, sive spirituale, ita debet velle arcere a fratre suo simile malum. Et in vet. Lege hoc viguisse praeceptum, ostendunt Eccles. cap. 17. verba: *Mandavit unicuique de proximo suo.* Confirmavit denique hoc praeceptum in Evangelio Christus, dum jussit Petro: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum.* Et hujusmodi praeceptum agnoscunt omnes Patres, et Theologi.

II. *Correctio fraterna non solos Praelatos, sed quemlibet privatum obligat.*

Hoc praeceptum non Praelatos solum, et Superiores, sed quemlibet etiam privatum obligat, ut docet S. Thom. hac q. 33. art. 3. Quum vero istud praeceptum affirmativum sit, non obligat semper, et pro semper, sed solum aliquando, scilicet pro loco, et tempore, ac circumstantiis, ut docet idem S. D. art. 2. Extenditur vero ad omnes etiam infideles, et haereticos, quos peccantes contra leges naturae vel Evangelii corripere debemus, si spes profectus adsit: *Correctio fraterna* (ait art. 4.) *quae est actus charitatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personae, ad quam charitatem, debet habere, si in ea aliquid corregibile inveniatur.*

III. *Conditiones requisitae, ut correctionis fraternae praeceptum urgeat.*

Ut autem correctionis fraternae praeceptum urgeat, nonnullae requiruntur conditiones tum ex parte corrigentis, tum ex parte peccantis. 1. est, ut peccatum sit grave, quum solum per peccatum lethale pereant fratres, quos Christus lucrandos jubet per correctionem; nisi forte veniale peccatum tale esset, ut periculum proximum afferret labendi in lethale. Excipiendi tamen sunt Praelati Ecclesiastici praesertim Regulares, qui suorum subditorum etiam veniales culpas, immo et regularum violationes corrigere debent, licet fortasse ex se nec gravia, nec levia peccata sint, quia ex legali justitia, praecavere tenentur Superiores, ne regularis disciplina labefactetur, adeo ut regulae transgressiones, quae in subditis vix venialia peccata sunt, earum tamen dissimulatio in Superioribus grave evadat peccatum, quum magnum inferat regulari observantiae nocumentum. 2. Quod cognitio delicti commissi, vel mox committendi sit moraliter certa, vel saltem firmis et probabilibus innixa momentis. Nisi forte de crimine agatur, quod in grave vergat Communitatis nocumentum, vel ipsi peccanti magnum sit illaturum periculum, vel damnum, quod ipse non animadvertit: tunc enim etiam in dubio, prudenti tamen, et fundato, correctio est facienda. 3. Ut adsit spes prudens, et probabilis emendationis, vel saltem alicujus profectus in eo, qui corrigitur: sufficit autem spes probabilis, neque necesse est, ut sit certa, et infallibilis. 4. Ut sit opportuna, et congruo tempore facta, et a persona idonea, et delinquentis conditio spectetur. Tempus est, quando per eam fructus speratur; adeoque differenda est quandoque correctio, quando expensis circumstantiis alio tempore opportuno judicabitur. Quoad personam corrigentis sapienter animadvertit S. Thom. absolute necessarium non esse, ut qui corrigit immunis sit a peccato, quod in alio reprehendit. Addit tamen correctionem a peccatore factam *impedimentum afferre correctioni.* Hinc Praelati, et Pastores, qui ex officio tenentur subditos corrigere, tenentur etiam se ipsos emendare de peccato, quod in aliis reprehendunt. Quoad conditiones vero fratris peccantis servanda est, ut docet S. Bernardus serm. 11. de Temp. Pasch. *modestia in increpando.* Alio enim modo corrigendi sunt inferiores, alio aequales, alio superiores, sicut et alio pacto seniores, alio juniores, aliter viri et foeminae, aliter verecundi, aliter procaces et dissoluti. 5. denique servandus est ordo a Christo prae-

stitutus, nimirum ut primo correctio fiat inter corrigentem et fratrem peccantem solum. Qui ordo, quando agitur de peccato occulto vergente in solum detrimentum peccantis, et spes adsit emendationis, non ex solo consilio servandae praescribitur, sed ex praecepto, ut aperte docet S. Th. hic art. 7.

IV. *Quaedam peccata occulta, statim superiori denuncianda.*

Sunt juxta eundem S. Doctorem quaedam peccata, quae licet occulta sint, tamen Superiori denuncianda sunt non praemissa fraterna correctione, cujusmodi sunt haereticae doctrinae disseminatio, civitatis proditio, in vitam Principis conjuratio, quae in corporale, vel spirituale damnum multitudinis vergunt: privatum enim bonum communi bono non est praeferendum, et extremis malis extrema sunt adhibenda remedia. Hinc merito Pontifices, et praesertim Alexander VI. peculiari Bulla data an. 1660. jussit haereticorum denunciationem non praemissa correctione fraterna. Et Alexander VII. hanc propositionem damnavit: *Quamvis tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denunciare, si probare non possis.*

V. *Alia etiam peccata statim Superiori, quandoque deferre licet.*

Licet quando fratris peccantis emendatio obtineri aequaliter potest et per fraternam correctionem, et per denunciationem Superiori non ut Judici, sed ut patri; praemittenda sit fraterna correctio, quum non sit ulla ratio hunc ordinem praetermittendi a Christo statutum; non tamen contra hunc ordinem peccat, qui statim Superiori defert, quum sperat efficacius profuturam fratri illius admonitionem: tunc enim melius consulitur bono spirituali fratris; et haec major spiritualis utilitas compensat illam qualemcunque honoris imminutionem, quae ex manifestatione Superiori facta, redundat in peccantem. Utramque partem docet S. Thom. quodl. 11. art. 3. Praelati tamen praecipere non possunt, ut occulta Religiosorum delicta sibi praetermissa correctione fraterna, denuncientur. Ita idem S. D. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5. ubi ait, quod *si Praelatus expresse praeciperet contra hunc ordinem a Domino institutum, et ipse peccaret praecipiens, et ei obediens, quasi contra praeceptum Domini agens; unde non esset ei obediendum.*

CONSECTARIA.

I. *Omittens correctionem fraternam, quando peccet lethaliter, quando venialiter.*

Peccant lethaliter contra praeceptum correctionis fraternae, qui sciens, se posse fratrem a peccato lethali retrahere illum corrigendo, vel ob pusillanimitatem, vel ob aliquam cupiditatem non corrigit. Ita S. Th. art. 2. ad 3. ubi etiam docet, venialiter peccare, qui fratres suos corripere negligunt ex timore et cupiditate, quum facile credunt se non profuturos, parati tamen ad corrigendum, si fructum certo sperarent.

II. *Praeceptum fraternae correctionis, Praelatos et Superiores magis urget.*

Praelatos et Superiores praesertim Ecclesiasticos magis urget praeceptum correctionis fraternae erga eorum subditos. *In correctione fraterna*, ait S. Th. l. c. a. 3. ad 1., *quae ad omnes pertinet, gra-*

vior est cura Praelatorum. Sicut enim temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis, quorum curam temporalem habet; ita etiam beneficia spiritualia, puta correctionem, doctrinam, et alia hujusmodi magis debet exhibre illis, qui sunt suae spirituali curae commissi. Hinc Parochus, qui intra Paroeciam aliquem secreto concubinam tenentem novit, eum debet corripere, licet fortasse fructum non speret, muneri enim suo satisfacere tenetur. Immo Praelati et Pastores quum rationabiliter dubitant de aliquo scelere vel commisso, vel committendo, debent et de illo inquirere, et subditum corripere, ut docet idem S. D. in resp. ad 4. Porro haec, quae de Praelatis, et Pastoribus dicta sunt, extenduntur etiam, debita proportione servata, ad parentes respectu filiorum, ad maritos respectu uxorem, ad Confessarios respectu poenitentium, ad dominos respectu famulorum, ad tutores, et curatores respectu pupillorum, et minorum. Hi enim omnes non solum ex charitate tenentur subditos corrigere, haec enim cunctos fideles urget, sed etiam ex justitia ratione muneris, quod obtinent.

III. *Verbi Dei Praecones publica peccata debent corripere; sic inferiores aliquando tenentur Superiores corripere.*

Verbi Dei Praecones debent publica peccata intrepide corripere, licet fructum non sperent, nisi majus malum inde oriturum prudenter timeant. Quia non privatae, sed publicae personae vices gerunt; et ad hoc a Praelatis, et Pastoribus mittuntur, ut contra populorum vitia insurgant, et declament. Licite vero possunt, et quandoque etiam tenentur inferiores suorum Superiorum errata corrigere, dummodo hoc cum debita reverentia, et humilitate praestent. Quamvis autem non urgeat correctionis praeceptum, quando nullus speratur profectus, immo prudentis viri sit correctionem omittere, quando majus proximi malum timetur; non tamen facile est de cujusvis etiam obdurati, et obcoecati salute desperandum; proinde frequentius peccatur correctionem fraternam omittendo. Nam ex pusillanimitate saepissime de aliorum emendatione desperemus, et ex philautia timemus corrigere, ne proximi indignationem incurramus, vel benevolentiam amittamus.

IV. *Etsi fructus spes dubia sit, non est omittenda correctio.*

Non est omittenda fraterna correctio, etiamsi statim non appareat profectus, sed in futurum speretur. Quando vero non timetur nocitura correctio, licet fructus spes dubia sit, non est correctio omittenda: quum enim in dubiis tutior pars sit eligenda, facienda est correctio, quae fortassis utilis erit, quum ejus omissio certo certius sit inutilis futura. Repetendam vero correctionem nonnulli putant Theologi usque ad tertiam, sed non ulterius progrediendum censent. Verum quoadusque spes probabilis emendationis affulgeat, non est deserendus frater infirmus, quemadmodum non deseritur a Medico corporalis aegrotus, donec eum sanare speret. Corrigenda autem sunt omnia peccata sive praeterita, sive quae timentur futura, sive ex malitia procedant, sive ex ignorantia contra jus divinum, et naturae: blasphemantes vero sunt rigida correctione coercendi, etsi fructus spes non affulgeat, dummodo tamen ne blasphemias iterent prudenter non dubitetur. Porro praeterita peccata corrigenda sunt,

si emendatione non sint abolita. Quod si frater per poenitentiam convaluit, jam patet, non amplius necessariam esse correctionem, sicut si noveris prudenter sponte sua emendandum.

V. *In carnalibus Religiosorum delictis, frequentius denunciatio Superiori, ut Patri adhibenda est. Ita crimen publicum semper est Superiori deferendum.*

Frequentius carnalia Religiosorum delicta occulta cum complice sive intra, sive extra Religionem patrata melius efficaciusque corriguntur per denunciationem evangelicam Superiori ut Patri, quam per fraternam correctionem: illa proinde frequentius praeferenda est. Tum quia vix potest sperari emendatio nisi per Superiorem et habendi auferatur occasio complices separando, et ejusdem vigilantia ab exteriori occasione removeantur. Tum quia plerumque hoc criminis genus infamiam summam Religionis adfert, et grave dedecus illi inurit. Haec quidem communiter, et frequentissime vera sunt; nihilo tamen secius si forte Religiosus in itinere violenta tentatione pertractus misere cadat, socius, cui hoc innotescit, poterit ipsum secreta monitione corripere, praesertim si sciat ad eum locum non amplius reversurum. Quando crimen est publicum. Superiori deferendum est: *Quia*, ait S. Th. art. 7. tunc *non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut rectior fiat, sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur.* Non est tamen censendum publicum, si duobus tantum, vel tribus innotescat: quia delictum duobus, vel tribus notum potest quidem in judicio probari, sed nondum publicum dici potest. *Si vero* (docet S. Th. in 4. dist. 19. q. 2. a. 3. ad 2.) *crimen nondum in publicum devenit, sed est in via deveniendi; tunc etiam denunciandum est, ut scandalo futuro occurratur.*

CAPUT VII.

De Scandalo.

I. *Vitia charitati opposita.*

Nunc de vitiis charitati oppositis agendum. Haec sic enumerat S. Th. q. 34. *Odium, quod opponitur ipsi dilectioni, accidia, et invidia, quae opponuntur gaudio charitatis, discordia, et schisma, quae opponuntur paci, offensio, et scandalum, quae opponuntur beneficientiae, et correctioni fraternae.* Verum non de omnibus hoc loco, nam de invidia, accidia, et odio superius diximus, de discordia, et schismate fortassis inferius; hic itaque solum de scandalo disputandum sumimus, cui appendicis loco et de cooperatione ad malum alterius tractationem adjungemus sequenti capite.

II. *Scandali definitio.*

Scandalum optime a D. Th. 2. 2. q. 43. definitur: *Dictum vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae. Dictum*, vel *factum* externam indicant actionem, sub qua tamen continetur etiam negatio, sive omissio dicti vel facti, quae spiritualis ruinae proximo adferat occasionem. Additur *minus rectum*, ut quisque intelligat, scandalo esse posse non solum quod in se perversum, et malum est, sed etiam quod speciem et apparentiam offerat mali: additur denique, *occasionem praebens ruinae*, ad indicandum, necesse non

esse ad crimen scandali, ut proximi ruina sequatur, sed satis esse, si eidem praebeatur occasio.

III. *Scandali divisio.*

Duplex est scandalum, aliud activum, aliud passivum. Prius directum esse potest, et indirectum sive formale et interpretativum. Scandalum directum, et formale in actione consistit, vel verbo, quo quis vel ipsam spiritualem proxi ruinam intendit (quod sane diabolicum est, et vix in perditissimis hominibus locum habet), vel proximum ad peccatum impellit, et pertrahit propter aliquam vel voluptatem, vel utilitatem inde percipiendam, ut quum quis virginem, vel honestam mulierem seducere tentat, ut suam expleat libidinem. Indirectum vero habetur, quum quis non animo proximo spiritualiter nocendi, aliquid tamen operatur, vel dicit, quod in spiritualem proximi ruinam cedit, sive illud sit de se malum, et aptum ad offensionem inducendam, sive sit tale tantum per accidens; et hoc scandalum *datum* etiam dicitur. Scandalum vero passivum, quod et acceptum vocatur, est ipsum proximi spirituale malum, quod incurrit proximus arrepta occasione ex alterius vel dicto, vel facto, et hoc non est speciale peccatum distinctum ab eo, quod ex data occasione perpetratur, ut observat S. Th. art. 3.

IV. *Scandalum pusillorum*, *et Phariseorum.*

Ex ipso S. D. aliquando passivum scandalum est cum activo conjunctum, ut quum quis alium ad malum pertrahit, et iste consentit; aliquando vero est activum sine passivo, videlicet quum quis alterum se ad malum invitantem constanter repellit; aliquando demum est solum passivum sine activo, ut contingebat Pharisaeis, qui scandalum patiebantur, quia Christus aegrotos sanabat in die sabati. Hoc tamen passivum scandalum ex duplici capite oriri potest, nimirum ex ignorantia, et imbecillitate, vel ex malitia, et passione scandalum patientis: primum dicitur scandalum pusillorum, alterum vero Pharisaeorum; hoc secundum semper est scandalum acceptum, merito proinde contemnendum, dum primum potest esse etiam datum; ac proinde, ut infra dicemus, ab illo cavendum.

V. *Scandalum activum*, *quale peccatum sit.*

Scandalum activum, sive directum, sive indirectum, sive per se, sive per accidens est peccatum tantae gravitatis, quantae est peccatum, ad quod inducuntur scandalum patientes, sive consentiant, sive rejiciant; Hinc si ad lethale peccatum inducit, est et ipsum scandalum peccatum lethale; si ad veniale, venialem quoque culpam non excedit, nisi actio ipsa per se grave peccatum esset, licet nonnisi ad veniale induceret. Ita S. Th. art. 4. Ceterum scandalum ex genere suo est inter lethalia peccata connumerandum.

VI. *Ut sit peccatum non oportet*, *ut quis ruinam proximi intendat.*

Ad scandali crimen perpetrandum non est necesse, ut quis spiritualem proximi ruinam intendat ob aliquam suam voluptatem, vel utilitatem, sed satis est, si actionem eliciat de se aptam, et idoneam ad ruinam spiritualem alterius, licet eam non velit, nec intendat. Ita S. D. ad 4. Scandalum enim ex actione, vel dicto exteriore oritur de se ipso ad ruinam spiritualem inducendam apto. Parum ergo refert sive intendas et velis eamdem ruinam, quum ex ipso opere

constet, te eam velle saltem implicite, quia ponis id, ex quo vel praevides, vel praevidere potes et teneris secuturum spirituale damnum proximi. Si quis tamen omnem adhiberet diligentiam, ne suum peccatum in aliorum notitiam veniret ad evitandum scandalum, licet postea detegeretur, non ipsi foret peccatum scandali adscribendum, nisi actio talis esset naturae, et indolis, quae occultari omnino non posset, sed in lucem venire oporteret, ut contingit in virgine seducta, quae et crimen suum occulte perpetrat, et celare etiam tentat, sed ex partu postea emergat necesse est. His positis, nonnullae statuuntur regulae pro praxi.

VII. Reg. 1. Scandali rei sunt, qui actiones eliciunt, quae speciem mali habent, unde proximi ruina spiritualis oritur. Ita insinuat S. D. dum in scandali definitione posuit dictum vel factum *minus rectum* (non dixit aperte malum), quia quum scandalum ex exteriore opere, vel dicto oriatur, satis est, si ista speciem mali praeferant, quae apta sit ad spiritualem proximi ruinam inducendam, ut docet in 4. dist. 38. q. 2. a. 2. quaestiunc. 3. Merito itaque Apostolus Corinthios reprehendebat, qui in Idolio recumbentes idolothyta comedebant, quod licet in se malum non esset, speciem mali praeferebat, unde infirmi scandalum patiebantur.

VIII. Reg. 2. Praecepta negativa juris naturalis nunquam violare licet metu scandali passivi, sicut nec ab operibus ad salutem necessariis abstinere, aut peccato veniali illud impedire. *Nullo enim modo*, ait S. Th. hic q. 43. a. 7. ad 3., *aliquis peccare debet, ut peccatum alterius vitet.* Qui autem dicta praecepta violat peccat, quum illa obligent semper, et pro semper. Hinc non licet mentiri, furari etc. ob quodcunque vitandum scandalum. Haec quoad 1. partem. Secundam vero docet et probat S. D. in 4. dist. 38. q. 2. a. 4. quaestiunc. 3. ad 2. *Nullus debet ostendere parum, ne alius ostendat multum: quia homo debet in infinitum plus diligere Deum, quam proximum: et ideo nullus debet facere peccatum veniale ad vitandum scandalum . . . . Contingit tamen aliquem actum ex tali caussa factum, non esse peccatum veniale, quod alias veniale esset, sicut dicere verbum otiosum: jam enim non esset otiosum, quum non careret caussa piae utilitatis.*

IX. Reg. 3. Opera bona spiritualia, sicut et praecepta affirmantia juris positivi quandoque omitti queunt ad evitandum scandalum. Quia quum praeceptum de scandalo vitando sit juris naturalis et negativum, praeferri debet praeceptis affirmativis, quae non obligant semper, et in omni circumstantia. Ita S. Th. loc. mox cit. quaestiunc. 2. a. 4. Ubi tamen monet, *attendendam esse quantitatem scandali, et boni, quod contingit ex consilio servato; et secundum hoc aliquando opera bona esse praetermittenda propter scandalum pusillorum, vel scandalum contemnendum.*

X. Reg. 4. Ad pusillorum scandalum removendum veritas est quandoque retinenda, dummodo tamen nullum ipsi veritati detrimentum inferatur. Ratio est, quia quum ex una parte non semper urgeat praeceptum de veritate dicenda, nec semper dicere expedit; et docere veritatem sit opus misericordiae spiritualis, adeoque sicut aliquando licet non dare eleemosynam corporalem pauperi, qui sit ea abusurus, ita nec spiritualem hanc eleemosynam licet tribuere,

quando praevidetur vel inutilis, vel noxia; ex alia vero si ex silentio veritas ipsa detrimentum patiatur, quia error invalescit contra fidem, vel contra mores, tacere non licet propter scandalum pusillorum. Ita S. Thom. loc. cit. q. 2. a. 4. ad 3.

XI. Reg. 5. Actiones indifferentes sunt omittendae ad vitandum scandalum tam pusillorum, quam Phariseorum, quando sine gravi incommodo queunt omitti. Ratio est, quia scandalum passivum est semper peccatum proximi, sive ex ignorantia, sive ex malitia sequatur. Charitas ergo jubet, ut hoc peccatum, quantum in nobis est, a proximo avertamus; avertere autem possumus abstinendo ab illa actione indifferenti, quae nec nostram, nec aliorum spectat utilitatem, et quam cum levissimo damno omittere possumus. Sic mulier tenetur vel non exire domo, vel ad fenestram non accedere, si noverit adesse in via, qui ex ejus aspectu in turpem amorem exarsurus sit, praecipue quando nulla urget necessitas, vel extat justa caussa domo exeundi, vel per fenestram prospiciendi. Sic qui noverit, alium consuevisse vel in maledictiones, vel in blasphemias prorumpere, si quaedam sibi molesta audiat, ab illis proferendis sub lethali peccato abstinendum est. Si vero gravis et justa urgeat caussa etiam quae indifferentia sunt agendi, tunc contemnendum est scandalum Phariseorum, quum illud ex ejus sola malitia proficiscatur, avertendum vero scandalum pusillorum rationem reddendo suae actionis, cui si acquiescat, tollitur scandalum, si non acquiescat, jam in scandalum degenerat pharisaicum.

XII. Reg. 5. Bona temporalia, quae in nostro non sunt constituta dominio, non sunt propter scandalum dimittenda, quae vero in nostra sunt potestate, dimittenda non sunt propter scandalum Phariseorum, bene vero propter scandalum pusillorum, vel aliter est sedandum scandalum, scilicet per aliquam admonitionem. Ita S. Th. q. 43. art. 8.

Consectaria.

Pluribus hic locus consectariis esset de vestitu, ornatu, nuditate mulierum, de sermonibus, colloquiis obscoenis etc. Sed vide quae diximus in Dissert. de Virtutibus Moralibus, praesertim cap. 3. et 4. Proinde haec addimus.

I. *Qui immodestas picturas conficiunt vel servant, graviter peccant: Etiam qui concubinae imaginem pingit amasio. Religiosi quoque, qui aequivoca verba coram puellis proferunt.*

Scandalum activum, et quidem gravissimum inferunt, qui nudas foeminas, vel turpes actus et congressus pingunt, et qui hasce picturas etiam rectas domi servant: hujusmodi enim obscoenae imagines quammaxime ad libidinem excitant, et impellunt. Peccat pariter peccator scandali pictor, qui concubinae imaginem pingit amasio, a quo scit turpiter contemplandam, licet nulla sit in ea immodesta nuditas: quia materiam suppeditat fovendae libidinis, et in turpes delectationes prolabendi. Peccant quoque eodem peccato Religiosi praesertim Regulares, qui jocosa et aequivoca verba coram mulieribus, et puellis proferunt, licet fortasse in se nonnisi venialia sint; quia hujusmodi facile occasionem accipiunt ruinae spiritualis audientes Religiosos ca-

stitutem profitentes ab istis non abborrere, et quo major est personae dignitas, et erga illam reverentia, tanto efficacius moventur ad eorum imitationem.

II. *Peccant qui paratum ad gravius scelus, ad minus hortantur.*

Peccant peccato scandali activi, qui paratum ad gravius scelus committendum ad minus hortantur, ut qui adulterium committere volenti suadet simplicem fornicationem; qui et hoc de se malum est, et sine peccato perpetrari non potest. Pari ratione non licet determinato ad furandum Petro pauperi suadere, ut furetur Pauli diviti: quia et hoc vere peccatum est, et injuria innocenti infertur. Proinde si tuo acquiescat consilio, nedum peccas, sed ad restitutionem teneris. Immo nec paratum ad duo perpetranda scelera, alterum altero gravius, puta ad furtum, et homicidium, hortari potest ad solum furtum committendum: semper enim quod hortaris est malum, et jam dispositum ad illud perpetrandum in sua opinione confirmas saltem, et roboras. Debes itaque ita ab homicidio deterrere precibus, hortationibus, argumentis, ut nullo tamen modo furtum vel consulas, vel suadeas, sed ad illum ita negative te habeas, ut tantummodo impedire non valens aegre feras, et permittas.

III. *Jejunium violari non debet ab uxore ob scandalum mariti, si sit praeceptum; bene vero si sit ex devotione.*

Mulier jejunium ab Ecclesia praeceptum violare non debet ob scandalum mariti, idest propter rixas et discordias, quae ab eo excitantur: quia hoc scandalum plene pharisaicum est, adeoque contemnendum. Quod si etiam pusillorum scandalum supponere velis et ex infirmitate ortum, illud ex reddita ratione tollendum, cui si acquiescat maritus, cessabit, ni acquiescat, in pharisaicum vertetur. Potest tamen, et quandoqne debet, quod ex devotione assumpsit, omittere: quia quum hoc liberum sit, et proximi offensionem avertere sit in praecepto, hoc est illi praeferendum.

IV. *Quando liceat mulieri abstinere ab audiendo sacro, ratione scandali.*

Licet mulieri abstinere ab audiendo Sacro in die festo, si praesciat graves discordias et rixas in familia ex sua absentia exorituras, vel grave alicujus damnum, quod inferendum prudenter existimat, velit praecavere: quia praeceptum de scandalo avertendo, et de gravi proximi malo impediendo quum juris sit naturalis, procedere debet praecepto positivo, quod in his casibus urgere non supponitur. Non tenetur tamen nec debet abstinere ab audiendo Sacro in die festo, et domi se continere, quia noverit se ab impudico viro inhoneste aspiciendam, et turpi affectu concupiscendam. Hoc enim scandalum plane est pharisaicum: unde enim novisse potest haec mulier se turpiter amari, et concupisci a perdito isto viro? Profecto non aliunde, nisi quia inhonestum suum amorem, et turpem concupiscientiam aliquo modo manifestavit: obfirmatam igitur in ipso agnoscit malitiam et pravitatem, non ignorantiam, et infirmitatem: scandalum ergo ejus novit non esse pusillorum, et infirmorum, sed fore pharisaicum, propterea contemnendum.

V. *Peccat maritus occasionem praebens uxori adulterandi, ut eam in crimine deprehendat. Sic aliis occasionem praebere peccandi non licet.*

Peccat peccato scandali maritus, qui uxori occasionem praebet adulterandi, ut eam in crimine deprehendat, et divortium obtineat. Et domini, vel parentes, qui servis, et filiis ansam furandi praebent, ut eos in delicto deprehensos coerceant, et emendent. Nam hoc est alteri occasionem praebere ruinae spiritualis, nec ratio honesti finis excusat, quum non sint facienda mala, ut eveniant bona. Hinc maritus, domini, parentes possunt quidem non impediendo permittere vel adulterium, vel furtum, ut deprehensi resipiscant, et corrigantur, at illis ansam, vel occasionem peccandi praebere omnino non possunt. Non licet propterea nec ad fidem servorum, vel ancillarum probandam pecunias de industria spargere ad experiendum, num inventas restituant: hoc enim est revera illos ad furtum movere, et occasionem furandi praebere, quum facile sit infirmis, et ignorantibus in similibus occurrentibus casibus labi in peccatum. Peccant itidem lethaliter, qui deliros, vel semifatuos conviciis, scommatibus, aliisque vexationibus ita fatigant, ut eos ad blasphemias, imprecationes, maledictiones, gravesque contumelias provocent, licet id animo jocandi faciant. Quia quum haec sint vere lethalia peccata, ipsi in caussa sunt, ut committantur; et licet fortasse qui proferunt ob infirmitatem, vel fatuitatem, vel non peccent, vel venialiter peccent, qui tamen eos provocant, mortalis peccati rei sunt.

VI. *Peccatum scandali, quomodo in confessione aperiendum.*

Sive scandalum directum fuerit, sive indirectum, qui scandalum dedit tenetur in confessione aperire tum peccati speciem, ad quod suo scandalo induxit, tum personarum qualitatem, et numerum. Quia haec omnia ad integram peccati notitiam a Confessario habendam necessaria sunt, ut quia qui alium scandalo suo ad peccatum pertraxit, reus est et ruinae spiritualis proximi, et peccati ab alio commissi, quum vero hoc peccatum et ratione numeri personarum crescat, et specialem turpitudinem induat, haec omnia sunt in confessione pandenda. Sic qui uxorem in adulterium pertraxit, et scandalum suum, et adulterii crimen patefaciat oportet; et quum gravius sit virginem Deo sacram, quam meretricem ad crimen carnis pertrahere, conditio quoque personarum est manifestanda.

CAPUT VIII.

De Cooperatione ad malum.

I. ***P**ropositio ab Innocentio XI. damnata.*

Pro basi hujus implexae, ut difficillimae disputationis pono propositionem ab Innocentio XI. damnatam in ordine 51. quae ajebat: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Nonnulli dicunt, eas actiones esse de se et respectu famuli indiffe-

rentes, sed ideo prohiberi, quia non subest justa caussa eas ponendi, et malitiae domini per eas actiones cooperandi: nam mala, quae timet famulus, nimis levia sunt, nimirum quod torvis oculis aspicietur, quod vapulet, quod domo expellatur. At, si damnum, quod timetur, esset gravissimum, e. c. mors, vel mutilatio, tunc illas ponere utpote indifferentes non vetari famulo. Verum hanc interpretationem et ipsi Salmanticenses, qui antea probaverant, postea aperte rejecerunt scribentes To. 3. tract. 21. cap. 8. punct. 5. §. 2. num. 7. » Sed nunc ex professo rem examinantes asserimus, haec omnia illicita esse, etiam urgente periculo mutilationis, aut mortis. Et » ratio est, quia quod est intrinsece malum, nullo modo honestari » potest, etiamsi adsit periculum mortis. Sed adjuvare dominum » humeros supponendo, vel deferendo scalam ad virginem stuprandam etc. hic et nunc est intrinsece malum, et nullo modo indifferens. Sicut comitari latronem, ut eum defendat, vel ad furandum » aliquis adjuvet, esse intrinsece malum docuimus . . . ergo non licet » etiam metu mortis hujusmodi actiones exercere ».

Et revera indifferentia actionum non est desumenda ex ipsis actionibus objective et abstracte consideratis, sed consideranda est actio cum omnibus suis circumstantiis, et adjunctis, et prout hic et nunc est exercenda: sic dare alteri gladium est de se indifferens, sed illud praebere volenti uxorem interficere, quis non videt ita esse de se intrinsece malum, ut nulla possit ratione excusari? Quod autem semel evadit intrinsece malum, fieri non potest amplius indifferens ex eo, quod maximum inde proveniat detrimentum agenti. His praenotatis has statuo regulas.

II. Reg. 1. Actio, quae de se, et objective spectata indifferens est, si alterius peccato cooperetur, et influat in actionem ut malam, perversa evadit, et intrinsece mala. Hanc regulam statuit Apostolus ad Ephes. 5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Qui autem cooperatur operibus tenebrarum, eisdem communicat, quod ab Apostolo prohibetur. Ratio ipsa naturalis ostendit. Quis enim inficiabitur, ducere meretricem in cubiculum fornicariis, dare ignem petenti ad comburendam domum, clavem arcae furi suppeditare esse eorum iniquitati cooperari, communicare, et partecipare, ac proinde esse de se, et intrinsece malum?

III. Reg. 2. Quotiescunque aliqua actio in individuo, quia peccato alterius cooperatur, jam evasit in se mala, nequit amplius velut indifferens haberi, vel ab aliquo poni, et praestari ratione alicujus gravissimi detrimenti, quod illi proveniat, nisi actum ponat. Nam quod est per se malum, jam nunquam bonum, vel indifferens evadere potest, et detrimentum operanti proveniens actionem non exuit malitia sua. Fieri proinde non potest, ut eadem actio praestari queat, si leve sit damnum inde proveniens, quia malo cooperatur qui non ponat, ponere possit, quia indifferens.

IV. Reg, 3. Aliud est peccatum non impedire, aliud peccato alterius cooperari. Primum quandoque licet, alterum omnino non licet. Sic potest dominus permittere servum furari, ut deprehensum in furto corrigat, vel domo pellat, at non potest pecuniam de industria spargere, vel clavem in arca relinquere, ut ejus experiatur fidelita-

tem. Primum enim est vel servi utilitati, vel suae indemnitati prospicere; alterum vero offendiculum ponere, et ad peccatum allicere. Haec licet de se aperta sint, frequentissime tamen, ut patebit in consectariis, Theologi unum cum alio confundunt.

V. Reg. 4. Potest quis actioni alterius cooperari, quin et ejus malitiae cooperetur, et particeps sit. Hoc autem contingit, ut docent cum S. Th. graviores Theologi, quotiescunque principalis agens potest aeque bene ac male uti cooperantis actione, ita ut malus usus ex sola ipsius plane malitia proficiscatur. Id patet in petente mutuum a foeneratore, et juramentum ab infideli. Quia petunt id, quod et foenerator, et infidelis absque culpa praestare queunt: potest siquidem ille et sine usura mutuari, et iste per verum Deum jurare; proinde quod ille nonnisi sub usuris mutuetur, iste per falsos Deos juret, ex eorum prorsus proficiscitur malitia, cui petit non cooperatur, licet actioni vel foenoris, vel juramenti per falsos Deos cooperetur. Ratio est manifesta: nam et ille, qui petit, quod legitimum est petit, et qui praestat, quod legitimum est, praestare potest: nihil ergo malitiae actionis cooperatur, quae solum ex operantis pravitate resultat, et in eum est refundenda.

VI. Reg. 5. Quum quis ab alio actionem, vel materiam aliquam postulat, qua licet et bene uti possit, et male, certo tamen constat nonnisi ad malum usum peti, qui concedit, vel assentitur, ejus pravitati non actione duntaxat consentit. Nam, tunc, ut manifeste patet, pravae actioni cooperatur, et quidem non ut actio est, sed ut perversa est, quum noverit nonnisi ad pravum usum peti. Sic qui ensem postulat ad interficiendum hominem, ignem ad incendendam domum, cubiculum ad fornicandum, certum est nonnisi ad pravum usum postulare; adeoque qui assentitur, ejus nedum actioni, sed et pravitati assentitur. Quod verum puto, licet actionem vel materiam praestare ex justitia debeat. Ut patet in illo, qui pecuniam, vel gladium depositum postulat ad interficiendum hominem, vel ad proditionem patriae. Tunc enim depositarius licite depositum negare potest, et debet. Hae sunt regulae, quas ego attento studio, et seria meditatione in re adeo difficili praestituendas statui. Quas tamen et ego fateor, et agnosco nec omnes complecti casus, nec omnes ad earum amussim posse clare, dilucide, et sine ambiguitate aptari, ac dirimi.

CONSECTARIA.

I. *Non licet Idola vendere, Synagogas extruere, vel sarcire, nec thura ethnico, aut vinum ad libamina suppeditare.*

Non licet nec idola Gentilibus vendere, nec Judaeorum Synagogas extruere, vel sarcire: Immo nec thura Ethnico ad idolorum suffitum, aut vinum ad libamina suppeditare. Et quidem de prioribus nulla est difficultas, quum idoli constructio, Synagogae aedificatio utpote ad superstitiosum, impiumque cultum determinata natura sua prava sint, et mala, ac proinde nullo modo iis licet cooperari. De posterioribus vero major esse difficultas videtur, quum thus, et vinum ad licitos usus adhibere valet infidelis, proindeque ex ejus sola malitia ad superstitiosum cultum detorqueantur. Ita quidem si res absolute spectetur; verum si sermo sit de thure et vino ad hoc deter-

minata requisito, ut idolorum cultui inserviat, manifestum est vendi non posse, nec concedi, quia haec tunc determinate ex petentis conditione agnoscuntur ad superstitionem ordinata. Hinc merito S. Vigilius in sua ad S. Jo. Chrysost. epist. S. Sisinnium, aliosque laudat, qui crudele martyrium subiere, quia fideles animalium retrahebant venditione, quae ab Ethnicis in sacrificium idolorum erui sciebant.

II. *Peccant, qui literas amatorias, et munuscula ad amasiam deferunt.*

Peccant, et alterius crimini cooperantur, qui literas amatorias et munuscula impudicitiae irritamenta ad amasiam, vel amasium defarunt. Hoc consectarium evidens est, quum hujusmodi actiones sint intrinsece malae, nec ullo pacto licitae evadere possunt, utpote cum peccato conjunctae, et peccato subservientes. Non licet pariter amico cubiculum commodare, quo novit eum ad fornicationem abuti, et multo magis si noverit tale cubiculum exposcere, ut securius, et confidentius peccet: peccato enim cooperatur. Item non licet aurigis, vel nautis cymba, vel rheda meretricem, sive aliam mulierem ad amasium adducere ad peccandum: quia et hi pravae actioni et peccato operam suam locando quammaxime cooperantur.

III. *Quaenam famulis officia, liceant dominis praestare, quaenam non liceant.*

Licet famulis ea obsequia, et officia dominis suis praestare, quibus illi licite uti possunt, quamvis praesciant ad malum usum ab ipsis quandoque adhiberi. Sic licet eos vestibus induere, rhedam, vel cymbam praeparare, in via comitari, in aliquo loco expectare, domum ornare, cibos, et alimenta praeparare, licet sciant, dominum ex. gr. aliquando in domum concubinam excipere, ad eam invisendam in itinere declinare, ad mensam invitare. Quia quum hujusmodi ministeria talia sint, et licet ipsis uti domini possint, et si ad pravum finem ordinentur, ex eorum profluit malitia, justa de caussa possunt ea a famulis exhiberi, nimirum ut muneri suo satisfaciant, et ipsi habeant, unde vivant. Iisdem vero non licet ea officia et munia praestare, quae sciunt determinate ad pravum opus a domino postulari. Sic non licet eis literas amatorias, aut invitatorias ad peccandum deferre concubinae, vel amasiae, illam ad domum heri ducere, lectum sternera, ad duellum comitari, vel in ebrietatibus ministrare, et his similia. Quia talia sunt haec officia, et ministeria, ut nonnisi eis domini abuti possint ad scelus committendum, cujus proinde servi et participes sunt, et cooperatores.

IV. *Non licet meretricibus, vel foeneratoribus domos locare.*

Non licet meretricibus nec foeneratoribus domos locare. Nam licet domus de se ordinata sit ad inhabitandum, nihilominus si res ut est in se ac in individuo spectetur, ab his non tam ut domus ad inhabitandum, quam ut officina ad turpe lucrum petitur, et ordinatur: non potest igitur eis concedi, quin absolute ejus pravitati cooperemur. Sunt, qui domos meretricibus locari posse concedunt in locis a supremo Principe pro eorum inhabitatione designatis, et seorsum in angulis civitatis positis. In statu quoque peccati lethalis versantur; qui vel meretricibus, vel concubinariis simul cum concubina viventibus, vel foeneratoribus inserviunt. Nam ferme impossibile est, ut plura non praestent, quae criminibus eorum inserviunt.

V. *Peccant Caupones in diebus jejunii, carnes ministrare non indigentibus: sic suppeditare vinum iis, quos certo sciunt inebriandos.*

Caupones rei sunt violati jejunii, si in diebus esurialibus vel carnes sanis, vel coenam non indigentibus ad eorum petitionem subministrant, quum peccato proxime cooperentur, et materiam exhibeant actionis, quae ex circumstantia temporis nonnisi mala esse potest. Peregrinis vero, et viatoribus, qui in Quadragesima vespere adventantes coenam petunt, suppeditare licite queunt, quotiescunque probabiliter censent eos vel impransos vel a jejunio dispensatos. Peccant quoque iidem caupones, et tabernarii, qui vinum iis suppeditant, quos certo sciunt inebriandos. Et quidem quando id faciunt caussa lucri, vel alterius temporalis emolumenti, nullus est, qui ambigat: at si vinum suppeditent metu mortis vel mutilationis, excusant plures Theologi etiam sanioris doctrinae, inter quos et P. Concina, et Tournellius. Verum quae afferuntur momenta rem non evincunt. Nam inquit P. Concina: *Tam venditio, quam potus vini sunt actiones indifferentes, et ex sola malitia bibentium intemperanter ebrietas accidit.* At cur haec doctrina locum non habet in favorem servi scalam apponentis ad ingrediendam fenestram? Nonne hae actiones de se et secundum metaphysica praecisione indifferentes sunt? Et tamen eas illicitas ita pronunciant P. Concina; et Tournallius, ut nullo metu vel mortis, vel mutilationis excusatas velint. Ergo a pari nec ob similem metum excusabitur vini propinatio facta volentibus ebrietatem: nam et aeque peccatum lethale est voluntaria ebrietas, et luxuria; et neque, immo magis cooperatur ebrietati, qui vina ministrat, quam qui scalam apponit. Discrimen utriusque actionis libenter audirem, unde altera indifferens evadat, altera mala persistat, si idem urgeat metus mortis vel mutilationis. Ipse certe reperire non valeo.

VI. *Sponsa non censetur cooperari peccato sponsi cum ipsa, matrimonium celebrantis, in peccato lethali; secus vero si nubat cum viro voto castitatis obstricto.*

Sponsa celebrans Matrimonium cum Sponso, quem noverit peccato mortali coinquinatum ad Sacramentum accedere, ejus malitiae non cooperatur; secus vero si nubat cum viro voto castitatis obstricto, vel si post Matrimonium debitum petenti reddat. Ratio 1. partis est, quia Sponsus ut peccatum evitet, necesse non est, ut a Matrimonio abstineat, quum possit poenitentia sacrilegium impedire, quod solum ex sua malitia profluit, cui proinde non cooperatur sponsa. At contra in 2. parte quum Sponsus voto castitatis obstrictus non possit sacrilegium fugere nisi abstinendo a Matrimonii celebratione, quum non sit in sua potestate voti dispensatio, Sponsa cum illo contrahens ejus malitiae, et sacrilegio cooperatur; sicut et cooperatur reddendo debitum eidem Sponso, quum haec petitio sit intrinsece mala et illicita, voto castitatis obstricto, qui a peccato cavere non potest, nisi a petitione abstinendo.

Finis Tomi Primi.



INDEX

Tractatuum, Dissertationum, et Capitum, quae in hoc Tomo continentur.

TRACTATUS PRIMUS.

De Legibus.

DISSERTATIO I.

De Lege aeterna ac naturali.

DISSERTATIO II.

De Lege Positiva Divina, et Humana.

DISSERTATIO III.

De legum humanarum mutatione, interpretatione, curatione, dispensatione, et consuetudine.



TRACTATUS SECUNDUS.

De altera regula Moralium Actionum, nempe Ratione Humana.

DISSERTATIO I.

De Humana Ratione; deque iis, quae ad ipsius rectitudinem necessaria sunt.

DISSERTATIO II.

De Conscientia.



TRACTATUS TERTIUS.

De Officiis Hominum, sive de Humanis actionibus bonis, ac malis.

DISSERTATIO I.

De Principiis et conditionibus generalibus Actuum Humanorum.

DISSERTATIO II.

De Virtutibus Moralibus, vitiisque oppositis.

DISSERTATIO III.

De Peccatis.

DISSERTATIO IV.

De Peccatis Capitalibus.

APPENDIX

De quibusdam peccatorum generibus.



TRACTATUS QUARTUS.

De Virtutibus Theologicis Fide, Spe, et Charitate.

DISSERTATIO I.

De Fide.

DISSERTATIO II.

De secunda virtute Theologica, scilicet de Spe.

DISSERTATIO III.

De Charitate.

